
HENRICI KOEHLERI

PHILOSOPHIAE PROFESSORIS IN ACADEMIA JENENSI

JVRIS SOCIALIS ET GENTIVM AD JVS NATVRALE REVOCATI SPECIMINA VII.

CVM PRIVILEGIO REGIS POLON. ET ELECT. SAXON.



FRANCOFVRTI AD MOENVM
APVD FRANCISCVM VARRENTRAPP.
MDCCXXXVIII.

VIRO

PRAENOBILISSIMO CONSVLTISSIMO

PRVDENTISSIMO,

DOMINO

ERASMO CAROLO SCHLOSSER,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI,

REIPVBLICAE FRANCOFVRTENSIS

SENATORI GRAVISSIMO,

EX CONSVLI IVNIORI

PATRONO LITTERARVM

MAXIMO,

HANC

NOVAM EDITIONEM

IVRIS SOCIALIS

ET

GENTIVM

QVOD POST RERVM DIGNITATEM

ET VSVM

POST METHODI LEGES ACCVRATAS,

VEL SOLA AVCTORIS

NVPER MORTALITATE EREPTI

IN ORBE LITTERATO FAMA

COMMENDAT,

PVBLICA VENERATIONIS SVAE

SIGNIFICATIONE

D. D. D.

DEVMQVE
SVPPLEX PRECATVS,
VT EVM,
CVIVS PRVDENTIA SINGVLARI
PATRIAE FELICITAS MAGNAM PARTEM
INNITITVR,
SEMPER INCOLVMEM
ET SALVVM PRAESTET,
QVO
REI PVBLICAE CVRAM,
QVOD HACTENVS FELICITER FACTVM,
AMPLIVS GERERE,
INCREMENTA LITTERARVM
CVRARE,

ET TANDEM

LABORVM ET CONSILIORVM

FRVCTIBVS VBERRIMIS

QVAM DIVTISSIME FRVI QVEAT,

SE EIVS

PATROCINIO ET FAVORI

EO

QVO PAR EST

ANIMI AFFECTV COMMENDAT

FRANCISCVS VARRENTRAPP.

PRAEFAMEN,

BREVEM OPERIS CONSPECTVM EXHIBENS.

§. I.

CVM animus mihi fuerit ſociorum jura & officia, inprimis perfecta, revocare ad principia juris naturalis, oportuit me eſſe ſolicitum de doctrinis generalioribus de jure ſociorum, generatim ſumtorum, unde mihi licuit cognoſcere jura & officia, ad quamcunque ſocietatem applicari apta. Notum eſt, omnia, quæ in cognoſcendis rebus rationi pervia ſunt, vel ex earum generibus, vel differentiis ſpecificis, intelligi poſſe. Hac ratione enatum eſt ſpecimen primum.

§. II. Sunt qui putant, conglutinari poſſe ſocietates citra pactum, §. 45. 273. Hinc in definitione ſocietatis, §. 1. tradita, a pacto abſtrahere volui. Mea enim non intereſt, utrum quis affirmet omnes ſocietates eſſe pactitias, an ſecus. Sufficit me demonſtraſſe §. 43. easdem non eſſe perfecte obligatorias, niſi pactione juſta ſtipatas.

§. III. Quinam ſit finis ſocietatis communis ſeu bonum ejusdem commune, in genere ſumtum, §. 6. determinavi. Ex illo enim concipere nobis dantur proprietates ſocietatum generales,

§. IV. Ad attributa ſocietatum communia pertinere mutuum adjutorium, §. 15. condocui. Vnde patet, quod illud haberi non poſſit pro attributo proprio alicujus ſocietatis ſpecialis.

§. V. Revocatio juris ſocialis ad jus naturale individuorum exegit, ut ſimilitudinem, quæ ſocietati integræ cum homine ſingulari intercedit, demonſtrem; id quod factum eſt §. 17. Ob hanc ſimilitudinem §. 34 jus ſocietatum cum aliis pronuncio jus naturale ſingulorum ad ſocietates integras applicatum.

§. VI. Ejusdem applicationis adſtruendæ nova ratio pateſcit ex eo, quod homines, in quamcunque ſocietatem coaleſcentes, non deſinant eſſe homines, ſed tales potius eſſe permaneant, id quod patet ex definitione ſocietatis §. 1. Vnde conſequitur, ut homines, in ſocietatem quamcunque coeuntes, retineant jus naturale ſingulorum.

§. VII. Et hac idea juris ſocialis deduxi ejusdem principia §. 34. ſeq.

§. VIII. Cur ſocietates dicantur corpora moralia, §. 19. quæ ſit earum vita, quæ perduratio, quæ mors, & quæ ex earum limitationibus cooriantur, §. 20. usque ad §. 31. commonſtravi.

§. IX. In tota hac materia præcipue notandum, ſociorum omnes obligationes perfectas, omniaque jura adventitia, non niſi pactitia eſſe, §. 46. Ex hac propoſitione momentoſa & ex jure pactitio enatæ ſunt doctrinæ, §. 51. ſqq. propoſitæ.

§. X. Officia & jura, ſocietatibus, in ſtatu naturali viventibus, tribuenda, in §. 93. usque ad §. 101. annotavi.

§. XI. In ſocietate aliqua eſſe facultatem paciſcendi phyſicam, §. 104. commonſtravi, eamque per pacta obligari perfecte, & certa jura nanciſci poſſe, §. 108. condocui.

§. XII. De modo decidendi negotia, in ſinu ſocietatis obvia, egi § 110. ſeq. & §. 115. demonſtravi, vi conventionis concluſum, numero votorum majori ſuffultum, æquiparari

conclu-

conclusô totius societatis. In sequentibus §§. usque ad finem commonstravi, societatem integram edere posse actiones imp[illegible]biles.

§. XIII. In specimine secundo proposui duas societates simplices, conjugalem quippe & paternam, idque ob nexum naturalem, quem inter illas deprehendimus. Finem matrimonii, naturæ, nutui divino & dictamini rationis conformem proposui §. 124 seq.

§. XIV. De sodomia §. 144. de fornicatione §. 157., de stupro §. 158., de polyandria & polygynia §. 158. seq. de matrimonio conscientiæ §. 166. de conjugio ad Thalac § 167. de matrimonio ad Morganaticam §. 170. de concubinatu, §. 169. egimus principiis rationis convenienter.

§. XV. Obligationes perfectas conjugum, quâ talium, eorumque jura perfecta non nisi pactitia esse, ex §. 173. patebit. Fidei conjugalis violationem esse læsionem perfectam, §. 175. condocui. Sponsalia, distinguenda a pacto de despondendo, & jura desponsatorum in §. 176. seq. proposui. Consummationem matrimonii symbolicam, qualc est conscensio lecti genialis per procuratorem celebrata, esse justam, eique recte tribui effectus juridicos, §. 184. & 196. evici.

§. XVI. Imperium alterius conjugis in alterum non nisi ex pacto conjugum repetendum esse, si statum naturalem spectaveris, ex §. 189. perspicitur.

§ XVII. Quid sit adulterium, illudque esse læsionem perfectam in §. 193. & societatem conjugalem solvere, nisi pars læsa in redintegrationem matrimonii consentiat, in §. 195. 197. illudque a sponso, sponsave committi non posse, in §. 194. docuimus.

§. XVIII. Jus naturale in prolem, utrique progeneratori tribuendum §. 201. evinco cum GROTIO aliisque ex facto generationis. Liberos considero tanquam SVVM COMMVNE parentum, quâ con causarum sociarum, §. 200. *Quod ex aliquo ortum est, id ei quasi proprium est.* Sunt verba ARISTOTELIS *Ethic. ad Nicom. L. VIII. c. XII.* Summe

 Rever,

Rever. REINBECKIVS *in den Betrachtungen über die Augspurgische Confession, Medit.* 21. §. 30. utitur hisce verbis: *Die Kinder sind der Eltern natürliches Eigenthum, indem sie von ihrem Fleisch und Blut abstammen.* Conf *Vol. I. Dispp.* B. COCCEII *disp. XXVIII. de Jure Generationis.*

§. XIX. Prognati quâ homines, habent jura connata, quæ violare nefas est. Vnde §. 204. deduximus, quod parentes nullo jure gaudeant enecandi prolem, ejusque corpus vel vulnerandi vel mutilandi. Nec parentibus integrum esse proli eripere jura vel bona, aliunde sibi acquisita, §. 206. adstruximus. Hinc patet, sobolem esse SVVM PARENTVM, non ad perdendum vel corrumpendum, sed ad conservandum, custodiendûm & perficiendum, h. e. educandum, §. 210. Hac ratione terminus SVI ab idea scabrosa, a quibusdam cum eo combinata, liberatur.

§. XX. Parentibus patriam potestatem §. 212. & *imperium* in liberos, *naturale* nuncupari solitum, vindicavi §. 213. ejusque limites §. 214. satis determinavi. Liberorum obligationem perfectam ad obsequium parentibus exhibendum demonstravi, hujusque terminos definivi § 223. seqq. Liberos sine accedente parentum consensu per pacta obligari non posse, §. 235. evici.

§. XXI. Parentibus quidem competere jus pro arbitrio suo instituendi liberos in sua religione, minus tamen eos cogendi ad eandem, ex §. 238. 239. manifestum est.

§ XXII. Subjectionem liberorum naturalem, imperio parentum respondentem, §. 244. commonstravi, additis tamen limitibus in §. 247.

§. XXIII. Vtrum parentibus jus competat vendendi liberos, § 250. enodavi.

§. XXIV. Quibus casibus patria potestas exspiret, secusve, §. 251. 252. condocuimus. Licet hæc potestas, & cum ea copulata coactio exspiraverit, attamen nec amorem parentum & liberorum mutuum, nec horum reverentiam, illis debitam, ob id tolli, si dictamen rationis audiatur, §. 234. subindicavi.

§. XXV.

§. XXV. Si jus naturale & statum congenerem spectaveris, mortuo patre mater tutrix liberorum dici non potest, §. 259. idque ob communionem juris, parentum utrique competentis.

§. XXVI. Nemo in statu naturali parentes cogere potest ad educandam sobolem, §. 264. Sed si parentes inter se de educatione prolis pacti fuerint, eorum alteri subnascitur jus cogendi alterum ad ferenda onera educationis §. 265. De parentum pactis injustis, quae liberos respiciunt, egi in §. 268. 269.

§. XXVII. Eripere parentibus liberos, vel sub obtentu religionis diversae, nefas habetur §. 277. 283.

§. XXVIII. Casus, quo cessat parentum jus instituendi liberos in religione, in §. 286. adductus est. Sed licet hoc jus exspiraverit, non statim tamen cessare totum jus paternum & jura ei annexa, §. 287. commonstravi.

§. XXIX. Parentes jure gaudent repetendi sumtus educationis a liberis §. 293. Nec dotem pro debito legis naturalis cogentis haberi, nec portionem legitimam ejusdem Juris Naturalis esse, §. 304. 305. annotatum est.

§. XXX. In specimine tertio ad societatem dominicam progredior. In §. 307. ejus originem & occasionem profero, illiusque finem communem §. 308. evolvo, idque varia ratione.

§. XXXI. Dominorum & servorum obligationes & jura non nisi pactitia esse, §. 311. evinco. Illas & haec pluribus recensere supervacaneum puto. Suffecerit jam commemorasse potiora.

§. XXXII. Materia de servis, mercede conductis, nihil vel parum difficultatis habet. Sed quaestio, utrum dominus, quâ despota, jure polleat pro arbitrio interficiendi servum, utut pacatum? Negativam tueor §. 336. seq. idque variis modis. Hoc pacto jura, despotae juxta ideam proprietatis competentia, & §. 358. enumerata, tolerabiliora efficiuntur, si jus naturae spectaveris, praecipue cum in alie-

natione & venditione servorum propriorum illi non considerentur ut res externæ, sed nil nisi jura dominica in alium transferantur, §. 361. Horror etiam, qui alias ex contemplatione servitutis subnascitur, evanescit, si perpendamus, despotæ jus abutendi, quod alias domino in rem externam competit, in servum tribuendum non esse, §. 369. Mores quarundam gentium, utpote qui ex Jure Gentium dijudicandi veniunt, & consequenter pro illius principio haberi nequeunt, §. 367. 1898. heic loci, ubi de jure quæstio est, attendi non merentur.

§. XXXIII. Mancipia ope pacti obligari non posse, §. 375. nec eis integrum esse inire conjugium sine vel citra consensum domini, §. 376. evictum est.

§. XXXIV. Quà ratione Juri Naturali & Gentium convenienter suboriri possint gentes servæ, §. 377. seq. condocuimus.

§. XXXV. Servis quibuscunque etiam fieri posse injuriam, id cum B. GVNDLINGIO contra HOBBIVM in §. 383. adnotavi.

§. XXXVI. Quæstionem, utrum liberi, durante servitute a servis propriis prognati, etiam servi proprii fiant? negavi cum B. BVDDEO contra B. GVNDLINGIVM §. 386. Despotis tamen jura, quæ servis propriis, quà parentibus, alias in prolem vindicantur, tribuenda esse, §. 388. adstruximus, unde & obligationem perfectam, in servorum liberis oriundam, ad operas & labores, in utilitatem domini, suscipiendos, §. 389. deduximus.

§. XXXVII. In specimine quarto exhibetur jus familiæ, in statu naturali consideratum. Quæ familiis occasionem & originem dederint, §. 399. adnotavimus.

§. XXXVIII. Cum familia sit species societatis compositæ, §. 393. generalem doctrinam de societate composita evolvere volui. Demonstravi §. 405. societatem compositam esse diversam a societatibus, ex quibus illa componitur, adeoque prorsus novam. Evici, §. 417. ex copulatione

tione duarum vel plurium societatum pactitiarum subnasci obligationum & jurium, ex illis oriundorum, conjunctionem, ex qua progenerari jus compositum, quod a quolibet jure partiali diversum est & novum, §. 419. commonstravi. Ejusmodi jus novum producit novos effectus, qui ante unionem jurium non conspiciuntur. Sic Regi Magnæ Britanniæ ob Angliæ & Scotiæ unionem nova jura tribuenda sunt, quæ principi, cujus regna hac ratione unita non sunt, competere negantur.

§. XXXIX. Quid sit jus familiæ, §. 423. definivi. Illud esse diversum a jure conjugum, a jure paterno & a jure dominico, si hæc jura separatim spectaveris, §. 424. condocui. Idem jus non, nisi ex duobus tribusve juribus jam commemoratis & unitim sumtis concipi posse, ex §. 426. manifestum erit.

§. XL. In §. 428. seq. casus determinavi, quibus jus familiæ subnasci possit. Idem jus œconomicum esse jus mixtum & compositum, ex juribus, diversos fontes, qui sunt fines diversi societatum simplicium, habentibus, ex §. 441. perspicies.

§ XLI. Jura patrumfamilias speciatim recenseo §. 444. seq. & præcipue imperium domesticum, obsequium & subjectionem domesticorum § 449. seq. determino.

§. XLII. Liberos majorennes, licet illi egrediantur patriam potestatem, adhuc tamen manere posse in familia, hujusque intuitu eorum obligationem externam erga parentes, quo patres-matresve familias, salvam perdurare, ex §. 461. intelligitur.

§. XLIII. In specimine quinto contemplor societatem maxime compositam, civitatem quippe, ejusque jura. Rationes, cur homines & integræ societates minores, in majores & maxime compositas ductu naturæ coalescere potuerint, perpendo in §. 473. easdemque in §. 476. ad securitatem & sufficientiam, quà fines communes, reduco.

§. XLIV. Quid sit securitas, §. 477. seq. quid sufficientia,

entia, §. 482. quid bonum commune vel publicum, quid calamitas publica, §. 486. definio.

§. XLV. Notionem civitatis & civium §. 492. formo. Causas non contemnendas, cur CIVEM cum HERTIO aliisque laxius sumserim, §. 493. 530. 531. 532. 533. 534. satis, ut puto, exposui.

§. XLVI. Rempublicam cum HUBERO a civitate §. 497. distinguo, tanquam animam a corpore. Et ut civitatem a systemate civitatum seu a civitatibus fœderatis discriminarem, de hisce §. 500. 506. seq. egi, eamque ob caussam §. 503. notionem fœderis Huberianam, ejusque attributum præcipuum §. 504. affero. Hac ratione in Scholio §. 508. systema civitatum seu nexum, qui est inter civitates fœderatas, a nexu civili, qui in civitate conspicitur, distinguere mihi licuit.

§. XLVII. Bonum civitatis commune & publicum §. 509. securitatem civitatis publicam §. 513., jus civitatis §. 518., jus civitatum seu gentium, inter se consideratarum, §. 519. 520. definio, & Jus Gentis a Jure Gentium §. 522. distinguo. Quid sit civitas independens §. 524., & cur civitas dicatur libera §. 525., quid imperium civile §. 526., & cur illud commune nuncupetur §. 526., quid summitas imperii, § 527. explicui.

§. XLVIII. Majestatem per summitatem imperii civilis §. 528. definio. Ex hac notione successive jura majestatica determino in sequentibus. Quid imperantes summi, in eodem §. determinatur.

§. XLIX. Vt civem, ita & statum civilem laxius accipere debui §. 535.

§. L. Systemati civitatum, quà tali, cur majestas non tribuatur, licet civitas quælibet fœderato majestate gaudere debeat, & cur systema civitatum integrum respublica quidem fœderalis, minus tamen civilis appellari possit, ex §. 541. perspicuum erit. Veritatem asserti inspicies, si ad Belgium fœderatum, ad Helvetiam fœderatam, ad civitates Achaicas,

copu-

copulatim ſumtas, reflexeris. Civitati ejusmodi fœderatæ percuſſo fœdere majeſtatem detractam non eſſe, id ex jure fœderum magis pateſcet.

§. LI. Imperium civile ab imperio maritali, paterno, dominico & œconomico diſtinguendum eſſe, §. 543. condocui.

§. LII. Principia Juris Naturalis, ad respubl. ſpectantis, §. 547. ſeq. propono & §. 858. ſeq. corroboro.

§. LIII. Notionem MAJESTATICI §. 554. exhibeo & §. 558. magis evinco. Inde definitionem juris majeſtatici determino §. 555.

§. LIV. Jura majeſtatica eſſe pactitia, §. 572. demonſtro, & in Scholio §. 1493. GVNDLINGIVM conſentientem adduco. Vnde §. 575. infero, ſolum pactum eſſe titulum juſtum acquirendi imperium civile ſummum ſeu majeſtatem.

§. LV. Cur in ſummis imperantibus veneranda nobis ſit divina providentia, & cur majeſtas & ordo imperantium & parentium a Deo repeti debeat, §. 578. indicavi.

§. LVI. Principia ſpeciminis primi ad modum contrahendi & conſummandi civitatem pactitiam, ad modum promovendi bonum publicum & determinandi leges, quibus illud obtineri poſſit, ad modum expediendi negotia, in ſinu civitatis obvenientia, ad terminos jurium & obligationum imperantium & parentium, §. 584. ſeq. applicui.

§. LVII. Quænam ad juſtam imperii translationem requirantur. §. 618. ſeq. in medium profero, & §. 632. diviſionem majeſtatis in perſonalem & realem rejicio.

§. LVIII. Pacta, quæ in conſtituenda civitate aliqua ſuboriri ſolent, & quorum primum pactum unionis & ultimum ſubjectionis vocatur, §. 639. enumeravi, & §. ſequenti adnoto, ab ultimo pacto ad pactum unionis recte concludi.

§. LIX. Injuſtam imperii civilis acquiſitionem §. 646. indicavi, unde in tyrannidem titulo, ſeu invaſionem regni incidi, quam §. 648. definio, & a tyrannide exercitio §. 658. diſtinguo. Notionem tyranni §. 660. evinco, & totam do-

ctrinam a §. 648. usque ad §.710. omni cura exponere conisus sum,&§.661.662.adnotavi,quæ ad judicium sincerum de tyrannide exercitio ferendum requirantur, & quinam principes pro tyrannis exercitio haberi non mereantur, §. 666.697. seq. commonstro.

§. LX. Quomodo invasor regni degeneret in usurpatorem regni, §. 650. determino,& de pacto populi cum utroque §. 652. seq egi. Usurpatores regni a tyrannis exercitio §. 664. distinguo.

§. LXI. Cum tyrannus justitiam expletricem insigniter violet,de justitia principis & externa & interna §. 669. seq. ago, & conceptum ejusdem §. 671. evinco, nec non principum jus recurrendi ad exceptiones a regula in collisione legum determino §. 678. seq., & quam difficile sæpius sit ferre judicium sanum de justitia principis,in §.694. indico.

§. LXII. De administratione §. 711. seq. egi. Ad eam requiri pactum, §. 712. demonstro,& quæ sint jura & obligationes perfectæ administratoris,ex §.714. seq. perspicuum est. Hanc doctrinam ad administrationem regni §. 718. sq. applico,& imperantes summos haberi non posse pro regni administratoribus §. 722.evinco.

§. LXIII. Imperii civilis summi indolem §. 725. seq. magis evolvo. Illud copulatum cum jure perfecte obligandi cives, ut actiones normis, ab imperante præscriptis attemperent, §. 731., & cum jure ferendi leges civiles §. 732. ostendi, & §. 733. potestatem, a prudentia legislatoria distinguo.

§. LXIV. *Obligationem civilem* pono in nexu metus cum actionibus civium subjectorum, §. 734., seu in nexu pœnarum,ab arbitrio imperantis dependentium,cum actionibus civium, §. 781., eamque sola coactione civium subjectorum renitentium absolvi, 783 evinco. Quo ipso ab illa distinguitur obligatio in genere, §. 300. Exerc. definita, & ab obligatione naturali, cum in hac etiam connexio spei cum actionibus hominum deprehendatur. Obligatio civilis,

vilis, qua species, ab obligatione in genere, & ab obligatione naturali, qua conspecie, est discriminanda. Hinc probe notandum, quod obligatio civilis per nexum motivi cum actione, per quem obligatio in genere a WOLFFIO recte explicatur, non sit definienda.

§. LXV. De subjectione civili §. 751. seq. actum est, eamque jacturam libertatis naturalis non nisi partialem efficere §. 772., a subjectione liberorum & servili discriminandam esse, §. 754. ostensum est. Species subjectionum §. 756. adduxi.

§. LXVI. Libertatem, civibus subjectis tribuendam, esse libertatem naturalem limitatam, §. 776., & imperium summum esse conjunctum cum jure circumscribendi libertatem naturalem civium subjectorum, §. 777. condocui.

§. LXVII. Leges civiles nonnisi cogentes esse, §. 785. evinco, & semper stipatus esse sanctione pœnali, §. 788. affirmo.

§. LXVIII. Imperium civile eo tantum tendere, ut cives subjecti saltem in disciplina externa contineantur, ex §. 797., idemque esse fontem unicum omnis coactionis, obligationis, legislationis & sanctionis pœnalis civilis, ex §. 799. perspicuum est.

§. LXIX. Leges naturales non-cogentes in leges civiles, quæ non nisi cogentes sunt, & consequenter officia alias humanitatis in officia stricte debita ope legis civilis converti posse, ex §§. 805. & 806. patebit. Si jus naturale spectaveris, ab alicujus arbitrio & humanitate dependet, utrum velit tutelam pupillorum in se suscipere, id quod patet ex doctrina de auxilio, aliis ferendo. Sed in republ. princeps jure gaudet convertendi ejusmodi amoris officium in officium perfectum, idque ob salutem publicam.

§. LXX. Nullum alium modum conversionis officiorum imperfectorum in officia perfecta cognosco nisi pactum, §. 810.

§. LXXI. De licito & illicito civili, nec non de eo, quod civiliter permissum censetur, ago §. 812. seq. Et dari leges

leges civiles permittentes, easque nullam involvere contradictionem, §. 849. adstruo.

§. LXXII. Leges civiles jure non possunt contradicere legibus naturalibus, §. 864. seq. Et §. 893. ostensum est, legem & obligationem civilem, si rationis dictamen audiamus, in genere contendere ad custodiam Juris Nat. civibus inculcandam, intuitu & civitatis & con-civium, & aliarum rerumpublicarum, earumque civium & quorumcunque aliorum hominum. Necessitatem LL. civilium §. 899. condoceo.

§. LXXIII. De abrogatione LL. civilium §. 900. seq. ago, & solos imperantes summos jure pollere abrogandi leges civiles, eisque derogandi, §. 832. demonstro, dummodo id fiat sine injuria aliorum, §. 950.

§. LXXIV. Quibus casibus leges permissivæ præferri debeant legibus præceptivis vel prohibitivis, ex §. 960. seq. elucescit.

§. LXXV. Quod LL. civiles permittentes aliquid quod a Legibus naturalibus prohibetur vel præcipitur, non tollant LL. naturales, earumque obligationem, §. 970. 971. demonstravi. Unde deductum est, §. 972., quod LL. civiles permittentes non abrogent LL. naturales, quibus id, quod civiliter licitum est, vel præcipitur, vel vetatur.

§. LXXVI. Ad generalem tractationem LL. non scriptarum §. 978 transeo. Dari leges civiles, quæ sunt consuetudines, & obvenire consuetudines, quæ habitum legum civilium induunt, §. 992., & consuetudines ejusmodi posteriores abrogare leges priores, eis contradicentes, §. 1010. demonstro.

§. LXXVII. Imperantes summos jure gaudere non tolerandi actiones civium, eorumque pacta, fines & societates harumque leges, quæ saluti communi repugnant, §. 1025. seq. adstruo. Hinc & nullam societatem in civitate conglutinari posse independenter ab imperio civili summo, §. 1029. manifestum est. Unde & principi vindico jus inspiciendi

ejus-

ejusmodi pacta, societates, normas seu statuta, eaque confirmandi, §. 1023.

§. LXXVIII. Progredior §. 1024. ad jus circa sacra, Eam ob causam ideam ecclesiæ & cultus divini externi non minus qnam interni §. 1028. 1029. formo, & §. 1031. evinco, ecclesiam esse imperii impatientem & cœtum liberum, & quorsum hac libertas se extendat, §. 1032. demonstro, nec minus ad jus circa sacra §. 1040. seq. applico, quæ vi §. præcedentis juri principum tribuenda sunt, interspersis tamen iis, quæ in ejusmodi materiis cautionem necessariam inculcant.

§. LXXIX. Principi, eidemque soli, §. 1053. vindico jus prohibendi disseminationem doctrinarum, quas judicat esse saluti publicæ nocivas, & §. 1057. jura principis circa ecclesiam strictim propono.

§. LXXX. Ad potestatem civilem judiciariam, eandemque summam in negotiis & civilibus & criminalibus §. 1058. seq. me converto, & §. 1062. demonstro subjectorum obligationem submittendi se, suasque actiones & controversias judicio principis summo, in eoque acquiescendi.

§. LXXXI. Causas controversiarum justificas in foro externo esse solas læsiones, & solas violationes τῦ Suum Cuique, §. 1067. commonstro. Hinc de svo civiliter tali a quo SVVM naturale distinguendum est, nec non de læsionibus civilibus §. 1084. seq. actum & simul ostensum est, §. 1090. seq. dari læsiones naturales, quæ simul civiles sunt, & §. 1093. 1094. 1095. demonstratum est, dari læsiones civiles, quæ naturales non sunt, & occurrere læsiones naturales, quæ pro civilibus non habentur, id quod etiam de causis coutroversiarum §. 1097. seq. annotatum est.

§. LXXXII. Jus puniendi delicta civium §. 1102. sqq. qua fieri potuit cura prolixe satis, ut puto, proposui. Delictorum notionem distinctam §. 1106. efformo, quæ §. 1214. in definitionem convertitur. Indolem & finem pœnarum §. 1103. 1105. 1109. 1129. 1130. 1131. 1134. 1137. 1149. ob oculos pono.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII. Quæ pœnæ fini fint proportionatæ, quæ minus §. 1116. 1117. ſeq. multiplici ratione determino. Eas in republica debere eſſe delictis proportionatas, §. 1159. demonſtravi, & principi jus vindico recurrendi ad pœnas, fini proportionatas §. 1152. ſeq.

§. LXXXIV. De imperantium obligatione puniendi delicta, nec non quousque illa pateat §. 1161. ſeq. condoceo, eorundemque jus delictis concedendi veniam §. 1177. ſubjungo. Obligationem perfectam, quæ huic juri & in populo ſubjecto & in delinquentibus reſpondet, §. 1178. ſeq. demonſtro. Et ſi cui obligatio delinquentinm perferendi pœnam videatur juſto durior, is indolem obligationis civilis paſſivæ ſumtæ, quæ vi §. 1181. in ſola coactionis civilis perpeſſione conſiſtit, ſecum perpendat. Heic loci quæſtio non eſt de ſpontanea pœnæ promeritæ perpeſſione, de qua GVNDLINGIVS & BARBEYRACIVS diſputarunt.

§. LXXXV. Et cum in hac materia cum THOMASIO aliisque a jure principis perfecto ad obligationem delinquentium congenerem concludam, & GVNDLINGIVS negata obligatione delinquentium in dubium revocaverit hujus argumentationis univerſalitatem, quam & aliis objectionibus ingenioſis impugnare anniſus eſt, haſce omnes, quas in Jure N. & G. in medium protulit, ex idea obligationis perfectæ hoc loco enodare allaboravi.

§. LXXXVI. Cum delicta ſint actiones civium demeritoriæ, §. 1209. ſeq., naturam demeriti & civilis & naturalis propius conſidero, quæ doctrinæ etiam de imputabilitate actionum ad pœnam valere debent. Unde concipere nobis datur, quibus caſibus delictum locum habere non poſſit.

§. LXXXVII. Dari demeritum culpoſum non minus quam doloſum, §. 1245. ſeq evinco. Id quod ad delicta applicatur.

§. LXXXVIII. Satisfactionem ad pœnam diſcernendam eſſe a ſatisfactione ad reparandum damnum, §. 1275. demonſtro, & juſtitiam principis & externam & internam, in exer-

exercitio juris puniendi delicta conspicuam, §. 1277. seq. evinco.

§ LXXXIX. Quid habendum sit de jure imperantium eminenti extraordinario, ex §. 1291. patebit.

§. XC. Imperantes summos nullius hominis imperio subesse, §. 1295. seq., eosque vivere in libertate naturali, §. 1299., nec eis omnibus, quæ ex imperio civili, qua tali, descendunt, subjectos esse, §. 1303. ex idea summitatis imperii demonstravi.

§. XCI. Principes, solutos licet legibus humanis, ad leges naturales & divinas observandas obligari, ex §. 1304. perspicitur. Hinc & licitum, illicitumve, nec minus honestas & justitia, quæ tribuuntur eorum actionibus, non nisi ex Jure Naturæ & Gentium ac divino dijudicari debent.

§. XCII. De eo, quod summis imperantibus licet, §. 1308. seq. disserui, & unde eorum justitia, vel injustitia æstimanda veniat, §. 1316. seq. indicavi.

§. XCIII. Eosdem ad rationes, populo subjecto vel aliis imperantibus reddendas, non teneri, §. 1318. condocui, nec minus eorum inviolabilitatem, vel laxius, vel strictius sumtam, §. 1321. seq. propugno, & regicidia cum ratione sufficienti detestor §. 1324.

§. XCIV. In specimine VI. ad jura diversarum reipubl. formarum transeo. Hasce § 1331. in genere determino, & §. 1332. evinco, diversas rerumpubl. formas nihil aliud esse nisi varias majestatis modificationes. Electionem formæ alicujus a sola pactione eorum, qui in civitatem coëunt, dependere, ex §. 1338. intelligitur.

§. XCV. In forma reipubl. simplici non nisi unicum, in mixtis vero formis diversa majestatis subjecta deprehenduntur §. 1343.

§. XCVI. Ex indivisibilitate majestatis reali, quam §. 1340. seq. affirmo, concipitur, cur diversa majestatis subjecta intuitu regiminis in nexu manere debeant §. 1345.

§. XCVII.

§. XCVII. Contemplor §. 1349. seq. imperium democraticum, in quo numerus patrum-familias, qui, conjunctim sumti, pollent juribus majestaticis, a pacto dependet §. 1351. Et cum in Democratiis τὸ κύριον penes populum universum sit, illum definio §. 1356., & nomine populi imperantis insignio.

§. XCVIII. Patresfamilias, in populo regnante existentes, si sigillatim spectentur, non esse imperantes, §. 1359., sed universo populo subjectos, §. 1360.

§. XCIX. Unde jura populi imperantis concipiantur, §. 1362. indico, & de obligatione patrumfamilias, qui sunt intra numerum populi regnantis, & qui sigillatim spectantur, §. 1363. seq. (ago.

§. C. Imperium §. 1365. in medium profero, quod democraticum quidem videtur, aristocraticum tamen est, si notionibus inhæseris.

§. CI. De jure comitiorum populo regnanti & patribus familias, qui sunt intra numerum, tribuendo §. 1378. 1379. de jure deliberandi seu consultandi, §. 1380., actum est. Quid sit voluntas & consensus populi imperantis, §. 1381. 1383., & quid sit conclusum ejusdem, §. 1383. seq. varia ratione determino, & §. 1396. demonstro jura annexa juris comitiorum, patribusfamilias, qui sunt intra numerum, vindicanda.

§. CII. Vota patrumfam. cur non æstimentur, sed numerentur, 1401. evinco, & commonstro §. 1403., unde modus & ordo in conveniendo, in deliberando, in ferendis suffragiis & in concludendo dependeat.

§. CIII. Cur ex pluralitate votorum conclusum populi universi subnasci possit, §. 1407., & cur in parilitate votorum nihil concludatur, §. 1408. rationem sufficientem affero, & tandem obligationes & jura, ex præcedentibus oriunda, annecto §. 1413. seq.

§. CIV. De imperio aristocratico §. 1421. seq. actum &

& §.1445. demonstravi, ope principii reductionis ea omnia, quæ de regimine democratico evicta sunt, ad senatum optimatum applicari posse.

§. CV. Quid sit principatus, eumque imperium aristocraticum non tollere, §. 1429. determinavi.

§. CVI. Ad imperium civile, absolute monarchicum §. 1464. progredior, illudque §. 1482. definio, præmissis doctrinis de limitato & illimitato.

§. CVII. Jura Monarchæ absoluti §. 1490. seq. indico, eumque, quà talem, pro tyranno haberi non posse, §. 1494. demonstro. Monarchomachorum propositiones §. 1497. profero, easque ex principiis præviis refello.

§. CVIII. Imperium dominicum seu despoticum §. 1498. determino, & despotice imperantium jura §. 1501. seq. enumero, eorumque limites §. 1508. indico. Et cum is facultate polleat uniendi regnum dominicum cum aliis regnis, idque sub hypothesi §. 1506. adjecta; de unione regnorum incorporativa, quæ unioni fœderali contradistinguitur, §. 1502. seq. actum est.

§. CIX. Imperium civile absolute monarchicum non esse imperium despoticum, §. 1511. demonstro, regnumque dominicum peculiarem formam reipubl. non esse, cum aliis §. 1514. affirmo. Nec despotice imperantem statim condendum esse cum tyranno exercitio, §. 1518. evinco. Quid de majestate despotice imperantis judicandum, id §. 1519. monui.

§. CX. Imperium limitatum §. 1520. seq. considero, illudque §. 1522. definio.

§. CXI. Regi in regno limitato majestatem eodem jure tribuendum esse, quo ea monarchæ absoluto tribuitur, §. 1529. & quod dentur imperia civilia summa limitata, §. 1530. 1535. demonstro.

§. CXII. Dari conditiones pactitias, Regi observandas, quibus ei summitas imperii nullo modo adimitur,

§. 1535. evici. Conditiones, quæ cum ſummitate impe, rii conſiſtere nequeunt, §. 1536. adduco, illasque pro conditionibus, quibus exercitium imperii ſummi attemperari poſſit, habendas non eſſe, §. 1537. demonſtro.

§. CXIII. Abſurdum, quod in imperio civili ſummo *limitato* latitare HOBBESIVS exiſtimavit, §. 1528. deſtruitur, & dari monarchias limitatas, §. 1530. evinco.

§. CXIV. De attributis, quæ ex ſummitate imperii concipiuntur, & quibus imperantes limitati æque ac imperantes abſoluti coruſcant, quæque commonſtrant, ſuprematum ſeu majeſtatem in Rege limitato depreſſiorem non eſſe, quam in Rege abſoluto, §. 1540. 1541. actum eſt. Differentia ſpecifica non efficit, ut in ſpecie deprehendatur genus depreſſius & imminutum, quam in alia co-ſpecie quacunque.

§. CXV. Promiſſa & jurajuranda principum §. 1543. in medium profero, quæ regnum abſolutum adhuc ſalvum relinquunt.

§. CXVI. Licet leges fundamentales & capitulationes imperium limitatum efficiant, eæ tamen ſummitati imperii ſeu majeſtati nihil detrahunt, §. 1546. Et ſi ſummitas imperii dicatur Gallis *ſouveraineté*, per ſcholium 2. §. 1546. ad hanc applicari poſſunt, quæ de illa jamjam demonſtrata ſunt. Hoc reſpectu, perdurat *ſouveraineté* ſemper eadem, pactis fundamentalibus vel capitulationibus ea limitata ſit, nec ne, per ſchol. 1. §. 1546. Vnde infero Reges limitatos æque ac abſolutos ſtylo Gallico recte appellari *princes ſouverains*, licet contigerit, quod vocabulum Gallicum etiam ſignificatu ſtrictiori ſumatur.

§. CXVII. Jura & obligationes principum limitatorum §. 1547. ſeq. enumero.

§. CXVIII. In ſpecimine VII. jura Gentium, inter ſe ſpectatarum, contemplor. Jus Gentium eſſe jus naturale ſingulorum, ad gentes applicatum, §. 1570. demonſtro, &

cur illud a GROTIO Jus Belli & Pacis dicatur, §. 1573. indico.

§. CXIX. Principia Juris Gentium §. 1547. seq. stabilio, & principia juris imperantium, inter se consideratorum, ad ea revoco §. 1579.

§. CXX. Jus Gentium & latius, & strictius sumtum, esse jus divinum, nec adeo cum ullo jure humano confundendum esse, §. 1584. affirmo, illiusque custodiam cum illustratione gloriæ divinæ copulatam esse, §. 1585. evinco.

§. CXXI. Gentibus, in statu naturali viventibus, officia absoluta non minus quam hypotheca tribuo, §. 1588.

§. CXXII. Populorum, in eodem statu viventium, æqualitatem omnimodam respectu & imperii & dignitatis §. 1589. evinco, & §. 1590. recenseo causas, ad quas in vindicando sibi imperio in alias gentes vel in alio jure prærogativo sibi asserendo haud juste aliquando provocarunt populi quidam. Et cum non deficiant, qui Regi, multiplicata majestate coruscanti, jus præcedentiæ præ aliis, in quibus tanta multiplicitas, quam vocant, non conspicitur, tribuerunt, hanc rem schol. 1. 2. §. 1591. expendo. Nec Regi limitato minorem majestatis gradum tribuendum esse quam Monarchæ absoluto, & summitatem imperii, quæ majestas est, ab illius plenitudine cum scriptoribus nostri Juris distinguendam esse, eamque ob causam Rege absoluto proedriam præ limitato vindicari non posse, ex schol. 3. ejusd. §. manifestum erit.

§. CXXIII. Jus præcedentiæ, vel alius prærogativæ, genti cuidam tribuendum, non nisi ex pacto vel expresso vel tacito gentium subnasci posse, §. 1592. evinco, & idem jus προεδρίας renunciationem juris æqualitatis præponere §. 1595. adstruo.

§. CXXIV. Jura, ex indole status naturalis oriunda, & in limine exercitationis V. Juris Nat. enumerata, ad gentes §. 1597. applico.

§. CXXV. Gentibus æqualitatem jurium, obligationum, & non-obligationum §. 1597. 1598. 1599. & majestatem §. 1604. vindico, licet titulus majestatis jure perfecto exigi non possit §. 1605. Eisdem etiam omnia jura majestatica eorumque exercitium liberum, ab aliis nullo mogo infringendum tribuo §. 1606. seq. Easdem non teneri ad rationes actionum suarum vel domesticarum vel transeuntium nisi coram tribunali divino & conscientiæ, §. 1611. demonstro. Easdem in hisce terris præter Deum nullum superiorem, §. 1602., nullum judicem, §. 1621., nullum imperantem vel civilem vel criminalem §. 1602. 1616. 1617. jure agnoscere demonstro.

§. CXXVI. Jus puniendi, ex imperio civili summo oriundum, nullum populum in alios populos sibi vindicare posse, & bellum punitivum rejiciendum esse, §. 1618. seq. evinco, eamque ob causam gentes earumque imperantes in hoc statu inviolabiles esse pronunciandos, §. 1624. evinco, nec eis arbitria alterius populi posse obtrudi, §. 1625. affirmo.

§. CXXVII. Quid habendum sit de republ. Gentium universali, nec non de earum societate congenere, §. 1628. 1629. de eo sententiam meam profero salvo judicio aliorum.

§. CXXVIII. Obligationem populi perfectam non turbandi pacem & securitatem gentium publicam, ejusque limites, §. 1630. seqq. determino.

§. CXXIX. Jus Gentium humanius §. 1645. definio, ad illiusque cultnm gentes non perfecte obligari, §. 1651. evinco. Quod neglectus illius dici non mereatur turbatio pacis publicæ, nec causa belli justifica, ex eodem §. patebit. De officiis gentium innoxiæ utilitatis §. 1646. seqq. actum est.

§. CXXX. Quid sit potentia gentis alicujus increscens tremenda, §. 1654. determino, eamque esse causam belli justificam, §. 1657. demonstro. Quid sit æquilibrium gentium, §. 1666. definitur, & §. 1667. evincitur, gentes jure gaudere continendi alias in æquilibrio.

CXXXI.

§. CXXXI. De justitia gentis respectu aliarum gentium §. 1671. actum est. *Licitum* gentium §. 1672. in genere determino, & Jus Gentium, stricte dictum, esse illius limitem, §. 1675. demonstro. Quo sensu status gentium naturalis non sit status licentiæ, & quod eis non omne, quod libet, liceat, §. 1681. condocui.

§. CXXXII. Si intuitu famæ gentibns tribuatur æqualitas, hanc non nisi in existimatione simplici ponendam esse §. 1683. demonstro, & ob quam causam gens aliqua contemtnm externum mereatur, vel minus, §. 1684. seq. condoceo. Quæ superbia gentis sit læsio perfecta, quæ secus, ex §. 1688. perspicitur.

§. CXXXIII. Progredior §. 1690. seq. ad JVS FOEDERVM & §. 1691. occasionem & originem pactorum, ab integris populis celebrandorum, propono, eosque habere facultatem paciscendi physicam, §. 1693. evinco.

§. CXXXIV. Quæ dicantur *pacta publica, traitez publics*, §. 1695. determino, qualia esse fœdera, §. 1698. commonstro. Quænam pacta fœderum nomine insigniri non mereantur, §. 1699. condocui.

§. CXXXV. Fœdera, quæ ad oppressionem gentium innocentium contendunt, injusta esse, dummodo oppressio juxta principia JurisGentium recte determinetur, ex §. 1703. perspicitur.

§. CXXXVI. Utrum fœderibus pactum commissorium jamjam tacite insit, §. 1707. expenditur.

§. CXXXVII. Divisiones fœderum §. 1710. seq. profero, & præcipue naturam fœderum amicitiæ §. 1711. seq. considero.

§. CXXXVIII. Jus celebrandi pacta publica, & consequenter jus fœderum esse jus majestaticum, §. 1726. demonstratur, & gentem fœderatam post fœdus percussum ab alterius gentis imperio independentem manere, §. 1729. evicimus.

§. CXXXIX. Fœderum æqualium & inæqualium definitiones & divisiones §. 1732. seq proponuntur.

§. CXL. Præcipue vero adnotandum eſt,quod vi §. 1763. in celebrandis pactis publicis & conficiendis fœderibus imperantes ſummi, iique ſoli, non minus pro ſe, quam pro populo ſuo, ſibi ſubjecto, paciſcantur. Vnde dijudicandum, in quos cadant obligationes fœderales, & quænam jura fœderalia illi nanciſcantur, §. 1766.

§. CXLI. Caſus, quibus fœdera perdurare poſſint inter reſpublicas diverſæ formæ, §. 1790. ſeq. in medium profero, eamque ob cauſam de perduratione ipſarum civitatum §. 1768. ſeqq. ago, & quo ſenſu civitates dicantur immortales, §. 1777. declaravi. Cauſas exſpirandorum & renovandorum fœderum §. 1798. affero.

§. CXLII. Ad Jura Gentium læſarum vel injurias metuentium §. 1805. ſeq. progredior. Et ſi nullum aliud remedium mitius ſuperſit, gentibus liberis læſis jus competit arripiendi bellum, §. 1811. Et §. 1812. explico, cur gentes, earumve principes ſummi nullum alium judicem in rebus controverſis agnoſcant, niſi Deum & gladium.

§. CXLIII. De cauſis belli juſtificis & minus juſtificis ago §. 1813. ſeqq. Quæſtionem, utrum injuria, quæ genti vel imminet, vel jamjam illata eſt, det alteri cauſam belli juſtificam ad auxilium innocenti, qua tali, ferendum? §. 1818. ſeq. expendo.

§. CXLIV. Quibus tribuatur jus belli, & quibus ſecus, §. 1824. ſeqq. expoſui. Et cur populis, latrocinia exercentibus, jura belli non competant, §. 1841. ſeqq. rationes affero.

§. CXLV. Cur dicatur bellum juſtum, injuſtumve, §. 1847., cum aliis determino, & notiones §. 1848. ſeq. applico. Quod bellum publicum appelletur, §. 1860. definio.

§. CXLVI. Rationem belli, quæ eſt ſpecies rationis ſtatus, ſtrictius ſumtæ, a jure belli §. 1867. 1868. diſtinguo.

§. CXLVII. *Bellum offenſivum* & *defenſivum* definio §. 1874., & terminos ab æquivocatione §§. ſeqq. libero. Ab hiſce ideis dependent notiones fœderis offenſivi & defenſivi.

§. CXLVIII.

§. CXLVIII. Studium pacis tam ante articulum belli, quam eodem ingravescente & durante ex gentium belligerantium actionibus elucere debere, §. 1881., & gentem læsam vel læsiones metuentem obligatam esse ad remedia mitiora, eademque proportionata, durioribus præferenda, §. 1882. evinco.

§. CXLIX. Ad indictionem belli §. 1884. sqq. transeo, ejusque justitiam ab justitia belli derivo §. 1885. Quinam ex belligerantibus obligetur ad bellum alteri indicendum, §. 1888. seq. exposui.

§. CL. Quod licet hosti in hostem, id §. 1894. seq. omni cura expendo, & limites LICITI IN BELLO ex Jure Gentium §. 1897., nec adeo ex moribus earundem dijudicandos esse §. 1898. demonstro.

§. CLI. Id, quod licet hosti uni, licere & alteri, §. 1905. & 1911. demonstro, & præcipue evinco §. 1909., quod eousque LICITUM IN BELLO sese extendat, quousque pateat jus controversias ope armorum decidendi, nec minus §. 1926. 1927. ex præcedentibus doctrinam de eodem licito contraho.

§. CLII. Actus hostiles ab actibus crudelibus §. 1935. & 1938. distinguo, & verum decus indico, quod sectatur hostis generosus.

§. CLIII. In quos non licet id, quod alias in bello licet, §. 1948. seq. declaro.

§. CLIV. Ut ideam hostis magis evolverem, notiones belli §. 1942. seq, & certationis per vim §. 1953. seq. propius considero, & §. 1953. victoriam definio, ad quam obtinendam belligerantes decidendæ controversiæ gratia contendunt. Hac ratione factum est, ut hostes a non hostibus magis distinguantur, & id, quod licet in hostem, curatius determinetur & applicetur.

§. CLV. Quousque is, qui ab hoste mittitur, hostis sit, vel secus, §. 1062. seq. expendo.

§. CLVI. Studium partium (*die Theilnehmung*) §. 1082. definio, illudque §. 1986. in dianoëticum & bellicum distin-

 guo,

& utriusque attributa in sqq. considero,& paecipue §. 2011. demonstro, solum studium partium dianoëticum non esse causam belli justificam.

§. CLVII. Eos,qui generatim *medii, neutrales* seu *neutrarum partium* dicuntur,§. 2014. definio, & neutralitatem in indifferentiam judicii & neutralitatem bellicam §. 2019. distinguo,utramque in seqq. propius considero, & determino, quibusnam neutralitas bellica jure denegari nequeat, & quorum neutralitas bellica sit injusta.

§. CLVIII. Studium partium bellicum, idque perfecte obligatorium, non nisi ex pacto justo descendere,§. 1838. demonstratur, & custodiam neutralitatis bellicæ perfecte obligatoriam itidem non nisi ex pacto justo concipi, ex §. 2042. perspicitur.

§. CLIX. Evici §. 2048., quod, licet princeps quidam vi pacti mittat uni belligerantium copias auxiliares determinatas,eidem tamen neutralitas bellica tribuenda sit.

§. CLX. Officia & eorum,qui medii sunt, erga belligerantes, & horum erga illos, §. 2051. seq. recenseo.

§. CLXI. Attingo §. 2066. seq. pacta bellica & belligerantes obligari perfecte ad pacta ab illis,qua talibus, inter se celebrata, religiose custodienda, §. 2066. demonstravi. Quicquid violare non licet, ad illud observandum obligor.

§. CLXII. Ejusmodi pactis utrum dolus repugnet, §. 2068., & metus, §. 2069. commonstratur.

§. CLXIII. Pacta bellica §. 2070. in publica & privata divido, & ad priora §. 2072. seqq. applico, quæ de pactis publicis superius demonstrata sunt, ac præcipue §. 2074. evinco, jus celebrandi ejusmodi pacta bellica publica esse jus majestaticum.

§. CLXIV. In celebrandis ejusmodi pactis bellicis publicis summos imperantes,eosque solos, non minus pro se, quam pro populo sibi subjecto,pacisci,§. 2078. demonstro.

§. CLXV. Sponsiones §. 2090. definio & simul evinco, rempublicam, cujus in gratiam eæ confectæ sunt, ex iis perfecte

perfecte non obligari. Quousque sponsoris obligatio sit extendenda §. 2090. commonstro.

§. CLXVI. In securitatem pactorum bellicorum dari solent pignora & obsides. Quo casu justum sit retinere pignora & obsides non dimittere, quo secus, §. 2092. condoceo.

§. CLXVII. Quaestionem, utrum ei, qui obsides accepit, jus eos interficiendi competat casu non servatae fidei? §. 2094 considero, & negativam amplector.

§. CLXVIII. Armistitia & inducias §. 2095. seqq. expendo, easque in universales & particulares §. 2097. distinguo, & §. 2100, demonstro, inducias a pace discriminandas esse.

§. CLXIX. Omnes inducias, perfecte obligatorias, consensum belligerantium requirere, §. 2102. demonstro, Obligationes & jura belligerantium, ex induciis subnascentia, §. 2104. seqq. affero, & §. 2106. de induciis, ad certam & determinatam causam factis, actum est.

§. CLXX. Habes hic, Lector Benevole, conspectum perbrevem systematis, in quo magis perpoliendo & provehendo, quamdiu Deus vitam & vires mihi concesserit, & quantum id permiserint labores reliqui academici, omnem curam & attentionem defigam. Re merae facultatis usus sum in hisce speciminibus in commodum Auditorum meorum elaborandis, neque adeo in quoscunque, qui hanc disciplinam meditationibus suis cum laude adornarunt, & a quibus me profecisse ingenue fateor, nec in eos, qui de illa amplificanda adhuc solliciti sunt, & quos colo atque veneror, injurium me esse arbitror. Conscripsi harum positionum nexum ab omni alios sectandi studio liber, non nisi inhaerens principiis, quae in sphaera IVSTI NATVRALIS autoritatem cum ratione sufficienti adepta sunt, antequam de consignandis hisce doctrinis cogitare mihi datum fuerit; id quod ex consensu virorum, de scientia, quam tracto, praeclarissime promeritorum, & quos hinc inde adnotavi, satis patebit. Equidem autoritate humana non indiget jurisprudentia naturalis, quae non nisi pars philosophiae practicae est, notum tamen est, quod

ratiocinia, quæ autoritate ſtipantur, efficiant,ut plurimi in vim argumentorum, ſyſtematice propoſitorum,intelligentiam lubentius intendant, atque veritati liberiorem relinquant aditum.

§. CLXXI. Cum ex indole Juris Naturalis cogentis ſeu expletorii perſpicerem, omnia officia juſti revocanda eſſe ad cuſtodiam τȣ̃ SVVM CVIQVE,tanquam principium juris noſtri domeſticum,maximopere lætatus ſum de conſenſu aliorum, inter quos eminet GROTIVS,qui injuſtitiæ naturam non niſi *in uſurpatione alieni* poſuit. Vnde manifeſtum eſt, eundem virum ſummum juſtitiæ naturam non niſi in abſtinentia alieni,& conſequenter in cuſtodia τȣ̃ SVVM CVIQVE quærere debuiſſe. Hoc ingenue indicavi §.XVIII. *Diſſertationis Proluſoriæ Jur. Nat.*

§. CLXXII. Campum materiarum ampliſſimum ingreſſus ſum. Quæ ratio ſufficiens eſt,cur excreverint ſpecimina, quæ eo lubentius in publicum prodire patior, quo magis hactenus optavi, ut a virorum, hujus juris intelligentium, judicio ſincero ſatius proficerem,licet non diffitear,fuiſſe haud paucos,quorum merita inſignia cum aliis obſervo, qui cogitata ſua doctiſſima hiſce de doctrinis mecum humaniter & cordate communicarunt, meque ad filum ſyſtematis promovendum inflammarunt.

§. CLXXIII. Qui perluſtraverit ſyſtema, haud difficulter experietur fœcunditatem doctrinarum, quibus in prælectionibus plures intertexere & ſuperaddere ſoleo, quasque augebo meditatis,in chartam jamjam conjectis,& enodationem rerum difficiliorum ſatisque vexatarum in ſe continentibus, ſi id quidem Deo viſum fuerit, cujus ſapientia omnia gubernat,& cujus benignitati infinitæ prorſus tribuo, quicquid boni in hiſce meditationibus deprehendatur. Valeas, L.B.,mihique faveas,& mecum reflectas ad nexum indivulſum,qui religioſo cultui legum naturalium,quæ divinæ ſunt cum illuſtratione gloriæ SVMMI NVMINIS intercedit. Dab. in Acad. Jenenſi m. Aug. A. R. S. CIↃ IↃCC XXXV.

SPECI-

Q. D. B. V.

SPECIMEN I. DE IVRE SOCIETATUM IN GENERE.

In allegatis littera E. vel syllaba Ex. denotat exercitationes I. N. & quæ se refert ad §§. sibi præfixos, reliqui numeri §§phos horum speciminum designant. Specimina interdum per S. vel per Specim. indicantur.

§. 1.

STatus, in quo duo vel plures finem aliquem communem obtinere conantur, SOCIETAS, & illi SOCII dicuntur, in quibus eiusmodi conatus deprehenditur. Quamdiu durat eiusmodi conatus in aliquo, tamdiu IS PERMANET SOCIVS, sed qualis ESSE DESINIT, si ille conatus vel in ipso exspiraverit, vel in conatum, fini communi contrarium, degeneraverit. STATVS, quem quis nanciscitur qua socius, SOCIALIS dicitur & OFFICIA atque IVRA, quæ in socios, qua tales, cadunt, SOCIALIA nuncupantur.

§. 2. SOCIETAS SIMPLEX dicitur, cujus membra sunt personæ singulares. SOCIETAS COMPOSITA appellatur, in qua deprehenduntur membra, quæ sunt societates inte-

græ. SOCIETATES COMPOSITAE sunt vel MINORES vel MAIORES. In illis membra sunt societates simplices; in his vero compositæ.

§. 3. Membra societatis sunt vel sibi æqualia, vel inæqualia. Dantur itaque SOCIETATES vel AEQVALITATIS vel INAEQVALITATIS. De æqualitate externa loquimur (§. 894. E.) Societas inter principem & subjectos est inæqualis. Talis etiam est inter dominum & servum, nec minus inter conjuges, si ope pacti imperium & jus potius in alterum paciscentem translatum sit.

§. 4. Idem objectum, a duobus vel pluribus sibi repræsentatum, quod illi existentiæ reddere vel ab eadem refrænare conantur, dicitur FINIS COMMVNIS (§. 510. E.).

§. 5. Socii de fine quodam communi obtinendo solliciti sunt (§. 1.) Hinc judicaturi de societate data ejus finem communem distincte introspicere debent.

§. 6. Ejusmodi finis vel amplificatio commodi communis vel declinatio incommodorum communium vel obtentio utriusque esse potest. Compendii gratia ejusmodi finem communem BONVM SOCIETATIS COMMVNE vocabimus. Quot dantur fines communes, tot concipi possunt societates.

§. 7. In Societate deprehendimus duorum vel plurium conatus mittendi finem communem in actum (§. 1.) Et cum eiusmodi conatus agendi sit voluntas (§. 505. E.), in societate dantur duæ vel plures voluntates, quæ ad finem communem, in actum mittendum, contendunt. Ejusmodi voluntates respectu finis obtinendi a se invicem separari nesciunt. *Unde societas unam voluntatem moraliter habere intelligitur* (§. 1540. E).

§. 8. Ob unam voluntatem, quæ rite tribuitur societatibus (§. 7.), *iisdem etiam unus intellectus tribuendus venit* (§. 166. & 61. E.).

§. 9. Societas itaque potest considerari tanquam ens, uno intellectu & una voluntate præditum (§. 7. 8.)

§. 10. In

§. 10. In uſu virium noſtrarum, internarum externarumve, continetur ratio exiſtentiæ finis. Sed id, in quo continetur ratio exiſtentiæ finis dicitur remedium (§. 511. E.): *Uſus ergo virium noſtrarum remedium finis eſt.*

§. 11. Voluntas efficax contendit ad arripienda remedia (§. 513. E.). Enimvero uſus virium noſtrarum remedium finis eſt (§. 10.); *Voluntas ergo efficax ad uſum virium contendit.* Id quod applicari poteſt ad volnntatem ſociorum.

§. 12. Voluntates ſociorum, quæ efficaces ſunt (§. 508. E.), ratione finis obtinendi a ſe ſeparari neſciunt (§. 7.). Sed voluntas efficax ad uſum virium contendit §. 11.); vires ergo, quibus utuntur ſocii, ratione finis obtinendi, ſeparari non poſſunt. Ob hanc inſeparabilitatem viribus ſociorum tribuitur unitas (§. 1540. E.). *Vires itaque ſociorum conſiderantur tanquam vis unica.*

§. 13. Socii ſibi mutuum adjutorium intuitu finis obtinendi præſtant (§. 720. E. & 11.).

§. 14. Dantur fines, quos homo ſingularis ſolis viribus ſuis vel plane non vel difficulter obtinere poteſt, niſi particeps fiat virium, & ex conſequenti auxilii aliorum (§. 720. E.). conf. §. 1. Polit. Ill. WOLFII.

§. 15. Dantur fines, quos homo ſingularis ſolus obtinere non poteſt ſine MVTVO ADIVTORIO aliorum, ubi quippe duo vel plures ſe invicem virium ſuarum participes efficiunt.

§. 16. Dantur fines, quos homines ſingulares conſequi vel plane non, vel non ſatis commode poſſunt, niſi intuitu eorum in ſocietatem coeant (§. 15. 13.).

§. 17. Societas poteſt repræſentari tanquam ens, uno intellectu & una voluntate præditum (§. 9.) Sed idem character deprehenditur in una perſona individua humana, in ſocietate ergo & una perſona ſingulari datur identitas characterum. Quæ cum dicatur ſimilitudo (§. 52. E); inter ſocietatem integram & unam perſonam concipitur ſimilitudo, ob quam adeo *ſocietas integra conſiderari poteſt*

A 2 *tan-*

tanquam persona singularis. Conf. §. 86. Exercitationum.

§. 18. Societates eo tendunt, ut unus fiat ex pluribus, id quod alias de amicitia cum PYTHAGORA pronunciavit CICERO Off. L. I. c. XVII. §. 12.

§. 19. ENS COMPOSITUM dicitur, quod ex pluribus, a se invicem distinctis, & inter se unitis, partibus constat. Ad societatem duo ad minimum homines singulares requiruntur (§. 1.), Duo vel plures ejusmodi personæ a se invicem distinctæ sunt, & unitatem admittunt (§. 17.) & ex consequenti tanquam partes considerantur (§. 1541. E.). Quæ ratio est, *cur societas, præcipue si ex pluribus membris constet, ceu compositum quid repræsentetur.* Enimvero cum corpora etiam composita sint (§. 242. E.); facile fieri potuit, *ut societates, quæ ex pluribus membris constant, corporibus æquiparentur.* Hinc SOCIETATES CORPORA MORALIA, MYSTICA dicuntur.

§. 20. Corpori physico tribuitur vita, morbus, mors & interitus. Quæ omnia etiam societatibus tribuuntur.

§. 21. Si ea, quæ in definitione societatis deprehenduntur, existentiam nanciscantur, VITA SOCIETATIS oritur.

§. 22. Vita societatis consistit in actuali unitate seu unione voluntatum & virium, ad finem communem obtinendum, tendentium (§. 21. 1. 7. 12.). Hanc ideam Ill. GUNDLINGIUS applicat ad vitam civitatis §. 1. c. 38. J. N.

§. 23. PERDURAT SOCIETAS, quæ existentiam suam ab uno momento ad momenta nova continuat (§. 922. E.).

§. 24. MORITUR SOCIETAS, cujus existentia evanescit. Ponas ea, quæ ad definitionem societatis pertinent, nacta fuisse existentiam, quam tamen illa deinde amittit, societas mori vel interire dicitur (§. 21.).

§. 25. Moritur societas, si evanescat actualis unitas seu unio voluntatum & virium ad finem communem obtinendum tendentium (§. 24. 1. 12.).

§. 26. Societatis alicujus essentialia attributa communia

munia & propria ab illius limitationibus & modis probe discernenda veniunt.

§. 27. Societas limitanda requirit, ut societas ipsa perduret (§. 926. E.). Et a perduratione limitationum societatis ad illius perdurationem simultaneam secure concludimus (§. 928. E.).

§. 28. Ab interitu limitationum societatis ad illius interitum non valet consequentia. (§. 931. E.).

§. 29. Licet societas patiatur limitationes, societati tamen ipsi pereundum non est (§. 932. E.).

§. 30. Licet societas, e. g. universitas, civitas, amittat limitationes suas & novas nanciscatur, societati tamen ipsi non est pereundum (§. 936. E.). Hinc licet e. gr. universitas truncetur, ea tamen non interit. Porro licet respublica monarchica abeat in aristocraticam, & monarchica quidem intereat, respublica tamen ipsa non perit. Actualitas quidem rei, quatenus ad speciem aliquam refertur, evanescere potest, cum tamen actualitas illius, ad genus quoddam spectantis, non tollatur.

§. 31. Hinc mortem societatis totius ab illius μεταμορφώσει distinguamus. conf. GVNDL. J. N. §. XI. c. 38.

§. 32. In societate deprehenditur unus intellectus & una voluntas (§. 9.) Enimvero intellectus & voluntas sunt facultates potiores animæ, *societati igitur anima tribuitur.*

§. 33. Socii, conjunctim sumti, considerantur tanquam individuum humanum (§. 17.). *Ergo Jus naturæ singulorum, quod in exercitationibus tradidimus, applicari potest ad societates integras.*

§. 34. Unde & IVS NATVRALE SOCIETATVM recte dicitur Ius naturale singulorum ad integras societates applicatum.

§. 35. *Principium juris Naturalis, latius sumti, ejusque ad societates spectantis, hoc est:* Dirigat societas actiones suas in suam aliorumque hominum, aliarumve societatum perfectionem (§. 340. 699. & §. 34.).

§. 36. *Principium Juris N. stricte sumti, & ad societates spectantis, huc redit:* societas suum cuique homini vel societati tribuat (§. 754. E. & §. 34.).

§. 37. *Principium Juris N., latius sumti, socium respectu societatis, in qua vivit, spectantis, hoc est:* Dirige actiones ad salutem societatis tuæ (§. 699. E. §. 34.).

§. 38. *Ejusdem socii, sub eodem respectu considerati, principium Juris N., strictè sumti:* Suum societati tuæ tribuas (§. 754. E. & §. 34.). Hoc & præcedenti casu socius tanquam unum individuum & societas ejus, tanquam individuum alterum consideratur. (§. 17.)

§. 39. *Principium Juris Nat. externi ad socios spectantis, respectu aliorum sociorum hoc est:* Suum cuique socio tribuas (§. 754. Ex. & §. 34.).

SCHOLIUM. Si qui sint, qui mirentur, me in Jure Naturali externo ad societates applicando, inhærere principio, custodiæ quippe τῦ suum cuique; præter rationes, iamiam in exercitationibus adductas, haut gravate perpendant notionem IUSTITIAE EXTERNAE SEU PROPRIE DICTAE, quam HUBERTUS in *Jure Civ. L. I. c. VII.* §. 13. determinat per eam, quæ docet PLUS SUO non capere, aut cupere, cujus oppositum vitium illud frequens est, πλεονεξία, cupiditas habendi PLUS SUO. Quæ definitio consentit cum illa, quam §. 797. E. dedimus. Et cum Jus Naturale externum limites hujus justitiæ externæ seu proprie dictæ commonstret; eo minus a scopo me aberrare arbitror, si subsequentes doctrinas τῶ SUUM CUIQUE superstruam, præcipue cum LL. formandi systema postulent, ut illi principio stricte inhæream.

§. 40. Societates, de quibus nos loquimur, distinguendæ sunt a societate generali, quæ tribuitur hominibus, ita viventibus, ut alii secum & una vivere valeant. Qui ita vivunt, SOCIALITER VIVERE dicuntur. Socialitatem vel per amorem vel per abstinentiam alieni explicare possumus. Posteriorem significatum si admittere velimus,

limus, ea in sphæra Iuris Naturalis externi adhiberi potest, in qua palmario ad ea, quibus societas humana necessario conservatur, seu. quæ ad necessariam societatis humanæ conservationem faciunt, & quibus neglectis (§. 754. E.). omnis omnino societas humana tolleretur.

SCHOLIVM: HVGO GROTIVS, vir summus, in Jure B. & P. § 8. Prol. ad cultum societatis, humano intellectui convenientem, tanquam fontem juris, proprie talis, provocat. Et Cel. HEDINGERVS in Sicilimentis philosophiæ juris ex dicto J. B. & P. in notis ad Prolegomena cultum societatis § V. ita explicat: COLI DEBERE SOCIETATEM, HOMINEM SOCIALEM esse oportere, quod fit, si alteri SVVM DETVR, SVVM RELINQVATVR. Neque hæc explicatio *Hedingeri* determinata a mente Autoris aliena esse potest, cum is ipse injustitiæ (externæ & expletricis) naturam usurpatione alieni §. 8. Proleg. exposuerit.

§. 41. Si forum internum spectaveris, in illis casibus, ubi ad auxilia aliis ferenda obligamur, minusve, etiam adstringimur, minusve, ad societates cum aliis ineundas (§. 13. 14.). Hinc doctrina de auxilio, aliis ferendo, huc applicanda venit, quam §. 721. seq. E. tradidimus.

§. 42. Unde & patebit, quinam fines ejusmodi communes, & consequenter quænam societates (§. 5.), justitiæ conveniant in foro interno (§. 798. 802. E.).

§. 43. In auxilio quod nobis ab aliis fertur, ex alieno fit nostrum (§. 252. E.). Mutatio nostri in alienum (obligatoria) fit solo pacto justo (§. 1349. E.); auxilium itaque obligatorium non nisi ex pacto justo descendit. Id quod etiam de auxilio mutuo obligatorio affirmandum est Enimvero in societate deprehendimus auxilium mutuum (§. 13.), si proinde & hoc auxilium sociorum mutuum debeat fieri obligatorium (idque in foro externo, de quo nos loquimur); illud non nisi ex pacto justo concipitur. *Societas ergo obligatoria non nisi ex pacto justo descendit.* Per SOCIETATEM OBLIGATORIAM intelligo eam, quæ obligationes & Iura perfecta producit. A 4 §. 44.

§. 44. Hoc pactum vel expressum vel tacitum esse potest in statu naturali (§. 1368. E.). Consensus præsumtus est fictus (§. 1372. E.), & præsupponit hominem legislatorem, qui in statu naturali non datur (§. 898. E.). *Hinc in eodem statu nulla datur societas, quæ niteretur pacto præsumto.* Idea, quam formamus de CONSENSV PRAESVMTO, consentit cum notione, quam de illo dedit Celeb. HEINECCIVS in *π*. Parte I. Tit. XIV. §. CCCXLIX. ubi is definitur per eum, qui a legislatore fingitur intercessisse ob æquitatem, cum intercesserit nunquam.

§. 45. Si dentur societates, quæ nullo pacto nituntur, illæ non sunt obligatoriæ in foro externo (§. 43.). Fieri potest, ut duo vel plures finem aliquem communem sibi proposuerint obtinendum, e. gr. investigationem artis alicujus, & simul declaraverint, nolle se esse obligatos stricte, sed omnia dependere debere a cujuslibet membri arbitrio; hoc casu habemus quidem societatem, sed non obligatoriam in foro externo

§. 46. Obligationes igitur perfectæ, & jura sociorum, qua talium non nisi pactitia sunt (§. 43.) Hinc doctrina de pactis ad societates, juxta jus naturale externum considerandas, applicanda est. Et quicquid juris externi est in pactis in genere, illud etiam juris esse debet in societatibus obligatoriis.

COROLLARIVM. Et si respicias obligationes perfectas & jura, illi tantum censentur socii, qui participes sunt pacti, quo nititur societas. Licet itaque quis vivat inter socios, pro socio tamen is intuitu jurium & obligationum non habetur, si pacti, cui superstructa est societas, non sit particeps.

§. 47. Qui ineptus est ad paciscendum, ad societates obligatorias, cum aliis contrahendas, inhabilis est (§. 43.).

§. 48. Socii paciscuntur vel cum determinatione temporis, vel sine eadem. Priori casu SOCIETATES TEMPORARIÆ, posteriori PERPETVÆ oriuntur.

§. 49.

§. 49. Dantur societates vel cum imperio adjuncto, vel sine eodem.

§. 50. Probe notandum, quod obligationes sociorum adscititiæ & jura pactitia distinguenda sint ab obligationibus & juribus æque perfectis, quæ vero connata sunt (§. 781. E.).

§. 51. Ex doctrina de pactis patebit, quænam societates pactitiæ sint justæ, quæ injustæ. (conf. §. §. 1289. 1290. seqq. E.). Civitates piraticæ sunt injustæ in foro interno & externo.

§. 52. Consensus paciscentium reciprocus requiritur ad pactum (§. 1288. E.), & consequenter ad modum paciscendi (§. 1377. E.), nec minus ad modum consummandi & exequendi pacta.

§. 53. Consensus contrahentium reciprocus requiritur ad symbola, quæ in consummandis pactis adhiberi possunt (§. 52.).

§. 54. Consensus reciprocus requiritur ad societatem pactitiam & consequenter ad modum illam contrahendi, nec minus ad modum eandem consummandi (§. 52.). Id quod potest applicari ad usum symbolorum arbitrariorum, quæ in societate consummanda adhiberi possunt (§. 53.)

§. 55. Consensus sociorum reciprocus requiritur ad modum promovendi salutem societatis communem, nec minus ad modum determinandi normas & leges (§. 345. E.) quibus salus & commoda societatis promoveri, ejusque negotia expediri debeant (§. 52.).

§. 56. Omnia ea, quæ pacto justo conformia sunt, etiam juri naturali congruunt (§. 1323. F.), & consequenter justa sunt (§. 797. E.).

§. 57. Actiones paciscentium, quæ pacto conformes sunt, justæ sunt (§. 56.) Id quod applicandum ad actiones sociorum, qui pacti sunt.

§. 58. *Actiones paciscentium, quæ pacto repugnant*, violant τὸ suum cuique (§. 1321. E.), & consequenter juri natura-

turali externo repugnant (§. 754. E.), adeoque etiam *injuſta ſunt* (§. 797. E.). Id quod applicandum ad actiones ſociorum, qui pacti ſunt.

§. 59. Modus paciſcendi, nec minus conſummandi pacta, juſtus eſt, de quo inter paciſcentes conventum eſt (§. 56.).

§. 60. Modus contrahendi & conſummandi ſocietatem pactitiam juſtus dicitur, de quo inter ſocios paciſcentes conventum eſt (§. 59.). Id quod applicari poteſt ad uſum ſymbolorum.

§. 61. In ſocietate juſtum eſt, de quo inter ſocios conventum eſt (§. 59). Conventionem juſtam hic ſupponi, per ſe patet.

§ 62. In ſocietate juſtus eſt modus promovendi ſalutem ſocietatis communem, de quo inter ſocios conventum eſt (§. 61.). Id quod de modo determinandi formam ſocietatis, nec minus definiendi normas & conſequenter ferendi leges, e. gr per plurima vota, (§. 545. E.), quibus commoda ſocietatis promoveri, ejusque negotia expediri debeant, affirmandum eſt.

§. 63. Modi ejusmodi ſi varii & diverſi ſint, id, quod juſtum eſt in una ſocietate, ab eo, quod juſtum eſt in alia ſocietate congenere differre poteſt. Hinc & fieri poteſt, ut id, quod eſt juſtum in una ſocietate, non ſit juſtum in alia ſocietate congenere. Quod non eſt juſtum, illud eſt injuſtum. Hinc *quod eſt juſtum in una ſocietate, poteſt eſſe injuſtum in alia ſocietate, alias ſimili.* Unde inferius concludemus, illud, quod eſt juſtum e. gr. in republica monarchica, injuſtum eſſe poſſe in ariſtocratica.

§. 64. Si ſocius agat contra ejusmodi modum conventum, vel contra formam ſocietatis ſtipulatam, is contra pacta, & conſequenter injuſte agit (§. 58.)

§. 65. Geneſis pacti & conſequenter ſocietatis pactitiæ ex intentione agentium conſpirante repetenda eſt (§. 1614. E.) Hinc ſi paciſcantur ſocii, etiam de fine communi

muni obtinendo (§. 5.), & consequenter de bono seu commodo communi promovendo (§. 6.), atque de mutuo adjutorio sibi invicem præstando (§. 13.) paciscuntur.

§. 66. Ex fine sociorum paciscentium communi & consequenter ex intentione eorum conspiranti (§. 510. 509. E.) obligationum & jurium termini intelliguntur (§. 1623. E. & §. 43.). *A fine societatum humanarum omnium essentia pendet.* Sunt verba GVNDLINGII.

§. 67. Pacta non debent esse injusta (§. 1299. E.). Sed pacta injusta sunt, quibus τὸ suum cuique (§. 1297. E.) & consequenter jus naturale externum, violatur (§. 754. E.); *pacta ergo & consequenter societatis pactitia non possunt tollere ea, quæ juris sunt.*

§. 68. *Quæ inter juste paciscentes aguntur, tertio nihil præjudicant.* Pacta enim justa sunt vacua a læsione (§. 1296. E.) & consequenter a præjudicio tertii. In dijudicandis iis, quæ tertio possunt esse præjudicio, stricte inhærendum est notioni læsionis. Dantur mala, quæ alteri suboriuntur ex nostro pacto, quæ damna dici haud merentur. Huc referas interceptionem ejus, ad quod alteri jus non competit (§. 977. E.).

§. 69. Pacta justa sunt servanda (§. 1312. E.). Hinc obligati sunt socii promovere bonum societatis commune (§. 65.), & ex consequenti ea intermittere, quæ saluti illi communi contraria sunt.

§. 70. Hinc salus communis in societate suprema lex dicitur (§. 348. E.).

§. 71. Si socius bonum societatis suæ commune non promoveat, quod tamen promovere possit, vel non intermittat ea, quæ saluti illius communi contraria sunt; is contra obligationem pactitiam (§. 69.) & consequenter contra pactum agit, adeoque socios reliquos lædit (§. 1312. E.), eisque dat caussam disceptationis justificam (§ 1092. E.).

§. 72. Si socius utilitatem propriam quærit, quam tamen scit esse saluti societatis communi contrariam, ejusmodi

modi consectatio utilitatis propriæ est læsio perfecta (§. 71.)

§. 73. Unde & patet, cur socio salus communis perferenda sit saluti privatæ suæ, aliusve socii.

§. 74. Sed in casu dato probe notandum, quod salus communis latius extendi non possit, quam id finis societatis stipulatus permiserit, si forum externum spectaveris.

§. 75. Nec conceptu difficile est, socium ab aliis sociis non posse excludi a salute communi, quæ vi pacti salutem illius continere debet, nisi adsit extrema necessitas (§. 1218. seq. E.)

§. 76. Casus, in quibus societas vel socius alios homines vel societates alias juvare teneatur, vel minus, idque in foro conscientiæ, ex §. 720. seqq. Ex. dijudicandi sunt.

§. 77. Pacta injusta non sunt servanda (§. 1299. E.) Societates ergo, quæ pactis injustis nituntur, deserendæ sunt.

§. 78. A societate, ad quam ineundam dolo vel metu injusto inducti sumus, recedere possumus (§. 1380. 1395. E.)

§. 79. Quo casu aliquis, qui, errore ductus, iniit societatem, ab eadem recedere possit, patet ex §§. 1390. seqq. E.

§. 80. A societate recedere, vel illi renunciare, non possumus, si socius inde damna sentiat (§. 770. E.) Et si nihilominus societatem deseruerimus, ad damnum resarciendum obligati sumus (§. 996. E.)

§. 81. Socii jure gaudent eo dispiciendi, ne a sociis lædantur, & ne sibi ab hisce damnum inferatur (§. 782. E.) *Hinc & socii jure gaudent non tolerandi actiones sociorum, saluti communi societatis repugnantes* (§. 71.) *nec minus postulandi damnorum, a socio nocente illatorum, resartionem* (§. 996. E.) *adhibendique remedia, quibus socius in officio suo contineri possit.* (§. 1082. Ex.)

§. 82. Cujus interest consentire in finem, consentiat necesse est in remedia illius, & in ea, quibus impedimenta vel finium vel remediorum removeri debent (§. 512. 517. E.) Id quod applicari potest ad socios.

§. 83. Si finis communis sit vel in se (§. 38. E.) vel natu-

naturaliter (§. 307. E.) vel moraliter (§. 483. E.) impossibilis, pactum sociorum stultum est vel injustum (§. 1333. 797. E.) & consequenter societas vel stolida est vel justitiæ repugnat. Præterea socios ad actiones, vel in se, vel naturaliter, vel moraliter impossibiles obligatos non esse, patet ex §. 487. Ex. Difficile tamen ab impossibili probe distinguendum est.

§. 84. In pactis bilateralibus datur obligatio duplex, & paciscentium alter sub hac conditione vult esse obligatus, ut & alter obligationi suæ satisfaciat (§. 1375. E.) *Si itaque altera pars paciscens vel nolit obligationem suam adimplere, vel illam prorsus violaverit, tunc cessat illa conditio, qua evanescente corruit obligatio alterius partis læsa pactitia & ex consequenti illius promissum* (§. 1314. E.) *& pactum, ejusdem intuitu* (§. 1277. E.)

§. 85. Qui paciscens vel non vult obligationem suam pactitiam adimplere, vel illam prorsus violat, is vel non vult stare promissis pactisve, vel illa prorsus violat (§. 1324. E.) Enimvero promissum & pactum corruit & tollitur intuitu unius paciscentis, si pars paciscens altera vel non velit obligationem suam pactitiam adimplere, vel illam prorsus violaverit (§. 84.) *pactum ergo etiam tollitur intuitu unius paciscentis, si pars altera vel nolit stare pactis, vel illa prorsus violaverit.*

§. 86. Hoc casu, si paciscens, a compaciscente læsus, a pacto prorsus resiliat, illud juri naturali externo non repugnat (§. 85.) & consequenter licitum est in foro externo naturali (§. 861. E.) *Eodem itaque casu pars læsa nanciscitur facultatem & consequenter jus* (§. 772. E.) *resiliendi a pacto.*

§. 87. Eodem casu a voluntate paciscentis, a compaciscente læsi, dependet, utrum velit resilire a pacto, nec ne (§. 785. E.)

§. 88. Si socius alter vel nolit obligationem suam adimplere, vel illam prorsus violaverit, corruit societas pactitia intuitu socii læsi (§. 84.)

§. 89.

§. 89. Si socius alter vel nolit stare pactis, vel illa prorsus violaverit, corruit & tollitur societas pactitia intuitu socii læsi (§. 85.).

§. 90. Eodem casu socius læsus nanciscitur jus resiliendi a societate pactitia (§. 86.). Ab illius tamen arbitrio dependet, utrum illo jure uti velit, nec ne (§. 87.).

§. 91. Societas pactitia mutuo sociorum dissensu dissolvitur (§. 1324. E.).

§. 92. Quoties post pacta & consequenter post societatem pactitiam aliquid contingit, quod est contra intentionem & finem paciscentium & consequenter sociorum, toties pactum & consequenter societas est nulla (§. 65. 66.).

§. 93. Societates, in statu naturali consideratæ, gaudent æqualitate externa omnimoda (§. 895. E. & §. 16.), neque aliæ societates imperium in illas affectare possunt (§. 899. Ex.).

§. 94. Nulla ejusmodi societas jure πρoεδρίας gaudet (§. 900. Ex.).

§. 95. Qui æqualitatem & paritatem alicujus societatis, in statu naturali viventis, violat, eandem lædit perfecte (§. 907. Ex.).

§. 96. Societates, in eodem statu viventes, gaudent independentiæ actionum summæ ab imperio humano (§. 915. Ex.), nec minus statu libertatis summæ (§. 916. Ex.).

§. 97. Societas in eodem statu nulli alii societati tenetur reddere rationes actionum suarum, nisi Deo & conscientiæ (§. 917. Ex.).

§. 98. Societas ejusmodi ab alia societate quacunque expectare non tenetur sententiam rei controversæ decisoriam (§. 918. Ex.).

§. 99. Necminus patet, quod societas in eodem statu nullo jure gaudeat, immiscendi se in negotia controversiasque, quæ vel in sinu alius societatis, vel inter diversas societates cooriuntur, si id quidem invitis hisce fiat (§. 97. 98.).

§. 100.

§. 100. Neque societas quæcunque societatem aliam in statu naturali punire potest (§. 919. Ex.).

§. 101. Status ejusmodi societatum non est status licentiæ (§. 921. Ex.).

§. 102. Superius (§. 46.) demonstravimus, quod societates obligatoriæ seu officia & jura perfecta; quæ socii, inter se spectati, nanciscuntur, pacto justo nitantur. Sed quæritur, utrum societates integræ vel cum hominibus singularibus vel cum societatibus aliis pacisci possint?

§. 103. Societas potest affirmare, se velle aliis vel aliquid præstare, vel intuitu eorum aliquid intermittere (§. 9.) & ex consequenti aliis aliquid promittere (§. 1244. E.).

§. 104. Societas unam voluntatem habere intelligitur (§. 7.) & consequenter eandem potest declarare aliis de aliqua re, in actum mittenda. Unde patet, quod societas habeat facultatem consentiendi (§. 1253. E.) &, si hoc fiat in promissum aliorum, illud acceptandi (§. 1264. E.). Sed promissum acceptatum ab altero dicitur pactum (§. 1277. E.). *Unde & integra societati rite tribuitur facultas paciscendi cum aliis, quæ physica dicitur* (§. 1257. E.).

§. 105. Societas suum cuique vel homini vel societati tribuat (§. 36.). Enim vero cum violatio pacti justi sit violatio τῦ suum cuique (§. 1308. E.); *societati pacta justa, cum aliis hominibus singularibus, vel cum aliis societatibus inita, violanda non sunt.*

§. 106. Jus naturale societatum externum est jus naturale singulorum externum ad integras societates applicatum (§. 34.). Hinc jus pactitium externum, quod in exercitatione VI. tradidimus, ad integras societates applicari potest, cum societati integræ facultatem paciscendi physicam tribuere valeamus (§. 104.).

§. 107. Societati cuidam integræ sola pacta justa, cum aliis hominibus singularibus vel cum integris societatibus inita, servanda sunt (§. 1315. E. & §. 106.).

§. 108. Concipimus ergo, societatibus integris oriri obligationes & jura perfecta ex pactis justis, cum aliis celebra-

lebratis (§. 1324. 1328. E.). Manifestum itaque est, societates integras obligari perfecte, vel jura perfecta nancisci posse

§. 109. Hæ obligationes adventitiæ, hæc jura quæsita ab obligationibus & juribus perfectis societatum connatis probe distinguenda sunt.

§. 110. In societate justus est consentiendi modus, de quo inter socios conventum est (§. 61.).

§. 111. Voluntas, a socio societati declarata de negotio, quod in deliberationem cadit, dicitur VOTUM SUFFRAGIUM. Voluntatem compendii gratia hic sumimus generaliter, ut & voluntatem sub se comprehendat.

§. 112. Voluntas præponit repræsentationes bonorum vel malorum (§. 166. 167. E.) & consequenter judicia de bono vel malo (§. 59. E.). Votum ergo supponit judicium, a socio latum de negotio, in sinu societatis proposito, eodemque vel utili, vel detrimentoso. Hinc ex diversitate ejusmodi judiciorum cooritur diversitas VOTORUM, quæ adeo vel AFFIRMATIVA, vel NEGATIVA, vel CATEGORICA, vel HYPOTHETICA sunt.

§. 113. Vota sunt consensus vel dissensus sociorum speciales, respectu negotiorum, in societate obviorum, significati (§. 1253. 1353. E.).

§. 114. Voluntas & consequenter votum (§. 111.) præponit libertatem mentis. *Quæ itaque libertati contradicunt, etiam voto contraria sunt.*

§. 115. Si convenerint socii inter se de negotiis, per majora vota expediendis, etiam convenerunt in eo, ut illud idem sit, ac si reliquorum sociorum dissentientium vota adessent, utque adeo vota majora eadem sint, ac vota unanimia. *Ut itaque conventionis conclusum, numero votorum majori suffultum, æquiparatur* concluso, votis sociorum conformibus subnixo & consequenter *concluso totius societatis.*

§. 116. Eodem casu dissensus reliquorum sociorum seu vota negativa non aliter considerantur, ac si non adessent.

§. 117. Modus decidendi negotia, in sinu societatis occurrentia, per majorem votorum numerum non nisi a con-

conventione sociorum dependet (§. 110. 115.) & consequenter prævium eorundem consensum mutuum requirit (§. 1288. E.)

§. 118. Societas unam voluntatem habere intelligitur (§. 7.) Enim vero voluntas est fons omnis imputabilitatis actionum (§. 572. E.), *societas ergo integra edere potest actiones imputabiles.*

§. 119. Ob unitatem voluntatis, quæ tribuitur societati integræ, ejus actionum existentia vel non-existentia ad illius voluntatem efficacem referri, illaque adeo pro auctrice & caussa actionum suarum haberi (§. 576. E.) & ex *consequenti actio suscepta vel omissa ipsi imputari potest* (§. 569. E.)

Ex eadem unitate voluntatis, quæ tribuitur societatibus integris, fluit etiam, quod illæ possint ope pacti in se suscipere negotium expediendum. Cujus intuitu illæ se obligarunt ad usum virium, illi expediendo sufficientium, & consequenter ad diligentiam debitam præstandam (§. 546. E.) Quam si neglexerint inconsulto, cum tamen illam præstare potuissent, vel ex animo deliberato; *illa lesionem culposam dolosamve committunt* (§. 1428. 553. E.)

§. 120. Suffecerit jam demonstrasse possibilitatem imputandi actiones integris societatibus.

§. 121. Societas agere potest per mandatarium (§. 1379. E. 104.) qui repræsentat eo magis societatem mandantem, cum hæc tanquam una persona considerari possit. (§. 17.)

§. 122. Si societas jura concesserit tertio, & membrum illius hunc in exercitio juris concessi turbare contendat, competit integræ societati jus impediendi membrum, ne alterum in usu juris concessi interturbet.

§. 123. Socii considerantur tanquam una persona singularis (§. 17.) Hinc si singuli socii, h. e. in corpore, jurent, eorum juramenta considerantur tanquam unicum juramentum totius societatis. Nec implicat quod jurent societates per deputatos, vel per mandatarium (§. 1478. E. & §. 121.)

SPECIMEN II.
DE
IVRE CONIVGVM & PARENTUM IN STATU NATURALI.

§. 124.

Indicavimus (§§. 286. 287. 288. E.), leges naturales vel proxime ex natura humana, vel ex proprietatibus summi Numinis, naturæ auctoris, posse derivari. Quæ ratio est, cur in exercitationibus nostris plures deprehendantur articuli, in quibus dictamina juris naturalis, ex humanitatis contemplatione haurienda, ad attributa divina revocaverimus. Neque desunt principia, ex theologia naturali petenda, ex quibus indolem conjugii, ad nutum divinum conformandi, introspicere nobis contingat. Si consideraveris, optimum & sapientissimum Numen condidisse universum ad perfectiones suas manifestandas & ex consequenti produxisse homines, anima rationali præditos, & felicitatis verioris capaces, quippe quibus perfectiones suas, in opere divino expressas, patefacere, quosque hac via felices reddere potuerit. Unde perspicuum est, voluisse DEUM, ut genus humanum perennaret & ex consequenti propagaretur; quem in finem corpus humanum ita efformatum esse deprehendimus, ut homo ad procreandos liberos aptus sit, utque instinctu progenerandi insito ad illum scopum obtinendum invitetur & commoveatur. Sed in sola progeneratione nondum conspicimus rationem sufficientem existentiæ finis divini, qui est propagatio generis humani, ad creatorem ex operibus ejus cognoscendum & ad felicitatem suam promovendam nati. Non negaverim, partum, ex utero materno exclusum, esse hominem, sed non

non nisi physice talem, h. e. in quo nihil conspicias, nisi figuram hominis. Tollas a generatione prolis curam parentum eam conservandi & educandi, tunc illa vel periret misere, vel, licet educaretur a brutis, obbrutesceret tamen, & instar belluæ viveret. Utroque casu non propagaretur genus humanum. Ponas e diverso parentum solicitudinem conservandi partum, eumque ita formandi, ut discat attemperare actiones legibus; conjungas illam curam educandi cum generatione; habebis rationem sufficientem propagandi generis humani (§. 43. E.) & consequenter existentiæ finis divini (§. 43. E.). Et ut sapientissimus generis humani auctor scopum suum minori difficultate nancisceretur, implantavit homini generatori στοργὴν, quæ efficit, ut is prolem prognatam tenerrime complectatur. Si itaque ideam propagationis generis humani, ceu finis divini, perpenderis, omnes actus, solius restinguendæ libidinis gratia susceptos, quocunque illi nomine veniant, fini divino repugnare, & educationem a generatione separandam non esse, facili negotio perspicies.

§. 125. Hac methodo usus est Ill. GVNDLINGIVS in J. N. c. 26. §. 2. seqq., cum qua jam conjungamus alteram methodum, quæ eo tendit, ut ex naturæ solius contemplatione leges, conjugi, parenti & liberis observandæ, continuo consecutionis filo deriventur, quarum custodiam voluntati divinæ maxime conformem esse, §. 825. Ex. demonstravimus. Quod institutum eo securius esse existimemus, quo magis evictum sit, quod natura merito habeatur pro interprete voluntatis divinæ, & quod vox naturæ instar vocis divinæ & rationis jure consideretur (§. 359. E.).

§. 126. In animali, qua tali, datur instinctus naturalis concumbendi cum animali diversi sexus. Qui stimulus, si naturam, ejusque autorem, spectaveris, ad procreandum sui simile contendit.

§. 127. Ejusmodi instinctus est appetitus sensitivus (§. 163. E.) & conatus (§. 505. E.), qui si contendat ad

actum concumbendi, hic ad procreationem sobolis contendere debet (§. 126.)

§. 128. Et instinctus & actus concumbendi sunt remedia, quibus procreatio sobolis tanquam finis, promoveri debeat (§. 510. 511. E.) Ad actum concumbendi requiritur usus membrorum genitalium, quibus homo instructus est. Qui usus etiam remediis procreandi sobolem recte accensetur (§. 511. E.)

§. 129. Remedia & fines, ut caussæ & effectus, sunt inter se connexa (§. 202. 203. 510. 511. 73. E.) *Hinc procreatio sobolis est connexa cum instinctu naturali & actu concumbendi, nec minus cum usu membrorum genitalium* (§. 128.)

§. 130. Remedia & fines sunt inter se connexa (§. 129.) *Unde patet ea, quæ cum remediis copulata deprehenduntur. etiam cum eorum fine connexa esse, & in numerum remediorum referri debere.*

§. 131. Voluptas sensualis, cum actu concumbendi, & cum usu membrorum genitalium conjuncta & LIBIDO appellari sueta, est remedium, ad procreandam sobolem contendens, si naturæ ejusque autoris nutum spectaveris (§. 130. 129.) Remedium non est cum fine confundendum (§. 510. 511. E.)

§. 132. Ut instinctus edendi & bibendi, & inde orti actus, & cum hisce conjuncti voluptatis sensus, tanquam remedia conservandi corporis considerantur, ita & stimulus, & actus concumbendi, nec minus libido considerari debent ceu remedia, quæ ad procreationem sobolis comparata sunt.

§. 133. Ejusmodi instinctus & stimuli inserviunt homini invitamento & vinculo ad finis, a natura intenti, obtentionem. Non stimuli ejusmodi, sed eorum usus vel abusus imputabiles sunt (§. 576. E.)

§. 134. Soboles procreata est homo, qui seipsum juvare nescit. & qui adeo auxilio aliorum indiget. Quem in finem deprehendimus in generatore amorem teneriorem

rem

rem fobolis prognatæ, quem στοργὴν appellamus, cujus effectus miratu dignissimi sunt, & sapientissimam creatoris providentiam loquuntur.

§. 135. AMOR PARENTVM ERGA PROLEM est conatus efficax felicitatem hujus & internam & externam promovendi (§. 707. E.) Felicitas prolis promovenda est finis parentum (§. 510. E.) cujus obtentio requirit remedia (§. 512. E.) *In amore itaque parentum erga prolem deprehenditur conatus efficax circumspiciendi conquirendique remedia, quibus felicitas prolis promoveri & amplificari possit.* Conatus hic dicitur CVRA LIBERORVM, & quæ ab amore parentnm erga illos separari non potest. Ad illa remedia requiruntur subsidia & instrumenta vitæ, quæ ad victum, amictum & habitationem spectant.

§. 136. Sola remedia conquisita saluti liberorum promovendæ non sufficiunt, nisi ea debito modo adhibeantur. Sed cum custodia juris naturalis sit remedium felicitatis nostræ consequendæ proximum (§. 818. E.) usus illorum remediorum tunc demum fit remedium felicitatis liberorum promovendæ, si is juri naturali conformis sit. Opus itaque est, ut discant liberi attemperare actiones suas dictamini juris naturalis. *Amor proinde parentum erga liberos*, qui tendit ad felicitatem eorum effectui dandam, etiam *copulatus est cum studio actiones liberorum conformandi legibus naturalibus.* Hoc studium dici potest REGIMEN f. DIRECTIO ACTIONVM LIBERORVM.

§. 137. Cura liberorum & regimen actionum eorundem absolvit EDVCATIONEM LIBERORVM, ad quam in se suscipiendam parentes ab amore erga prolem innato stimulantur (§. 135. 136.) De educatione, quæ conformis est rationis dictamini, in Oeconomica fusius agitur. Conf. VVOLFF. Pol. cap. 3.

§. 138. Ex doctrina, quam tradidimus §. 720. seqq. E., de auxilio aliis ferendo, etiam patet obligatio parentum naturalis interna educandi sobolem. Sed cum dentur

 com-

complures, qui in auxilio, aliis hominibus exhibendo, negligentiores sunt, & qui consequenter sollicitæ prolium educationi se subducturi essent, nisi innatus & tenerrimus sobolis amor generatores ad eam educandam exstimularet; *admiranda vel inde nobis venit providentia summi Numinis, quod cum officio educandi, quod in se spectatum onus tadiosum videtur, intimum & vehementissimum voluptatis sensum copulaverit.* conf. quæ §. 638. E. dicta sunt.

§ 139. Eadem στοργὴ copulat procreationem tanquam unum finem, cum cura educandi partum, ceu novo fine (§.137.).

§. 140. Amor erga prolem dependet a natura, ejusque autore (§. 229. E.). Hinc nexus, qui est inter procreationem prolis, ejusque educationem, a natura, ejusque autore, repetendus est (§. 139.). Et cum vox naturæ sit vox rationis (§. 358. E.), nexus eorum duorum finium rationi conveniens est.

§. 141. Concipimus itaque, instinctum & actum concumbendi, libidinis restinctionem, cum illo copulatam, procreationem & educationem sobolis inter se arctissime conjuncta esse, si vocem naturæ integræ, quæ cum natura corrupta & scissa non confundenda est, & dictamen rationis audire velimus (§. 129. 131. 139.).

§. 142. Cum vox naturæ sit vox rationis (§. 358. E.); ratio ea a se invicem non divellit, quæ a natura integra, quam vocem esse creatoris ex §. 330. E. patet, tam arcte copulata sunt.

§. 143. Si quis itaque vel actum concumbendi vel expletionem libidinis a procreatione sobolis, vel hanc ab illius educandæ cura separat, naturæ, rationi & nutui divino disconvenienter vivit (§. 141. 142.) & ex consequenti jus naturale internum violat (§ 462. 759. E.)

§. 144. Sodomia naturæ & rationi (§. 143.) & consequenter juri naturali interno quaqua ratione repugnat.

§. 145. Procreatio & educatio sobolis sunt fines communes

nes (§.4.), qui ſine ſocietate obtineri non poſſunt (§. 1.).

§. 146. Societas, inita a mare & fœmina procreandæ ſobolis gratia, MATRIMONIVM ſ. CONIVGIVM, & ſocii CONIVGES dicuntur. Conjugium virgineum implicat (§. 37. E.).

§. 147. Quinam non ſint habiles ad ineundum matrimonium, ex ejus definitione intelligitur. Nec minus patet, impotentiam, eunuchiſmum, ſterilitatem, inſaniam deſperatam, conjugium partim impedire, partim ſolvere.

§. 148. Si conjuges nanciſcantur proles, oritur nova SOCIETAS, quæ PATERNA audit, & quæ ad illas educandas tendit. Socii ſunt PARENTES ET LIBERI.

§. 149. Fines communes conjugii & ſocietatis paternæ ſunt inter ſe connexi (§. 139. 141. 146. 148.). Societas ergo conjugalis cum paterna copulata eſſe debet, ſi conjuges proles nacti fuerint.

§. 150. Societas conjugalis cum paterna eſt connexa (§. 149.) *Ergo qui in ſocietatem conjugalem tranſire cupit, tranſeat neceſſe eſt in ſocietatem paternam, ſi liberi ſuperveniant.*

§. 151. Si velimus SOCIETATEM CONIVGALEM definire per ſocietatem, quam quis init cum fœmina ad procreationem & educationem ſobolis, tunc ſocietas conjugalis conſtat ex duabus ſocietatibus, ratione quippe procreationis & educationis ſobolis. Utramque ſigillatim conſiderare, earumque nexum oſtendere par eſt.

§. 152. Ex §§. 126. 133. 132. clarum eſt, ſocietatem conjugalem eſſe naturæ, ejusque legibus convenientem, ſi eam conjuges ſupervenientibus liberis a ſocietate paterna non divellunt (§. 149.). Huc accedit, voluiſſe DEVM, ut genus humanum immortale efficiatur.

§. 153. Qui aptus eſt ad procreationem ſobolis, is etiam aptus cenſetur ad contrahendum matrimonium, ceteris paribus, h. e., ſi liberorum educationi non impar ſit.

§. 154. Ad conjugium ineundum obligari, qui COMMODE possunt, nec continere se sciunt, facile est ad judicandum.

§. 155. Conjugia, quo magis procreationi, educationi & felicitati liberorum non minus quam conjugum velificantur, eo perfectiora sunt (§. 146. 152. 148.). Ex diverso quo magis matrimonia difficilem educationem efficiunt, & quo minus felicitatem & liberorum & conjugum promovent, eo imperfectiora ea sunt (§. cit.).

Sic matrimonium perpetuum temporario, æquale inæquali, solenne minus solenni perfectius est.

§. 156. Societas, inita a mare & fœmina solius libidinis restinguendæ gratia, conjugium dici non meretur (§. 146.). Nec minus conjugium, a societate paterna, prognata sobole, divulsum, naturæ ejusqne legibus internis contradicit (§. 149.).

§. 157. FORNICATIONEM esse legibus naturalibus internis contrariam, inde patet, quod illa sit concubitus cum tali fœmina, quæ quæstum corporis facit, ad solam libidinem restinguendam tendens.

§. 158. A fornicatione distinguendum est STVPRVM, quod est concubitus cum fœmina, alias honesta, virgine vel vidua, sub spe matrimonii futuri celebratus, iis tamen requisitis, ad normam legis positivæ necessariis, destitutus. Ex hac notione patet, quod stupri moralitas a lege positiva dependeat, atque adeo extrinseca sit (§. 327. E.). In casu, ubi quis solutus est legibus positivis, a stupri nomine abstinendum est. Reliquum, quod in ejusmodi concubitu deprehenditur, dijudicandum est ex doctrina de pactis, quæ servanda sunt, & ex materiis præviis.

§. 158. CONIVGES sunt vel MONOGAMI vel POLYGAMI. POLYGAMIA est vel VIRILIS seu POLYGYNIA vel MVLIEBRIS seu POLYANDRIA. Illa est conjugium unius maris & duarum vel plurium fœminarum; hæc est conjugium unius fœminæ & plurium marium.

§. 159. Po-

§. 159. Polyandria, cum vel soli libidini restinguendæ inserviat, vel procreationi obsit, vel, ob incertitudinem generatoris, curatiorem educationem impediat, juri naturali interno repugnat (§. 143.) conf. GVNDL. I. N. c. XXVI. §. 17.

§. 160. In rebus dubiis via tutior est melior via minus tuta. Hinc natura nos obligat ad illam huic præferendam (§. 33 I. E.)

§. 161. Ex collatione monogyniæ cum polygynia observamus, in illa magis tutam esse viam, quam in hac, illamque adeo huic esse præferendam (§. 160.) Conf. III. WOLFF. Pol. c. de conjugio, ubi difficultates, in Polygynia occurrentes, ad vivum repræsentantur.

§. 162. Si dentur regiones, ubi fœminæ non satis fœcundæ sunt, & ubi matrimonia monogynica seminario reipublicæ, quæ ex multitudine hominum convenienti haud exiguum robur nanciscitur, inservire non possunt; si respublica contagio vel calamitate belli diuturna orbata fuerit insigni numero civium; si conjux monogamus captivitati durissimæ vel alii periculo gravissimo subjiciatur, ex quo alia fœmina illum eripit sub spe matrimonii futuri promissi; si alii dentur ejusmodi casus, polygynia naturæ & rationi non repugnat. Illustre bigamiæ exemplum historia nobis suppeditat in comite quodam de Gleichen, in bello a Turcis capto, & in miserrimam servitutem conjecto.

§. 163. Unde sat patere arbitror, polygyniam non absolute, sed sub hypothesi vel tolerandam vel rejiciendam esse.

§. 164. In sphæra juris naturalis externi vix orietur controversia de bigamia vel polygamia. Id quod & affirmandum est de incestu, cum inde nulla pacis externæ violatio subnascatur in eadem sphæra. Interim expende, quæ hac de re graviter disputavit GVNDLINGIVS in J. N. c. 26.

§. 165. Conjugium monogamicum, perpetuum, solennibus stipatum seu publicum & æquale est perfectissimum, ubi quippe fœmina fruitur affectu maritali, nec minus status, nominis & dignitatis mariti, & successionis, aliorumque jurium insignium cum liberis particeps redditur (§. 155.).

§. 166. MATRIMONIUM CONSCIENTIAE dicitur conjugium perpetuum & inæquale, quod occulta conjugum fide nititur.

§. 167. MATRIMONIUM AD THALAC, gentibus in oriente frequentatum, est, quod mares cum fœminis sub hac conditione ineunt, ut eas vel tempore convento elapso, vel prout eis visum fuerit, dimittere possint. Conf. Differt. Cel. WILLENBERGII de matrimonio conscientiæ. Licet in hoc MATRIMONIO ARBITRARIO SEU AD BENEPLACITUM DICTO non plane negligatur & procreatio & educatio, cum mares fœminis certam pecuniæ summam suppeditare soleant, quæ soboli educandæ destinata sit; illud tamen imperfectissimum esse patet ex §. 155.

§. 168. Si personæ illustri tanta bonorum copia desit, quæ par esse possit conjugio solenni & æquali ineundo cum fœmina æque illustri; hoc casu matrimonium minus solenne & inæquale tutius videtur, & naturæ atque rationi convenientius (§. 160.).

§. 169. Si CONCUBINATUS non nisi restinctionem libidinis pro fine habeat, is naturæ & rationi repugnat (§. 143.). Sed si is habeatur pro conjugio minus solemni & inæquali, aliter pronunciandum est, idque pro ratione circumstantiarum.

§. 170. CONJUGIUM AD MORGANATICUM dicitur, quando & amori & conscientiæ & dignitati obsequi cupientes fœminas ignobiles sibi asciscunt, sine præjudicio liberorum prioris matrimonii vel agnatorum. Sunt verba GUNDLINGII. conf. §. IV. c. 27. J. N. Verum hoc esse conjugium facile patet, nec difficulter judicandum est ex §. 168., quid de illo habendum sit.

§. 171.

§. 171. Secundæ nuptiæ juræ naturæ legitimæ sunt, cum in iis requisita conjugii inveniantur.

§. 172. Principia juris Naturalis & externi & interni, quæ societati in genere §. 35. tribuimus, facili negotio ad societatem & conjugalem & paternam applicari possunt.

§. 173. Si conjugi, qua conjugi, obligationes perfectas & jura efficacia tribuere velimus, ea non nisi ex pacto conjugum repetenda sunt (§. 46.), & consequenter conjugium, tanquam societatem pactitiam præponunt. conf. §. 1. c. 26. J. N. GVNDLINGII.

§. 174. Si quis ope societatis velit acquirere jura perfecta, eo dispiciat, ut societas pacto expresso vel tacito superstruatur (§. 173.). Id quod ad societatem conjugalem & paternam applicari potest.

§. 175. Ex societate conjugali pactitia concipitur fides conjugalis data (§. 1338. E.), cujus violatio est læsio (§. cit.).

§. 176. Societatem conjugalem sæpius tractatus (§. 1343. seqq. E.) & ut plurimum SPONSALIA præcedere solent, quæ sunt pactum de matrimonio ineundo celebratum. Ab illis distinguendum est PACTVM DE DESPONDENDO. Celebratis sponsalibus paciscentes SPONSVS & SPONSA dicuntur, quem effectum pactum de despondendo non producit.

§. 177. Solenniter repetita promissio & cohabitatio NVPTIARVM nomine venit.

§. 178. Dantur sponsalia PVRA, dantur & CONDITIONALIA (§. 1377. E. & §. 176.). Et quicquid juris est in pactis in genere, illud etiam juris esse debet in sponsalibus.

§. 179. Si persona desponsata recuset consummare matrimonium cum altera juxta mensuram pacti, hoc ab illa violatur. Jam cum violatio pacti sit læsio perfecta (§. 1311. E.), persona desponsata læditur, & caussam disceptationis justificam nanciscitur (§. 1318. E.).

§. 180. Vi pacti nanciscitur persona desponsata jus adigendi alteram ad consummandum matrimonium (§. 1330. E.).

§. 181.

§. 181. Sponsalia priora præferenda sunt posterioribus (§. 1320. E.) conf. §. 67.

§. 182. Quoties post societatem conjugalem contractam tale quid contingit, quod est impedimentum procreationis liberorum insuperabile, illa societas nulla est (§. 92.)

§. 183. Si sponsa se venditaverit pro virgine, qualem tamen eam non esse sponsus resciverit, sponsalia nulla sunt ob dolum, ab illa commissum (§. 1380. E. & §. 176.)

§. 184. Modus consummandi societatem conjugalem pactitiam justus est, de quo inter socios conventum est (§. 60.) Hinc si consenserint in lecti genialis conscensionem, per procuratorem celebrandam, & pro symbolo matrimonii consummati habendam, licet nondum accesserit copula carnalis; ejusmodi consummatio matrimonii symbolica pro justa habetur, idque & ratione & gentium more vid. *Gundl.* J. N. c. 26. §. 10. Neque enim absolute necessarium est, ut societas conjugalis copula carnali inchoetur (§. 178. E.)

§. 185. In societate conjugali justum est, de quo inter conjuges conventum est (§. 61.) sub limitatione tamen §. cit. adjecta.

§. 186. Alter conjux nanciscitur ab altero ope pacti jus concumbendi cum illo, & procreandi sobolem (§. 1328. E.)

§. 187. Conjuges non solum interne (§. 721. E.), sed & externe vi pacti obligantur ad mutuum adjutorium, ad ferenda onera matrimonii (§. 65.) & ad fugienda ea, quæ procreationi liberorum obesse, vel quæ tempore gestationis partui nocere, vel quæ exclusioni partus officere possint (§. 69.)

§. 188. Conjuges ratione procreationis sobolum unam personam repræsentant (§. 17.)

§. 189. Loquitur de conjugio in statu naturali, qui est status æqualitatis (§. 894. E.) ejusque omnimodæ (§. 895. E.) & ratione imperii & τῆς προεδρίας (§. 898. 899. 900. E.) Sed cum in illa æqualitate omnimoda ad præstantiam sexus utrius-

utriuslibet majorem non reflectatur (§. 901. E.) natura nec marito, nec uxori, qua talibus, imperium tribuit juxta disciplinam juris naturalis externi. *Imperium itaque, vel aliud jus prærogativum alteri conjugum tribuendum, non nisi ex facto obligatorio, quod nullum aliud esse potest, quam pactitium* (§. 1350. E.), *derivari potest, si statum naturalem spectaveris.*

§. 190. Propositio præcedens etiam ex §. 902. E. intelligi potest.

§. 191. Imperium, quod alteri conjugum tribui debet, non nisi ex pacto eorundem (§. 173.) nec ex consequenti ex sola natura nobis intelligere datur. Si itaque ad statum naturalem respexeris, maritus sibi imperium in uxorem vindicare non potest.

§. 192. Si convenerint conjuges, cuinam ex illis competere debeat facultas præscribendi facienda ratione finis communis; nanciscitur alter conjugum vi pacti jus præscribendi facienda (§. 1328. E.) & consequenter imperium (§. 896. E.) ratione finis communis.

§. 193. Concubitus conjugis cum persona extranea contra fidem conjugalem celebratus dicitur ADVLTERIVM. Ex §. 175. perspicitur, adulterium esse læsionem perfectam & juri naturali externo repugnare.

§. 194. Sponsalia sunt pactum de societate conjugali ineunda (§. 176.) & consequenter de fide conjugali danda (§. 175.). Enim vero adulterium supponit fidem conjugalem jamjam datam (§. 193.) *sponsi ergo, qua tales, adulterium committere non possunt* (§. 176.)

§. 195. Adulterium solvit societatem conjugalem pactitiam intuitu læsi (§. 88.89.193.) qui nanciscitur jus resiliendi a matrimonio (§. 90.) cujus tamen ab arbitrio dependet, utrum illo jure uti velit, nec ne (§. cit.),

§. 196. Si matrimonium ope solius genialis lecti conscensionis consummatum fuerit, licet cohabitatio carnalis nondum accesserit; committi potest a conjugum altero adulterium (§. 184. 193.) §. 197.

§. 197. Si conjux læsus cum conjuge, quem scit esse adulterum, & quem pro tali declaravit, denuo concumbat, ex ejusmodi facto ad illius consensum novum, eumque tacitum. in societatem conjugalem redintegrandam concluditur §. 1347. 1348. E.).

§. 198. Si concubina, quæ Romanis appellatur pellex, uxore vivente, contra pactum antecedens in domum inducitur; fidei conjugalis violatio (§. 1338. E.) & consequenter adulterium adest (§. 193.). conf. §. XVI. c. XXVI. GVNDL. J. N.

§. 199. Jam propius consideremus societatem patriam, quam definivimus (§. 148.), & inquiramus in fontes, unde jura parentum perfecta in liberos & horum obligationem externam, nec minus obligationes & jura externa, quæ parentibus, qua sociis, tribuuntur, nobis derivanda veniunt. GROTIVS, vir sui nominis, jus parentum in liberos ex generatione derivavit, unde, quomodo illud concipiatur, distinctius jam enucleabimus.

§. 200. Conjuges, qua parentes sunt concaussæ efficientes prolis, tanquam effectus communis (§. 202. E.). Quicquid aliquis facto suo (licito) existentiæ reddit, id consideratur, tanquam suum, idque acquisitum. *Soboles* ergo *tanquam suum parentum acquisitum* (§. 749. E.), idque *commune* consideratur, cum hic deprehendatur factum commune. Generatores dicunt, hi sunt nostri liberi, qui adeo sunt species SVI PARENTVM QVAESITI & appellari possunt SVVM PROGNATVM, PROGENERATVM. Huc accedit, quod parentes liberos deliciis suis annumerent, quibus felicitatem suam auctiorem reddere contendunt (§. 747. E.).

§. 201. Quicquid est e numero eorum, quæ nostra sunt naturaliter, ad id nobis competit jus naturale (§. 979. E.). *Parentibus ergo competit jus naturale in prolem, idque quæsitum* (§. 781. E.) *& commune* (§. 200.).

§. 202. Sed disquirendum, quousque hoc jus parentum in proles pateat? Soboles procreata est homo, cui tri-

tribuendum est suum connatum (§. 750. 749. E.), quod complectitur vitam, corporis, ejusque membrorum integritatem (§. 747. E.).

§. 203. Si soboles procreata enecetur, vel ejus corpus, hujusve membra vulnerentur, vel mutilentur, illa læditur perfecte (§. 767. E. & §. 202.).

§. 204. Parentibus non competit jus enecandi sobolem, vel ejus corpus, hujusve membra vulnerandi vel mutilandi (§. 768. E. §. 203.).

§. 205. Exponere sobolem, eam deserere, eique non præbere victum & amictum, juri naturæ repugnat (§. 143.).

§. 206. Ponas porro, quod soboles procreata aliunde nanciscatur res externas & jura. Quorum violatio cum sit læsio (§. 767. E.); nec parentibus competit jus eis eripiendi illa bona & jura, soboli aliunde quæsita s. adventitia (§. 768. E.).

§. 207. Si itaque liberi §. 200. dicantur suum parentum commune, illud eis non tribuitur ad perdendum & corrumpendum vel imperfectius reddendum (§. 202. 203. 206.); id quod affirmavit GROTIVS de vita, quam ad nostrum refert in loco, §. 747. E. adducto.

§. 208. Jus, quod tribuitur parentibus in sobolem prognatam, ipsis non competit ad illam imperfectiorem reddendam (§ 201. 204. 206.).

§. 209. Jus naturale, quod tribuitur parentibus in liberos, ad eos vel imperfectiores vel perfectiores efficiendos tendit. Cum illud ad prius non porrigatur (§. 208.); ad posterius tantum h. e. ad eorum conservationem, perfectionem seu felicitatem promovendam comparatum est.

§. 210. Jus naturale, quod tribuitur parentibus, est jus gerendi curam liberorum eorumque actiones dirigendi (§. 209. 135. 136.), h. e. jus eos educandi §. 137.). Unde patet, quod jus parentibus competat in liberos, qua educandos, qui adeo non aliud SVVM PARENTVM, quam EDVCANDVM, dici merentur.

§. 211.

§. 211. Notetur, quod jus parentibus competens in liberos ex eo concipiamus, quod liberi considerari debeant ceu suum parentum progeneratum (§. 201. 200.) Unde patet, quod idem jus paternum cum Grotio ex generatione recte derivetur. conf. §. 199.

§. 212. Jus dirigendi actiones liberorum dicitur POTESTAS PATRIA vel potius PARENTUM, quæ parentibus competit (§. 210.). Liberi, patriæ potestati subjecti, MINORENNES; eandem egressi, MAJORENNES audiunt.

§. 213. PRAESCRIBERE ALTERI FACIENDA est nihil aliud, quam determinare normas, quibus actiones ejus attemperandæ sunt. Ex jure dirigendi liberos fluit jus liberis præscribendi facienda (§ 136) quod imperium dicitur (§. 896. E.). Tribuendum itaque parentibus IMPERIUM in liberos (§. 210.) NATURALE dici suetum.

§. 214. Imperium naturale, quod parentibus vindicatur (§. 213.), concipitur ex eorum jure dirigendi liberos (§. cit.). Quousque itaque patet directio liberorum, eousque etiam patet jus eos dirigendi & consequenter imperium parentum naturale. Sed regimen hoc in actionibus liberorum, legi naturali conformandis, consistit (§. 136.) imperium itaque, parentibus vindicandum & consequenter coactio cum imperio conjuncta (§. 896. E.), ultra studium actiones liberorum juri naturæ attemperandi, h. e. eos EMENDANDI non est extendendum.

§. 215. *Qui sine jure naturali agit*, is sine facultate, quæ sibi a lege stricta naturali est relicta & concessa (§. 771. E.) & consequenter sine concessione illius legis, atque adeo contra legem illam & contra suum cuique (§. 754. E.), agere & *alterum lædere* (§. 767. E) *dicitur*.

§. 217. Si parentes liberis imperent aliquid, quod est contra jus naturale, imperium suum ultra studium actiones liberorum juri naturali attemperandi extendunt (§. 214.) & ex consequenti plus juris sibi sumunt, quam habent, atque adeo eatenus sine jure agunt, liberosque perfecte lædunt

lædunt (§. 215.). Parentes hoc casu agere contra obligationem internam, ex superioribus patet. Sed & eos violare obligationem perfectam, inde clarum est, quod illi contra officium non lædendi alios, quod perfectum est, agant.

§. 217. Emendatio liberorum est mensura imperii paterni (§. 214.), quod adeo correctionem quidem & castigationem modicam, minus tamen jus mala duriora liberis inferendi, vel jus vitæ & necis patitur. Quo ipso imperium paternum distinguitur ab imperio civili summo, quod cum jure vitæ & necis conjunctum est, de quo inferius.

§. 218. IMPERIVM quippe NATVRALE parentis est jus præscribendi liberis facienda, quæ ad eorum educationem spectant (§. 213. 137.). Sed IMPERIVM CIVILE est jus civibus præscribendi facienda, quæ ad salutem & tranquillitatem publicam spectant, de quo suo loco.

§. 219. Nullus in alium statu naturali habet imperium, nisi monstretur factum, unde illud concipiamus (§. 902. E.). Hic adest factum parentum, nempe generatio filii, unde imperium & illi annexa jura concipiuntur (§. 211.).

§. 220. Factum, unde jura & obligationes intelliguntur in statu naturali, dependet vel ab illo, qui obligatur, seu qui se obligat alteri, vel ab illo, cui alter obligatur. In nostro casu posterius obtinet, nempe factum parentum, quod est generatio §. 211.), unde jus & imperium eorum in liberos concipitur. Factum prioris generis est promissorium (§. 1429. E.).

§. 221. Si liberi arma capiant contra parentes, eosque in periculum vitæ conjiciant, eisve alia damna graviora minitentur, tunc illi hostes (§. 1094. 1201. E.), contra quos parenti, qua homini, competit jus defensionis, vel cum internecione eorum (§. 1111. 1190. E.). Sed hoc jus vitæ & necis non ex imperio paterno (§. 217.), sed

ex jure hominis lædendi in aggressores derivandum est, conf. Exerc. V.

§. 222. Si parentes fuerint principes reipublicæ, utrum cum imperio paterno in illis copulatum sit imperium civile in liberos, ex principiis infra obvenientibus dijudicandum erit.

§. 223. Studium seu conatus efficax, præscripta alterius exsequendi, dicitur OBSEQUIUM, ad quod parentibus religiose exhibendum liberi obligantur (§.213.) Vana alias nomina essent, jus dirigendi liberos, potestas patria, jus præscribendi facienda & imperium paternum (§.210.212. 213.), & finis, de quo obtinendo parentes soliciti sunt, actum non nancisceretur.

§. 224. Limites obsequii liberorum ex §§. 213.& 214. cognosci possunt.

§. 225. Sed obligatio liberorum, ad obsequium parentibus præstandum, non solum interna, sed & externa est. Nam jus paternum (§. 201.) & consequenter jus præscribendi liberis facienda (§. 213.) est jus perfectum(§.778.E), quod copulatum est cum jure cogendi alterum ad adimplendam obligationem (§.775.E.). *Obligatio* itaque *liberorum ad obsequium, parentibus præstandum, est externa & perfecta* (§.734.E.).

§. 226. Præcedentem propositionem alia ratione demonstrare possumus, si ad sequentem thesin attendere velimus. Jura sunt facultates agendi, nobis a lege cogente seu stricta concessæ (§. 772. E.) & connexæ cum facultate cogendi alios, qui contra jura nostra agere gestiunt (§. 775. E.). Ergo si cui dentur jura, tunc & dantur alii, qui inviti cogi possunt ad actiones quasdam vel intermittendas vel committendas. Sed ejusmodi actiones, ad quas committendas vel omittendas alter me cogere potest, dicitur officium strictum seu obligatio externa (§.762.E.), si cui ergo dentur jura, tunc & alii dantur, in quibus deprehenditur obligatio externa (vel affirmativa vel negati-

va,

va. (§. 321. E.). *In quo* itaque *casu datur jus perfectum, alicui competens, in eodem etiam adesse debet in aliis obligatio externa.*

§. 227. Unde concipimus, quod propositio, §. 780. Ex. demonstrata, converti possit.

§. 228. De jure perfecto & de obligatione perfecta loquimur. Hinc argumentationem ab existentia juris imperfecti ad coexistentiam obligationis perfectæ, vel ab existentia obligationis imperfectæ ad coexistentiam juris perfecti non adstruimus. Ab uno heterogeneo ad aliud N.V.C.

§. 229. Hinc si quis vel infringere universalitatem canonis nostri instantia, quæ desumitur a jure necessitatis, cui tamen obligationem externam in aliis, contra quos jus necessitatis adhibetur, minus respondere notum est; tunc negatur, quod illud jus necessitatis funestum sit jus proprie tale & perfectum, cum illud non sit facultas agendi alicui a jure naturali externo concessa (§. 777. E.). Cui non competit definitio, eidem non competit definitum. Nec difficilis erit demonstratio minoris, si originem illius juris necessitatis considerare voluerimus. Namque ex §. 1218. Ex. patet, illud esse facultatem naturalem violandi jus naturale externum. Illud itaque ex hoc non posse descendere manifestum est. Quæ ratio est, cur illud nonnullis sic dictum jus necessitatis potius favor necessitatis cum aliis appellari mereatur.

§. 230 Dantur casus, ubi prius nobis innotescit obligatio externa, quam jus perfectum; dantur & alii, ubi prius concipimus jura perfecta, quam obligationem externam. Priori casu ad jura perfecta aliorum, posteriori vero ad aliorum obligationem externam & efficacem concludere possumus (§. 226.)

§. 231. Evincere volui argumentationem a jure perfecto ad obligationem externam, cum in pluribus articulis juris externi illam cum compendio adhibere valeamus.

§. 232. Cum jus paternum sit jus perfectum (§. 201.),

etiam obsequium liberorum erit officium efficax & perfectum, seu obligatio liberorum ad obsequium, parentibus præstandum, est externa & perfecta (§. 226.)

§. 233. Si liberi contra præscripta parentum agere velint, illi obligationem suam perfectam (§. 225. 232.) violare, adeoque parentes lædere perfecte connituntur (§. 764. E.).

§. 234. Ex jure parentum dirigendi actiones liberorum, hisque præscribendi facienda, fluit, quod liberi minorennes absque præscitu & voluntate seu consensu parentum nihil suscipere possint & debeant.

§. 235. Liberi sine consensu vel prævio vel accedente seu subsequente parentum nec consentire (§. 1253. E.), nec promittere aliis aliquid (§. 1255. E.), nec promissa acceptare (§. 1264.), nec pacisci (§. 1277. E.), nec adeo per pacta obligari (§. 1324. E.) possunt.

§. 236. Pacta, quæ quis cum minorennibus celebravit citra vel contra consensum parentum, sunt ipso jure nulla (§. 235.).

§. 237. Liberos obligari parentibus REDDERE RATIONES ACTIONUM SUARUM, h. e. eis explicare, cur actiones susceperint vel omiserint (§. 42. E.), ex præcedentibus facile patet.

§. 238. Ad educationem pertinet institutio liberorum in religione (§. 336. E. & §. 137.). Ergo jus educandi etiam comprehendit jus instituendi liberos suos in religione. Sed cum parentes in statu naturali sint arbitri actionum suarum (§. 917. E.), & consequenter etiam earum, quæ ad liberorum institutionem in religione spectant; illi etiam jure gaudent, liberos suos pro arbitrio suo instituendi in religione aliqua.

§. 239. Religio est coactionis impatiens (§. 836. E.); ergo jus instituendi liberos suos in religione non est jus cogendi illos ad religionem præscriptam amplectendam.

§. 240. Jus educandi competit parentibus, qua talibus (§. 210.). Id quod etiam affirmandum de jure instituendi libe-

liberos in religione (§. 238.), quod adeo illi, qui parentes non sunt, sibi vindicare non possunt. Si itaque alii facultatem instituendi liberos alterius in religione sibi sumant citra contrave voluntatem parentum, jus parentum violant.

§. 241. Jus parentum & consequenter jus educandi liberos est utrique parentum commune (§. 201. 210.) Id quod applicandum venit ad jus instituendi liberos in religione (§. 238.). Si parentes sint diversæ religionis, parentum alter jure non gaudet religioni, quam profitetur alter, præferendi suam religionem, ad quam solam liberi manuducerentur. Hoc enim pugnaret cum communione juris. Parentes itaque ope pacti convenire debent, in quanam religione liberi instituantur, utrum in utraque, ita tamen, ut stet penes liberos, quem cultum religionis annis maturioribus illi eligere velint, an in alteriusutrius parentis religione.

§. 242. Si parentes inter se convenerint, penes quem solum stet imperium; hoc casu ille, cui soli illud competit, etiam solus gaudet jure instituendi liberos in religione sua. Qui enim solus habet Imperium paternum, is solus habet jus præscribendi liberis facienda, quæ ad eorum educationem spectant (§. 218.) & consequenter etiam jus educandi. Enimvero ex jure educandi liberos fluit jus eos instituendi in religione (§. 238.), quod adeo ei soli competit, cui soli commissum est imperium paternum.

§. 243. Consideramus jam societatem paternam in statu naturali, in quo etiam cum parentibus vivunt liberi, cum non vivant in statu civili (§. 889. E.). Sed quatenus status naturalis etiam opponatur statui sociali (§. cit.), liberi in statu naturali non vivunt.

§. 244. Quatenus liberorum actiones ab imperio parentum pendeant, eatenus illi generatoribus subjecti dicuntur (§. 913. E.), & eousque eorum libertas naturalis circumscripta est (§. 912. E.). Quo jure imperium parentum naturale dicitur, eodem jure etiam SVBIECTIO LIBERO-

BERORVM NATVRALIS nuncupanda est. Sed uti imperium naturale probe distinguendum est ab imperio civili (§. 217. 218), ita & subjectio liberorum naturalis curate discriminanda est a subjectione civili. Utriusque definitio efformatu facilis erit.

§. 245. An & quousque liberi a quibusdam dici possint SVBIECTI PARENTVM NATI, facile est ad intelligendum ex doctrinis præviis.

§. 246. Parentes gaudent jure circumscribendi libertatem liberorum naturalem (§. 244.), quæ ob id non tollitur (§. 937.), cum illius pars liberis salva maneat, quam imperium naturale non tangit. conf. §. 940. E.

§. 247. Emendatio liberorum est mensura imperii parentum (§. 214.), & consequenter subjectionis liberorum (§. 244.), quæ adeo non est illimitata & omnimoda. Unde patet, quod liberi non nascantur in servitute (§. 897. E.), & quod adeo non sint MANCIPIA, quæ sunt in dominio aliorum. An liberi in potestatem dominicam parentum cadere possint, ex inferioribus patebit. Suffecerit hic adnotasse, quod, licet illud ponatur, servitus tamen liberorum non ex imperio parentum, sed aliunde repetenda sit.

§. 248. Jus paternum non debet confundi cum jure dominico (§. 247.), de quo inferius.

§. 249. Si parentes liberos tractent ceu mancipia, vel eos vendant in servitutem, plus juris sibi sumunt, quam habent (§. 247. 248.), h. e. sine jure agunt, & consequenter liberos lædunt (§. 215.).

§. 250. Parentes in casu necessitatis urgentis posse jura, quæ sibi in liberos competunt, ope pacti in alios transferre, vel inde patet, quod ejusmodi alienatione jurium liberi non lædantur, quin potius conserventur conf. (§. 785. E.)

§. 251. Cessante caussa juris perfecti, cessat jus. Hinc si liberi habeant, unde vivant, vel ipsi sibi subsidia vitæ acquirere possint, insimulque didicerint, actiones suas at-

tem-

temperare juri naturali; exſpirat cura parentum (§. 135.) & eorum directio actionum liberorum (§. 136.) & ex conſequenti parentum jus gerendi curam liberorum & eorum actiones dirigendi & ex conſequenti jus educandi (§. 137.). Nec minus ſub hac hypotheſi exſpirat poteſtas patria, minorennitas liberorum (§. 212.), jus præſcribendi eis facienda & imperium parentum (§. 213.) & conſequenter etiam obſequium liberorum (§. 223.), tanquam oblig. tio externa (§. 225. 232.) Hoc caſu liberi fiunt majorennes & ſui juris (§. 212.), ſi ſtatum naturalem ſpectaveris, de quo nos loquimur, & qui determinationem temporis neſcit, quippe quæ ſtatui civili relinquitur, ubi imperantes annos minorennitatis determinare poſſunt.

§. 252. Ex §. præcedenti patet, quod, licet liberi habeant, unde vivant, vel ipſi auxilia vitæ ſibi comparare ſciant, tamen non egrediantur patria poteſtate, niſi ſimul didicerint actiones ſuas conformare legibus naturalibus.

§. 253. Licet parentum jus gerendi curam liberorum & jus dirigendi actiones eorundem tollatur, ob id non tollitur in parentibus omnis cura, omnisque directio actionum in promovenda felicitate liberorum, cum amor parentis ſemper proclivis maneat ad liberos & conſilio prudenti & rebus externis juvandum (§. 135.), licet nulla amplius coactio locum habeat, quæ cum jure perfecto copulata eſt (§. 775. E.).

§. 254. Liberi obligantur ad amandos parentes (§. 701. 712. E.), ad animum gratum eis religioſe demonſtrandum (§. 744. E.), ad eosque reverenter habendos, idque exſpirante non minus quam durante patria poteſtate, cum cauſſæ amoris, animi grati & reverentiæ erga parentes adhuc perdurent, licet patria poteſtate egreſſi fuerint. Ad quorum officiorum, parentibus vel juxta jus naturale internum debitorum, cultum cum tam multæ cauſſæ liberos commovere poſſint; hi, ſi ab amore erga parentes vacui ſint, naturæ monſtra ſe eſſe exiſtiment, licet animus ingra-

tus simplex non habeatur pro læsione in foro externo. (§. 766. E.).

§. 255. Si parentibus, qua sociis, obligationes perfectas & jura efficacia tribuere in statu naturali velimus, ea non nisi ex pacto eorum repetenda sunt (§. 46.).

§. 256. Hactenus cognovimus jus parentum cum juribus ei annexis, quod utrique parentum citra pactum competit. Ob communionem illius juris parens unus parentem alterum ab exercitio illius excludere non potest (§. 787. 768. F.). Id quod etiam de juribus reliquis, illi annexis, sentiendum. Si itaque parentum alter alterum ab eorum jurium exercitio excludere velit, oritur disceptationis causa justifica in statu naturali (§. 1092. E.).

§. 257. Imperium in liberos utrique parentum commune est (§. 256.).

§. 258. Cum parentes sint causæ efficientes sociæ generationis, eis tribuimus jus in partum commune (§. 200. 201.). Hinc si quæratur, cuinam ex parentibus tribuendum sit jus potius? decidendum erit, pater, an mater sit causa generationis potior?

§. 259. Si alter parentum moriatur, alter potestatem, antea divisam, integram nanciscitur, nisi ille ante mortem juris sui partem in alium transtulerit. Hinc illo casu mater non potest dici tutrix liberorum, si jus naturale spectaveris. TUTORES enim sunt, qui personas parentum demortuorum in educanda sobole repræsentant.

§. 260. Jus naturale cogendi alterum ad aliquid seu jus naturale alteri vim inferendi (§. 579. E.) est jus suscipiendi aliquid contra alterum invitum (§. cit.), h. e. ita agendi, ut alter invitus vel aliquid faciat vel fieri aliquid patiatur.

§. 261. Jus naturale cogendi alterum alicui non datur nisi contra violationem ejus, quod suum est (§. 778. E.), h. e., nisi adsit læsio perfecta (§. 707. E.). Hinc sola læsio est causa justifica coactionis, & consequenter vis, alteri infe-

inferendæ, ſeu juris ita agendi, ut alter invitus aliquid faciat, vel fieri aliquid patiatur (§. 260.).

§. 262. Unde alia, qua ſuperius uſi ſumus, ratione patet, quod ſola læſio ſit cauſſa belli juſtifica, cum bellum ſit ſpecies coactionis (§. 579. 806. E.).

§. 263. In quo caſu nulla concipitur læſio, ibi nulla concipitur cauſſa coactionis juſtifica (§. 261.).

§. 264. Hinc in ſtatu naturali tertius parentes cogere non poteſt ad educandam ſobolem (§. 785. E. 263.). In ſtatu civili principem habere jus cogendi parentes ad onus educandi in ſe ſuſcipiendum, ex inferius dicendis patebit.

§. 265. Si parentes inter ſe pacti fuerint de educanda ſobole, oritur ſocietas patria pactitia, & parentum uterque obligatur perfecte ad ferenda educationis onera (§. 1324. E.), & nanciſcitur jus cogendi alterum ſocium ad cuſtodiam pacti (§. 1330. E.).

§. 266. In ſocietate paterna juſtum eſt, de quo inter parentes conventum eſt (§. 61.).

§. 267. Vi pacti parentes obligantur ad mutuum in educanda ſobole adjutorium ſibi invicem præſtandum (§. 65.), & ex conſequenti ad mutuo conferenda ea omnia, quæ conſervandæ proli proficua, & ad omittenda, quæ educationi contraria videantur.

§. 268. Pacta injuſta in foro externo ſunt, quæ cum læſione alterius ſunt conjuncta (§. 1298. E.). Hinc pacta parentum, quæ juribus liberorum vel connatis vel acquirendis acquiſitisve contradicunt, injuſta ſunt in foro externo (787. E.). conf. §. 203. 206. 249.). Præterea pacta non poſſunt tollere ea, quæ juris ſunt (§. 67.).

§. 269. Pacta parentum injuſta ſunt in foro externo, in quibus de juribus & obligationibus conveniunt, quæ menſuram juris in liberos, ex generatione oriundi (§. 211.) excedunt. Ejusmodi enim pactum ſine jure celebratum & cum læſione alterius copulatum eſſet (§. 215.).

§. 270. Pacta, cum læsione alterius non conjuncta, haut sunt injusta in foro externo (§. 797. E.), neque læsionibus annumerari possunt.

§. 271. Superius demonstravimus jus paternum in liberos independenter a pacto parentum (§. 211), ex quo illud derivari non posse, patet ex §. 1432. E. Duo enim non possunt pacisci de obligatione tertii, non consentientis (§. 1349. E.). Liberos vero consentire non posse, per se clarum est.

§. 272. Ex jure parentum naturali in liberos oritur horum obsequium (§. 225.). Jam cum jus illud non ex pacto parentum concipiatur (§. 271.), idem etiam valebit de obsequio liberorum, tanquam officio perfecto.

§. 273. Liberi vivunt quidem in societate cum parentibus (§. 1.), sed quæ ob deficientem illorum consensum minus pactitia (§. 1288. E.), neque adeo obligatoria est. (§. 43.). Ex sola itaque contemplatione societatis, quæ est inter parentes & liberos, principia non nanciscimur, unde vel parentum, vel liberorum obligationes & jura intelligere nobis daretur (§. 46.).

§. 274. Si convenerint parentes, cuinam ex illis competere debeat facultas præscribendi facienda ratione finis communis, qui est educatio sobolis; nanciscitur parentum alter solus vi pacti jus præscribendi facienda §. 1328. E.) & consequenter imperium (§. 896. E.) rationis finis communis.

§. 275. Si ab uno parente violetur pactum, læditur alter parentum (§. 1311. E); liberi vero hoc casu in statu naturali pro læsis in foro externo non habentur, quippe qui compaciscentes non sunt. Loquor hic tantum de læsione, ex violatione pacti, a parentibus initi, descendente.

§. 276. Parentes jura acquisita duplicis generis nanciscuntur. Nonnulla concipiuntur citra pactum, ut jus paternum in liberos, jus educandi, jus præscribendi liberis facienda, imperium paternum seu naturale; nonnulla vero

vero dependent ab eorum pacto, e. gr. imperium, patri soli competens, potestas patria, soli patri competens &c.

§. 277. Liberi considerantur tanquam suum parentum acquisitum, idque commune (§. 200.). Si quis itaque parentibus liberos in statu naturali eripit, τὸ suum cuique violat, adeoque parentes lædit perfecte (§. 767.), jusque naturale externum (§. 754. E.) & IVS GENTIVM violat, quatenus hoc generaliter pro jure naturali, hominibus, qua talibus, custodiendo sumatur.

§. 278. Jus parentum in liberos concipitur ex generatione (§. 211.) & consequenter parentibus competit qua talibus; qui itaque parentes non sunt, eis non competit jus, quod adeo solis parentibus competit. Proinde si alii sibi arrogent illud jus, parentes perfecte lædunt (§. 787. E.). Idem est sentiendum, si alii sibi sumant jus liberis præscribendi facienda vel alia jura, cum jure paterno necessario connexa.

§. 279. Parentibus liberi eripi possunt vi aperta, consciis quidem sed invitis, nec minus insciis illis & invitis & dolo malo. Referas huc spolia, quæ intuitu liberorum alterius committi possunt.

§. 280. Quod §. 277. demonstravimus, illud etiam intelligendum de casu, ubi parens unus alteri parenti eripit liberos, qui τὸ SVVM PARENTVM COMMVNE sunt (§. 200.).

§. 281. Pars juris paterni, qua gaudet uterlibet parentum (§. 201.), producit obligationem perfectam in altero socio, patre vel matre (§. 226.), ne illum turbet in exercitio simultaneo illius juris, neve illum ab eo jure communi, ejusque exercitio excludat. Quæ si fecerit parentum alter alterum perfecte lædit (§. 765. E.).

§. 282. Deficiente læsione, deficit coactionis seu violentiæ, alteri inferendæ, caussa justifica (§. 263.). Diversitas religionis non est læsio (§. 1203. E.). Ergo diversitas religionis non est caussa coactionis justifica.

§. 283.

§. 283. Nemo in statu naturali parentes ob solam religionis diversitatem cogere potest, ut sibi sobolem educandam tradant, seu, nemo parentibus invitis, h. e. adhibita vi (§. 579. E.) sobolem eripere potest sub religionis diversæ obtentu (§. 282.).

§. 284. Qui, sub obtentu religionis, parentibus liberos se eripere posse existimant, considerent §§. 904. 905. Ex., nec minus §. 823. E.

§. 285. Quo purior, quam quis sub pectore gestat, religio est, eo procliviores illa reddit ejus cultores ad colendam pacem externam, eoque illos alieniores efficit ab excitandis turbis & rixis. Hinc religio purior illam justitiam externam maximopere inculcat (§. 823. 831. 838. 840. E.), cujus cultus pacem generis humani externam conservat & amplificat (§. 797. 806. E.) & homines sociabiles (§. 40.) reddit. Sed illa justitia religiosam τὸ suum cuique custodiam postulat (§. 797. E.), quam adeo & religio purior nobis inculcare merito existimatur.

§. 286. Durante in liberis judicii imbecillitate, necessaria est institutio eorum in religione (§. 836. E.), & hoc casu parentibus sine dubio competit jus instituendi eos in sua religione, in aliisque deprehenditur obligatio perfecta, ne illos in exercitio juris sui turbent (§. 226.). Sed si liberi nacti fuerint judicium maturius, & de veritate religionis parentum dubitare incipiant, solliciti de amplectenda alia religione, quæ sibi melior videtur; hoc casu cessat jus parentum liberos ulterius instituendi in religione sua, cum illud alias in jus cogendi liberos ad religionem degeneraret, quod repugnat (§. 239.).

§. 287. Licet sub hac hypothesi exspiret parentum jus manuducendi liberos ad religionem, attamen ob id non statim exspirat jus paternum, tanquam principium illius juris. Quamvis enim effectus aliquis sub certis conditionibus cesset, ubi caussa agere negatur, eam ob rationem caussa non tollitur. Fieri potest, ut liberi, licet ob judicium

cium maturius abire possint a sacris parentum, se tamen regere in aliis rebus nondum didicerint; quo casu illi adhuc sub imperio paterno permanent (§. 213.). Ponas e. g. in liberis alicujus Judæi maturescere judicandi facultatem, in iisque dubia subnasci de sacris Judaicis, eosque desiderio flagrare amplectendi Christianorum religionem, cujus principia, quæ ab illis inspiciuntur, sibi satius probari confitentur; hoc casu non tollitur totum jus paternum, quod & genti recutitæ non est denegandum, nec illud infringitur, si ejusmodi liberos in sinum suum Christiani recipiant, cum illis tantum jus perfectum liberos suos ulterius informandi in religione sua denegetur, quod eis hoc casu amplius tribui non potest. Neque adeo sub iisdem conditionibus ejusmodi parentibus datur justa caussa conquerendi de violatione §phi 283., cum in nostra hypothesi eis liberi non eripiantur ob solam religionis diversitatem, sed hisce tantum concedatur copia ad nostra sacra transeundi. Ejusmodi casus A. 1715. Berolini extitit, qui notatu dignissimus est, & quem Commissarii quidam regii examinare & ad principia juris Naturalis revocare debuerunt.

§. 288. Superius §§. 124. 134. 135. 136. 138. 140. 141. 142. 143. obligationem parentum naturalem & divinam, ad educandos liberos contendentem, sat manifeste cognovimus. Unde & patebit, quam graviter peccent parentes contra naturam, contra voluntatem divinam, contraque dictamina rationis, adeo ut illi omnem humanitatis & religionis sensum exuisse videantur, qui prognatos deserunt, quique officiorum in salute eorum amplificanda negligentiores sunt. In pudorem dantur ejusmodi parentes a compluribus hominibus, gentilismo addictis, quibus pejores se ostendunt generatores, sacris alias purioribus tincti & ingenii dotibus instructi. Taceo jam animalia bruta, quæ naturæ convenientius vivunt, quam istiusmodi parentes, qui turpiter violant jus naturæ, quod natura omnia animalia

malia docuit, quodque, si accesserit ei usus rationis, fit illustrius. Hæc obligatio naturalis augetur, si consideraverint generatores, se sibi contrahere pœnas divinas arbitrarias, quæ in systemate divino, cum violatione juris naturalis copulatæ sunt(§. 1450. 1451. E.). Huc accedit, quod in custodiendis hisce officiis erga liberos parentes gloriam divinam illustrent (§. 323. E.). Quæ itaque obligatio datur ad excelsum Numinis nomen dilatandum, quæque fortissima est vel in homine, qui rationis usu pollet (§. 833. 834. E.), ea etiam ad sobolem solicitissime educandam comparata est.

§. 289. Hæc obligatio deducta fuit ex amore parentum erga liberos (§. 135.) & ex auxiliis, aliis hominibus, se juvare nesciis. exhibendis (§. 134.). Hactenus proinde non nisi officia parentum naturalia erga liberos, quæ ab amore & humanitate dependent (§. 766. E.) demonstravimus, quæque cum obligatione interna naturali sunt eadem (§. 737. E.), quibusque jus imperfectum respondet (§. 773. E.).

§. 290. Si parentes plane deseruerint prolem, e. g. illam exposuerint, suum deserunt & derelinquunt. (§. 200.). Hoc casu datur similitudo inter prolem derelictam & rem abjectam (§. 1519. E.). Vi hujus analogiæ ab eo, quod justum est circa res abjectas, ad id, quod justum est circa prolem derelictam, argumentari possumus (§. 85. E.) Unde patet, quod ejusmodi liberi derelicti cedant aliis, eos occupantibus (§. 1519. E.). Hoc proinde casu occupantes nihil nisi jus paternum acquirunt.

§. 291. Sed quæritur, an etiam in parentibus detur obligatio externa & perfecta, quæ liberis vel aliis tribuit jus perfectum (§. 780. E.). cogendi parentes ad ferendos sumtus & onera educationis sustinenda (§. 775. E.). De statu naturali loquor, quem curate distinguere debemus a statu civili, ubi quippe respublica jure gaudet obligandi parentes perfecte ad alendos educandosque liberos, idque ob salutem publicam, quæ non permittit, ut liberi civium vel mise-

misere pereant, vel instar brutorum & ut inutilia civitatis pondera adolescant, præcipue cum conjugia habeantur pro seminario reipublicæ.

§. 292. Si jus naturale externum tribueret liberis jus perfectum postulandi a parentibus alimenta, amictum & alios sumtus, qui hisce sæpius sat molesti sunt; parentes nec illos a liberis, utut ingratissimis & meliori fortuna utentibus, repolcere, nec de illis in massam hæreditariam conferendis disponere, nec operas & labores ad sumtus educationis compensandos liberis injungere possent, & quæ sunt ejusmodi consectaria alia.

§. 293. Sumtus educationis ad suum parentum pertinent, & consequenter non nisi ope pacti transferri possunt in liberos (§. 1538. E.). Qui cum pacisci non possint durante infantia & minorennitate (§. 1281. 1282. E.), ejusmodi derivatio sumtuum in liberos eodem tempore non concipitur. Sumtus itaque educationis SVVM parentum hoc casu permanent, & consequenter parentes jure gaudent illos repetendi (§. 101.), vel de iisdem inter vivos libere disponendi (§. 1496. E.).

§. 294. Unde patet, quod parentes in rebus publicis, ubi vigent testamenta, habere possint jus ita disponendi, ut liberi teneantur sumtus educationis in massam hæreditariam conferre. Hoc jus cessaret, si parentes ad onera educationis perfecte obligarentur.

§. 295. Si liberis a patre, vel matre, vel aliunde advenerint facultates, unde sumtus educationis hauriri possint; ne in foro quidem interno parentes ad eos suppeditandos obligantur (§. 722. E.). Sed & hoc casu obligarentur parentes, si liberis tribueretur jus perfectum, ejusmodi sumtus exposcendi.

§. 296. Subministratio victus & amictus, aliarumque rerum, ad educationem spectantium, est species auxilii (§. 710. E.), & consequenter officii stricti non est (§. 766. E.), neque adeo ex obligatione perfecta & externa naturali repeti debet

debet (§. 761. E.). Enim vero nullum jus perfectum alteri tribui potest, ubi in altero nulla obligatio perfecta concipitur (§. 226.); liberis ergo nullum jus perfectum tribui potest, ad sumtus educationis, a parentibus postulandos.

§. 297. Sumtus educationis a parentibus in liberos jure perfecto derivati non censentur (§. 296.). Unde nova vice patet, quod ejusmodi sumtus intuitu liberorum sint alienum, restituendum parentibus, id reposcentibus (§. 1528. E.). Huic juri parentum reposcendi sumtus educationis respondet liberorum obligatio perfecta ad eos refundendos parentibus, id exigentibus (§. 216.). Id quod etiam de damnis, a liberis parenti illatis, intelligendum (§. 996. E.).

§. 298. Nec inde minus clarum est, ejusmodi sumtus non ut debitum legis naturalis cogentis considerandos esse (§. 1326. E.), quamvis verum sit, eos esse debitum legis naturalis internæ (§. 288.).

§. 299. Hinc si parentes non reposcant sumtus educationis, hoc non nisi amori & liberalitati parentum liberi acceptum ferant necesse est (§. 297.). Ob quam caussam ejusmodi parentes intensiori amore, & majori reverentia digni sunt.

§. 300. Parentes gaudent jure educandi liberos §. 210.), sed stricte & perfecte non obligantur ad sumtus educationis subministrandos (§. 296.). Unde patet, quod illi male subducant rationes, qui existimant, parentes, si velint frui jure educandi liberos, etiam obligari perfecte, ad sumtus educationis de suo ferendos.

§. 301. Non desunt alii casus, ubi quis jure perfecto gaudet faciendi aliquid, nec tamen perfecte obligatur, ad subministrandos sumtus, qui ad illam rem, existentiæ reddendam, necessarii sunt. Tutor habet jus gerendi curam pupilli, eumque educandi; is tamen perfecte non obligatur pecuniam suam educando pupillo ita insumendam, ut eandem non reposcere possit. Sic princeps pollet jure

con-

conſervandi rempublicam. Ponas quod is in difficultate annonæ granaria ſua civibus aperuerit, quod de ſuo milites conſcribendos curaverit, vel aliis modis boni publici gratia æraria ſua exhauſerit vel diminuerit; ille ſemper jure gaudet repoſcendi a civibus ea omnia, quibus eis ſuppetias tulit in caſu extremæ neceſſitatis. Idem etiam valebit de adminiſtratore regni.

§. 302. Non ſolum ex legibus naturalibus de auxilio aliis quibuscunque (§.721.E) & ſpeciatim ſociis (§.5.) ferendo & ex indole grati animi (§. 746. E.), ad quem liberi parentibus religioſe teſtificandum tenentur (§.254.), concipi liberorum obligationem internam, ſed & externam ex eorum officio perfecto refundendi educationis ſumtus (§. 297.) intelligimus, ad mutuum auxilium parentibus ferendum & ad operas atque labores in ſe ſuſcipiendos, quibus utilitas & commoditas parentum promoveri, quibusque onera educationis vel tolerabiliora effici vel compenſari poſſint.

§. 303. Si liberi ſumtus educationis parentibus, eos repoſcentibus refundere, eisque operas & labores imperatos præſtare nolint; illi contra obligationem perfectam (§. 302.), & conſequenter contra officia ſtricta (§.761.E.) agunt, atque adeo parentes perfecte lædunt (§.764. E.) & *animum ingratum* (§. 746. E.), copulatum cum læſione perfecta, hoc eſt, *qualificatum*, oſtendunt.

§. 304. *Dos* eſt pars bonorum, quam parentes transferunt in filias, ut conjugii onera eis tolerabiliora efficiantur. Cum conſtitutio dotis ſit ſpecies auxilii (§. 720. E.), ad quod parentes jure perfecto naturali non obligantur (§. 766. E.); illa haberi non poteſt pro debito legis naturalis externæ.

§. 305. Cum *portio legitima* ſit pars bonorum, lege definita, liberis, parentibus, & certo caſu fratribus & ſororibus a teſtatore ſine onere relinquenda, num ea ſit juris naturalis cogentis, ex §. 1647. E. dijudicandum eſt. Nec deſunt aliæ rationes, cur id negandum ſit.

SPECIMEN III.
DE
IVRE DOMINICO IN STATV NATURALI.

§. 306.

SOcietates dantur, ubi quis alteri ministeria seu operas præstat, & quæ dicuntur *dominicæ*. Socii appellantur *domini* & servi. Differentibus a se invicem operis, ad quas nobis præstandas alter obligatur, differunt a se societates dominicæ.

§. 307. Si ad ea, quæ in commercio humano contingunt, reflectamus, inscitia, paupertas, luxuria, ignavia, ambitio, avaritia, quorundam pruritus alios lædendi & conturbandi pacem externam occasionem dederunt societatibus dominicis.

§. 308. Ministeria servorum contendunt ad utilitatem vel commoditatem domini promovendam. Sed cum vi legis appetitus homo nihil appetat, nisi quod is sibi sub specie boni repræsentat (§.175.E.), & consequenter nemo gratis bonus æque ac malus reperiatur; servus æque ac dominus utilitatem in societate hac quærere existimatur, nisi ultra mensuram humanitatis sapere, & doctrinas fingere velimus, quæ a naturæ ductu & consequenter a dictamine rationis & ab experientia prorsus alienæ sunt (§. 359. E.). Unde clarum est, utilitatem servorum ab ea, quam domini ab eorum operis expectare velint, esse separari nesciam. Ponas servum abs te nihil prorsus commodi præsentis, futurive, sperare posse, is proclivis non erit ad ministeria tibi exhibenda. Si quis itaque aliquid velit acquirere per servos, hisce ex domini saltim alimentis vivendum erit. Hinc utilitas domini, operis servi promovenda,

da, & conjuncta cum hujus quodam emolumento, FINIS COMMVNIS IN SOCIETATE HERILI recte dicitur (§. 306. 4.). conf. GVNDL. J. N. c. 32. §. 4. 5.

Si sumseris, quod sola utilitas domini sit finis hujus societatis communis, ad quem obtinendum & dominus & servus contenderent; hic finis, quem, ob communionem illius, præter dominum etiam tribuis servo, præponit in servo conatum & voluntatem promovendi utilitatem domini (§. 510. 505. E.). Enimvero voluntas præponit repræsentationem vel boni obtinendi, vel mali avertendi (§. 154. 166. 155. 167. E.), id quod etiam ex lege appetitus patet (§. 175. E.); finis, quem servis tribuimus, h. e. utilitas domini promovenda, ab illis considerari debet tanquam res, qua vel bonum consequi vel malum avertere possint. Ergo *utilitas domini ab aliquo saltem bono seu emolumento, quod servus ab eo expectare valeat, divelli non potest.*

Unde patet, quod sola utilitas domini non sit habenda pro fine hujus societatis communi. Quem proinde antea recte determinatum esse, clarum erit.

Tollas omnem repræsentationem vel boni obtinendi, vel mali declinandi, tolles casu dato voluntatem omnem (§. 154. 166. 155. 167. 175. E.) & consequenter omnem finem (§. 510. 505. E.), atque adeo finem communem, qui est species finium. Hinc pone hominem, qui in societate quacunque, tecum ineunda, nihil emolumenti, nihilve mali declinandi sibi repræsentat, in eo nullus concipitur finis, neque adeo finis communis. Enimvero finis communis separari non potest a societate ineunda (§. 1.); hæc itaque non concipitur, ubi non extiterit finis communis. *Si proinde hominem posueris, qui in societate quacunque, tecum ineunda, nihil prorsus emolumenti sibi repræsentet, in eo etiam nulla concipitur societas, tecum ineunda.* Id quod sub eadem hypothesi applicandum ad societatem dominicam, tanquam speciem. Sic multiplici ratione concipimus nexum utilitatis domini cum quocunque servi emolu-

 mento,

mento, qui finem societatis herilis communem constituit,

COROLLARIVM I. Finis societatis herilis emolumentum servi, saltem infimi generis, complectatur, necesse est.

COROLLARIVM 2. In casu, ubi quis emolumentum prorsus nullum, nec infimi generis, expectare possit a domino, nullus etiam concipitur finis societatis dominicæ communis.

§. 309. Dantur bona varii generis, quibus commoti homines societates dominicas secum invicem inierunt. τὸ vivere simpliciter, quod obtineri non potest sine victu & amictu necessario, seu necessaria vitæ conservatio & consequenter securitas a periculo certo pereundi, sunt bona infimi generis, quibus sublatis omnia bona in homine, naturaliter consideratо, evanescunt, & cooritur malum summi gradus. Tollas in homine necessariam vitæ conservationem, tollas in eodem securitatem a periculo certo pereundi; pones mortem, instinctui se conservandi, homini ab Autore naturæ implanato, adversissimam, & remanebit boni vel emolumenti prorsus nihil in eodem, in sphæra naturali considerato. Jam cum finis societatis herilis complectatur nexum utilitatis domini cum servi emolumento, minimi saltim generis, (§. 308.) idem *finis societatis dominicæ communis complectitur, ratione servi, necessariam ad minimum vitæ ejus conservationem, & illius securitatem a periculo certo pereundi.*

§. 310. Principia juris naturalis, sociis in genere consideratis observandi, quæ §§. 35. 36. 37. 39. 40. in medium protulimus, ad hanc societatem facili negotio applicari possunt.

§. 311. Societas dominica obligatoria non nisi ex pacto descendit (§. 43.), quod vel expressum vel tacitum esse potest (§. 44.). Hinc & obligationes jura horum sociorum, qua talium, non nisi pactitia sunt, & distinguenda ab eorum obligationibus & juribus connatis. conf. §. 46. 50.

COROLLARIVM: Servi, natura tales, non dantur.

§. 312.

§. 312. Si illi, qui domino operas suas determinatas promittunt, paciscantur pro certa mercede vel pro alimentis vel aliis commodis, ei *servi mercenarii* seu *mercede conducti* dicuntur. Hujuscemodi societates, quæ ex locatione conductione dijudicantur (§. 1619. E.), ut plurimum temporariæ sunt (§. 48.), utut perpetuas implicare non affirmaveris.

§. 313. In genere hic adnotemus, quod servitia, ad quæ servi, quicunque obligantur, nec in se, nec naturaliter, nec moraliter impossibilia esse debeant (§ 83.).

§. 314. Servi, qui in proprietate dominorum sunt, dicuntur *mancipia*, vel *servi, strictissime sumti*, it. *servi proprii*. Hoc casu dominus pro arbitrio suo operas servo injungere, & ex illis utilitatem & commoditatem suam promovere (§. 1484. E.), nec minus de eo libere disponere (§. 1496. E) & eum vindicare a quocunque (§. 1500.E.) eumque aliis donare (§. 1563.E.) & vendere (§. 1618.E.) potest. Hæ sunt conclusiones ex idea proprietatis depromtæ; sed quæritur, annon detur aliquid, quo illud dominium in ejusmodi homines limitetur.

§. 315. Justitia vel injustitia ejusmodi societatum earumque spontanearum, in foro externo, internove, dijudicari potest ex §. 51. Quod ad earum justitiam in foro interno pertinet, illa ex §. 1567. 1570. 1572. Ex. peculiariter perspicitur. De eo, quod justum est circa servitutem, in quam alii inviti conjiciuntur, inferius agemus.

§. 316. Vi pacti obligantur servi ad ministeria exhibenda domino; & consequenter ad hujus commoda promovenda, dominus vero nanciscitur jus operas a servis exigendi (§. 1324. 1328. E. 306.) eosque cogendi ad eas sibi præstandas (§. 735. E., dummodo ministeria nec absolute, nec naturaliter impossibilia sint (§. 313.).

§. 317. Vi pacti domino competit jus, servo præscribendi facienda (§. 316.) & consequenter IMPERIVM

 (§. 896.

(§.896.E.), DOMINICVM seu HERILE dici solitum, cui respondet OBSEQVIVM IN SERVIS (§.223.316.). Reflectatur hic simul ad §. 313.

§. 318. Imperii herilis & obsequii servorum mensura est pactum (§. 317.). Hinc illud non minus quam hoc ultra pactum sociorum non est extentendum.

§. 319. Consensus dominorum & servorum requiritur ad modum contrahendi societatem herilem (§. 54.), nec minus ad modum promovendi finem communem, de quo pacti sunt. (§. 55.).

§. 320. Actiones domini & servi justæ vel injustæ sunt, prout illæ pacto vel conformes sunt vel eidem repugnant (§ 57. 58.). De justitia externa hic sermo est.

§. 321. Modus contrahendi societatem herilem justus est, de quo inter ejus socios conventum (§ 60.).

§ 322. In societate dominica justus est modus promovendi finem communem, de quo inter dominum & servum conventum est (§. 62.).

§. 323. Quod justum est in una societate dominica, id potest esse injustum in alia hujus generis (§. 322.).

§. 324. Si horum sociorum alter agat contra modum conventum, is injuste agit (§ 64.).

§. 325. Ex fine horum sociorum paciscentium communi & consequenter ex intentione eorum conspiranti obligationum & jurium, ad eos spectantium, termini intelliguntur (§. 66.).

COROLLARIVM I. Hinc obligatur dominus ad ea minimum servis suppeditanda, quæ ad necessariam eorum vitæ conservationem spectant, nec minus ad omittenda, quibus illi, qua servi, in periculum certum pereundi conjiciuntur. (§. 309.).

COROLLARIVM 2. Obligationi, domino tribuendæ, respondet jus in servis naturale, sibi decenter consulendi (§.780 E.), si illi ne necessariam quidem vitæ suæ conservationem penes despotam invenerint, vel si ab illo, tan-

quam

quam tortore barbaro, in manifestissimum pereundi periculum conjiciantur.

§. 326. Imperii herilis termini ex intentione dominorum & servorum conspiranti conspiciuntur (§. 325.). Id quod etiam de limitibus obsequii servorum tenendum est.

§. 327. Societates heriles non possunt tollere, quæ juris sunt (§. 67.).

§. 328. Si servus utilitatem domini non promoveat, quam tamen vi pacti promovere possit, vel non intermittat, quæ commodis domini contraria sunt, is lædit dominum (§. 71, 308.).

§. 329. Servi consectatio utilitatis propriæ, quæ pugnat cum utilitate domini, vi pacti promovenda, est læsio perfecta (§. 72. 308.)

§. 330. Servo utilitas domini præferenda est, utilitati propriæ, idque juxta mensuram conventionis (§. 73. 74. 308.)

§. 331. Casus, ubi domino vel servo integrum est recedere a societate, dijudicantur ex §. 78. 73.

§. 332. Dominus jure gaudet eo dispiciendi, ne a servo lædatur, nec tolerandi actiones ejusdem, utilitati suæ repugnantes, nec minus postulandi damnorum, sibi a servo illatorum resarcitionem, adhibendique remedia proportionata, quibus ille in officio suo contineri possit (§. 81.).

§. 333. A servi consensu in amplificationem utilitatis domini ad consensum in remedia concluditur (§. 82. 308.).

§. 434. Quo casu alter paciscens etiam in hac societate nanciscatur jus resiliendi a societate, ex §. 90. intelligitur. Referas huc casum, quem §. 92. proposui. Mutuo dissensu domini & servi hanc societatem dissolvi, patet ex §. 91.

§. 335. Dominus jure gaudet adhibendi remedia (§. 332.) & consequenter mala, adeoque & pœnas proportionatas (§. 362. 1084. E. 328. 329.), quibus servus in officio suo contineri possit.

§. 336. Quæritur, an ex idea hujus societatis fluat jus vitæ & necis, domino, qua tali, in servos, qua tales, tribuendum? Si dominus ea faciat, quibus servi, qua tales, in periculum certum pereundi conjiciuntur, is agit contra obligationem naturalem, per Coroll. 1. §. 325. & consequenter contra leges naturæ (§. 761.E.), atque adeo sine jure, (§. 772. E.). *Dominus* itaque *jus vitæ* & *necis in servum, qua talem, non habet.*

§. 337. Pactum sociorum præponit finem communem (§. 1.), de quo obtinendo illi conveniunt. Illud itaque & consequenter obligationes & jura sociorum, quæ ex eodem descendunt (§. 1328. 1324), ultra finem societatis communem porrigi non possunt.

§. 338. Quod § præcedenti in genere de pacto sociorum demonstravimus, illud etiam admittendum est de speciebus pactorum, quibus socii uti possint. Unde patet, quod pactum tacitum sociorum & consequenter obligationes eorum & jura ultra finem societatis dilatanda non sint.

§. 339. Jus herile ultra finem societatis dominicæ communem (§. 337.) porrigendum non est. Quod cum fieret, si dominus servum, qua talem, interficere vellet (§. 309.); jus dominicum usque ad jus vitæ & necis servorum extendi non potest. Hinc *domino, qua tali, hoc jus non est tribuendum.*

§. 340. Cum & pactum tacitum sociorum ultra finem societatis non sit extendendum (§. 338), etiam obligationes & jura, ex pacto tacito oriunda, ultra mensuram finis societatis porrigenda non sunt. Hinc jus dominicum (§. 316.) & inde descendens imperium herile (§. 317.), quod ex pacto sociorum tacito concipitur, ultra terminos finis societatis protendendum non est.

§. 341. Neque solum ex fine specifico hujus societatis, sed & ex fine societatum generali intelligere possumus, domino tribui non posse jus vitæ & necis in servum innocentem & pacatum.

§. 342.

§. 342. *Socius, qua talis, in socium, qua talem, jure vitæ & necis uti non potest.* Interfectio enim ejusmodi pugnat cum essentialibus & cum quolibet attributo proprio societatis. Quot proinde dantur attributa illius propria, tot sunt demonstrationes, huc spectantes. Illa quippe pugnat cum communione finis (§. 1.), cujus socius particeps esse debet, & qui vel in obtentione boni communis, vel in declinatione mali communis consistit (§. 4.); illa porro pugnat cum unitate voluntatum (§. 7.), virium (§. 12.) & personarum (§. 17.), nec minus cum mutuo adjutorio (§. 13.) Si pugnet facultas illa interficiendi socium cum essentialibus & cum attributis propriis societatis, illa cum hac ipsa pugnat & ex consequenti ejusmodi jus vitæ & necis esset contradictorium (§. 37. E.) h. e. nullum. Idem jus etiam peccaret contra principium: dominus servo suum connatum tribuat (§. 310.).

§. 343. Huc etiam applicare potest propositio adhuc generalior: *Homo in hominem, qua talem, hoc est, socialiter viventem jure vitæ & necis uti non potest.* Si quis enim socialiter vivit, suum cuique tribuit (§. 40.), & consequenter neminem lædit (§. 707. E.), adeoque nemini causam belli (§. 1092. E.), h. e. vim sibi inferendi (§. 806. E.) justificam subministrat. *Interfectionem alterius* esse actum, quo quis alteri vim extremam infert, per se patet.

§. 344. Aut servus est socius aut minus. Si adstruxeris posterius, peccas contra principia. Et ponas, illum non esse socium domini, is tamen homo est & permanet, qui jura connata habet, quæ violare nefas est. Si vero admiseris, servum esse socium domini, tunc dominus, qua talis, in servum, qua talem, jure vitæ & necis uti non potest (§. 342.).

§. 345. Propositio, §. 344. demonstrata, applicari potest ad omnes societates. Sic pater in filium, qua talem, & vice versa; conjux in conjugem, princeps in civem, qua talem, civis in civem, qua talem, jure vitæ & necis uti non potest.

§. 346. Sensus reduplicativus hic probe attendendus est.

§. 347. Si servus personam hostis induat, domino, qua homini, competit jus interficiendi servum, qua hostem, idque juxta jus læsi vel lædendi in lædentem vel aggressorem (§. 1190. Exer.). Hoc casu servus non consideratur, qua talis, sed qua hostis.

§. 348. Ponas, quod servus jus vitæ & necis in se, qua servum, transtulerit in dominum ope pacti, hoc erit contradictorium. Pacisceretur enim ille contra instinctum se conservandi naturalem, quo tamen adactus duro servitutis jugo se subjecit. Ex instinctu se conservandi & simul contra illum pacisci est ἄτοπον. Huc accedit, quod, licet vita ad suum connatum servi pertineat, illa tamen non ad perdendum, sed ad custodiendum sibi a creatore concessa fuerit (§. 747. E.). Quorsum spectat ratio, ad quam reflexit cum aliis *Gundlingius* in J. N. §. X c. 32.

§. 349. Ponas porro, quod servus jus vitæ & necis in se, qua hostem futurum, transtulerit in dominum ope pacti, hoc erit superfluum; cum hoc casu dominus illud jus habeat ante & citra pactum (§. 347.).

§. 350. Si servus alias læsiones vel culposas, vel dolosas commiserit in bonis domini, ad reparationem damnorum ille obligatur (§. 996. E.), & si nihil habeat, unde expectari possit ejusmodi reparatio, pœnis coerceri potest, ut cautior & circumspectior fiat in operis suis præstandis, vel ut ab actibus proaereticis similibus deterreatur. Dominus itaque ad pœnam corporis quidem afflictivam, minus tamen capitalem progredi potest, qua quippe ultima nullum damnum resarcitur.

§. 351. Si quis dixerit, dominum pœnam capitalem adhibere posse ad alios conservos a cujusdam servi delictis magis deterrendos ob securitatem publicam societatis totius dominicæ, quæ magna esse potest, tunc supponitur novus finis, qui spectat ad aliam societatem, civilem quippe,

pe, de qua inferius. Hoc casu dominus insimul se gereret principem & regem, & sic orietur regnum dominicum, quod a nuda societate dominica discernendum est.

§. 352. Imperium dominicum, de quo nos loquimur, non est copulatum cum jure vitæ & necis (§. 317. 336. seqq.). Inferius patebit, quod imperium civile summum conjunctum sit cum jure gladii ob securitatem publicam conservandam, quo casu sæpius opus est, ut pœnæ hominibus facinorosis infligendæ alios ejusdem farinæ a libidine delinquendi deterreant.

§. 353. Imperium dominicum, de quo nobis sermo est, differt ab imperio civili supremo (§. 352.), & consequenter ab imperio, quod regi in regno dominico competit. In ejusmodi rege deprehendi duplex imperium facile patet; alterum quippe eidem, qua domino, alternm qua imperanti summo seu regi competit. Regnum dominicum componitur ex societatibus duabus, civili quippe & dominica.

§. 354. Servorum actiones ab imperio herili dependent (§. 317.). Hinc *servi domino subjecti* dicuntur (§. 913. E.).

§. 355. Imperium dominicum concipitur ex jure dominico (§. 317.), quod est illius principium (§. 42. E.). Quousque itaque patet jus dominicum, eousque etiam porrigendum est imperium congener. Sed jus herile ultra utilitatem domini, vi pacti a servo promovendam, extendi non potest (§. 339.); id quod adeo etiam affirmandum de imperio herili.

§. 356. Subjectio servi concipitur ex imperio dominico (§. 354.) Hinc quousque patet imperium dominicum, eousque etiam subjectio servorum protendenda. Sed imperium herile ultra utilitatem domini, vi pacti a servo promovendam, & conjunctam cum aliquo emolumento servi, non porrigitur (§. 355.); id quod adeo etiam affirmandum est de subjectione servorum. Eandem non esse copulatam cum obligatione luendi pœnam capitalem, patet ex §. 352.

§. 357.

§. 357. Subjectionem, servo tribuendam, esse diversam a subjectione civili, quæ copulata est cum obligatione ad pœnam capitalem promeritam perferendam, clarum est ex §. 356, & inferius magis patebit.

§. 358. Domino (§. 314.) competit jus, pro arbitrio suo injungendi servo proprio operas, quibus utilitas sua commoditasve promoveri possit (§. 1484. E.), nec minus de eo libere disponendi (§. 1496. E.), eumque vindicandi a quocunque detentore (§. 1500. E.), & eum alienandi (§. 1537. E.), & permutandi cum aliis rebus (§. 1572. E.), eique pretium pro arbitrio imponendi (§. 1588. E.), ac eum vendendi (§. 1618. E.). In quorum tamen jurium exercitio ad mancipii interfectionem usque dominus progredi non potest, cui quippe jus vitæ & necis jure naturali non conceditur (§. 352.).

§. 359. Utrum dominus in statu naturali servos suos ope testamenti in alios transferre possit, hoc dependet a §. 1647. Ex.

§. 360. Nec implicat ususfructus, quem dominus alteri constituere potest in servis (§. 1554. E.). Sic fieri potest, ut ususfructus in terris & servis adscriptitiis constituatur.

§. 361. Si cui durum videatur, despotæ tribui jus alienandi & vendendi servum, is perpendat, posse jura nostra alienari & vendi, cum illa recipiant pretium. Servus, jus naturæ si spectaveris, non venditur ut res externa vel ut pecus, sed non nisi jus, domino in illum competens, alienatur. Romanos habuisse servos pro rebus, illud non ex Juris Naturæ, sed ex sectæ, quam amplectebantur, principiis derivandum.

§. 362. Ex § 311. clarum est, jus dominicum pacto posse restringi, quoad alienationem servi vel alia jura, domino ceteroquin competentia. Conf. §. 321., quo casu jus dominicum limitatur quidem, sed non tollitur (§. 932. E.).

§. 363.

§. 363. Domino rerum externarum tribuitur quidem jus iisdem abutendi (§. 1552. E.), hoc tamen in servum ei denegatur, cum ejusmodi abusus tendat ad substantiam rei destruendam (§. 1551. E.), & consequenter ad necem servo inferendam, quo tamen jure non gaudet dominus (§. 352.). Abusus servorum, de quo jam diximus, distinguendus est ab abusu eorundem alio, quo dominus conscientiam & jus naturale internum violat (§. 966. E.).

§. 364. Concipimus differentiam, quæ est inter proprietatem rerum externarum, & eam, cui subjectus esse potest servus proprius (§. 358. 363.). Unde non minus patent limites eorundem jurium, de quibus determinandis §. 314. solliciti eramus.

§. 365. Nec minus ex præcedentibus clarum est, omnia jura, ex proprietate orienda, domino tribui posse, quæ finem hujus societatis non egrediuntur.

§. 366. Cum domino vi præcedentium nullo modo competat jus vitæ & necis in servum, vel abutendi eodem (§. 363.), servitus juxta disciplinam juris naturalis externi tam dura & funesta non est, quam quæ quidem nonnullis videatur.

§. 367. Si dentur gentes, apud quas termini servitutis deprehendunrur laxiores iis, quos ex principiis juris externi naturalis determinavimus, etiam atque etiam considerandum nobis est, quod in nostra disciplina non quæratur, quid moris sit, sed quid juris, cujus ad mensuram mores hominum & integrarum gentium examinandi veniunt. Quid judicandum sit de moribns gentium, id patebit ex jure gentium, de quo inferius.

§. 368. Quousque patet jus dominicum in mancipia, eousque etiam extenditur imperium in illa (§. 355.). Sed jus dominicum in mancipia porrigitur ad jus pro arbitrio injungendi servo proprio operas, quibus utilitas commoditasve domini promoveri possit (§. 358.), ad quod adeo etiam extenditur imperium dominicum.

§. 369.

§. 369. Imperium dominicum in mancipia est jus mancipiis præscribendi omnes omnino actiones (§. 896. E. 368.), si ab operis vel in se, vel naturaliter vel moraliter impossibilibus discesseris (§. 313.).

§. 370. Subjectio servi, & consequenter mancipii, concipitur ex imperio dominico (§. 354.). Actiones itaque mancipii omnes subjectæ sunt liberæ dominorum dispositioni (§. 368.), dummodo observes limitationem, cujus mentionem fecimus (§. 369.).

§. 371. Imperium dominicum non complectitur jus cogendi mancipia ad religionem (§. 836. E.).

§. 372. Ex §. 370. liquet quousque SERVITUS EIUSMODI sit subjectio omnimoda, seu status, quo quis actiones suas imperio alterius omnimode attemperare obligatur. Conf. §. 897. Ex. Servitus itaque ejusmodi cum conjuncta sit cum jactura omnis omnino independentiæ ab imperio humano, etiam copulata est cum amissione omnimoda libertatis naturalis (§. 912. E.).

§. 373. Mancipia absque præscitu & voluntate seu consensu dominorum nihil suscipere possunt (§. 370.), neque adeo ullius actionis suæ arbitri sunt, sub limitatione tamen perpetua, ex §. 369. deprehenditur.

§. 374. Obligatur servus, de quo loquimur, domino rationes reddere actionum suarum omnium (§. 369. 226. 237.). Nec minus patet, quod dominus solus jure polleat examinandi servorum actiones ad mensuram præscripti, eisque pœnam irrogandi proportionatam vid. §. 350.

§. 375. Vi §. 373. mancipiis non competit facultas consentiendi (§. 1253. E.), nec promittendi aliis aliquid (§. 1255.). Hoc casu illius, cui servi aliquid promittere volunt, acceptatio nulla (§. 1265. E.), neque adeo ullum pactum concipitur (§. 1277.). *Mancipia* itaque *ab aliis ope pacti obligari non possunt* (§. 1324. E.).

§. 376. Servi proprii citra vel contra consensum dominorum conjugia inire non possunt (§. 375. 373.). Nec minus

minus vi §. 369. quæri poteſt, utrum dominus ſervis propriis imperare poſſit conjugium?

§. 377. Nihil datur, niſi pactum, unde intelligendum veniat jus dominicum in ſervos proprios (§. 311.). Si dentur caſus; ubi homines in extrema calamitate coguntur ſui conſervandi cauſſa ad ſe alterius proprietati ſubjiciendos; concipimus pactum expreſſum, quo nititur ſocietas dominica (§. 1368. E.), quæ poteſt eſſe vel temporaria vel perpetua (§. 48). Ejusmodi caſibus homines malum minus majori præferunt.

§. 378. Vi pacti nanciſcitur hoſtis in hoſtem jus vitæ & necis (§. 1645. 1642. E.), adeoque jus hoſtem actu interficiendi, ſi illius armorum vis ſuperior, h. e. ſi is VICTOR extiterit. Hoc caſu hoſtis aut expectat extrema aut arma ponit. Si poſterius arripiat, hoſtis alter ceu victor & conſequenter ſuperior jure pollet præſcribendi victo tanquam inferiori conditiones, ſub quibus illi vitam condonnare velit. Ponas, quod victor hoc nolit niſi ſub lege ſervitutis plenariæ, & quod hoſtis hanc morti præferat; hoc caſu eligit hoſtis ſervitutem omnimodam & conſequenter illam vult, eamque promittit (§. 1244. E.), quod promiſſum victor acceptat (§. 1264. E.). *Concipimus* itaqne *pactum* (§. 1277. E.), *quo quis victoris proprietati ſubjicitur*, ſeu quo quis fit *victoris ſervus proprius.* Sic intelligimus etiam ope belli oriri GENTES SERVAS.

§ 379. Si dentur homines in ſtatu naturali, qui infamiam merentur, ob inſignem injuſtitiæ externæ gradum (§. 1334. E.), & ob niſum effrenem, quem aperte oſtendunt, violandi τὸ ſuum cuique (§. 797. E.) & lædendi alios; alii jure gaudent ſe reſtituendi contra illos in ſtatum plenariæ ſecuritatis (§. 1081. E.), & ex conſequenti eos, alio modo flecti neſcios, vel occidendi (§. 1645. 1642. Ex.), vel ſub jugum ſervitutis mittendi (§. 1083. E.), ſi illi extrema experiri nolint. Hoc caſu *concipimus factum, quod cauſſam præbet belli & ſubjugationis* aliorum *maxime juſtificam*

(§. 1092.

(§. 1092. E.) *& cur* GENTES, *alias liberæ, fieri possint* SERVAE.

§. 380. Licet ejusmodi pacta metu extorqueantur, illa tamen justa esse, patet ex §. 82.

§. 381. Sed & hoc casu exspirat jus vitæ & necis, donec illud data nova belli caussa justifica denuo oriatur. Notemus conditionem, sub qua servi ejusmodi paciscuntur, & quæ ad conservationem vitæ ejus tendit. Adest itaque pactum conditionatum bilaterale (§. 1375. E.)

§. 382. Dominum non posse servo proprio denegare alimenta & vestimenta necessaria, patet ex §. 325. Hæc obligatio domini ex pacto tacito concipitur.

§. 383. Ex præcedentibus doctrinis abunde constat, quod & servis quibuscunque fieri possit injuria, quod notandum est contra *Hobbium*. Conf. *Gundlingii* J. N. §. 15. c 32.

§. 384. Qua ratione liberi possint fieri servi parentum proprii, patet ex §. 378.

§. 385. Nec minus inde clarum erit jus paternum confundendum non esse cum jure dominico. Respicias ad §§. 247. 248.

§. 386. Ventilatur quæstio, utrum liberi, durante servitute a servis propriis prognati, etiam servi proprii fiant. Jus dominicum non nisi ex pacto repetendum est (§. 311.). Nec liberi de eo pacisci, nec eorum parentes, qua tales, ope pacti jus dominicum, quod ipsi non habent (§. 385.), in alios transferre possunt. Quam sententiam defendit B. BVDDEVS, a quo dissensit B. GVNDLINGIVS §. 14. cap. 32. J. N. G.

§. 387. Jura, quæ inhærent rebus propriis, pertinent ad dominum (§. 1484. E.). Id quod applicandum ad jura, ante & extra servitutis statum, servis competentia, & quæ devolvuntur ad dominum.

§. 388. Jus paternum servi, extra statum servitutis, in prognatos suos competens, devolvitur ad dominum (§. 387.) Id quod etiam de juribus, juri paterno annexis, intelligendum.

dum. Nolo repetere ea omnia, quæ jamjam fuſe de jure & imperio parentum dicta ſunt in ſpecimine præcedenti, quippe quæ facili negotio ad dominum noſtro caſu applicari poſſunt.

§. 389. Demonſtravimus §. 293., parentibus competere jus repetendi a liberis ſumtus educationis, quod multo magis tribuendum eſt dominis intuitu liberorum ſervi proprii, ex facultatibus deſpotarum educatorum. Cui juri dominorum perfecto reſpondet talium liberorum obligatio æque perfecta (§. 226.) ad mutuum auxilium dominis ferendum & ad operas & labores, ab illis ſibi imperatos, in ſe ſuſcipiendos, quibus utilitas & commoditas deſpotarum promoveri, quibusque victus & amictus compenſari poſſint.

§. 390. Ex §. præcedenti patet falſum eſſe, quod ejusmodi liberi ſervorum non niſi ad animum gratum, dominis exhibendum, obligentur, quæ obligatio perfecta non eſt (§. 746. E.).

§. 391. Qua ratione liberi ſervorum fieri poſſint ſervi proprii illius, cujus dominio illorum parentes ſubjecti ſunt, patet ex §. 378.

§. 392. Occupans prolem, a parentibus expoſitam, in ſervitutem omnimodam detrudere non poteſt (§. 311.).

SPECIMEN IV.
DE
IVRE FAMILIAE IN STATV NATURALI.

§. 393.

Societates simplices, quas hactenus sigillatim contemplati sumus, diversimode inter se copulari possunt. Sic societas conjugalis cum paterna; paterna cum herili; conjugalis cum herili, conjugalis cum paterna & herili connecti potest. Societas composita ex duabus vel tribus societatibus ejusmodi simplicibus usus quotidiani gratia dicitur DOMVS, SOCIETAS DOMESTICA vel CAMILIA. Conf. B. CHR. THOMASII notam m. ad HVBERI J. Civ. L. II. Sect. I. c. 2.

§. 394. Familia potest esse sine servis, nec minus sine liberis (§. 393.).

§. 395. Conjuges, parentes, & domini, dominæve, in hac societate PATRES-MATRESVE FAMILIAS & CAPITA FAMILIAE dicuntur. Reliqua hujus societatis membra DOMESTICORVM nomine indigitari possunt, e quorum numero sunt liberi, qui FILII-FILIAVE-FAMILIAS vocantur, & servi, vel conductitii vel proprii, & quibus diversa nomina impertiuntur, de quibus in tractatione nostra generali nos minus oportet esse solicitos. Suffecerit jam annotasse, operas & ministeria aliorum, quæ in societatibus herilibus spectantur (§. 306.) diversi generis esse. Quæ differentia efficit, ut & ipsæ ejusmodi societates valde varient, & ut justum possit esse in una, quod est injustum in alia (§. 63.).

§. 396. Principia juris Naturalis societati in genere sumtæ, custodienda, & §. 35, 36, 37, 38, 39. prolata, facili negotio

gotio ad familiam, quæ species societatum est (§. 393.), applicari possunt.

§. 397. Incidimus hic in societatem compositam. De qua doctrinas generales formabimus, quas non solum ad familias, sed & ad alias societates compositas inferius applicare possimus.

§. 398. In societate composita duæ vel plures societates integræ finem communem obtinere allaborant (§. 1. 2.).

§. 399. Majus auxilium mutuum, quod oritur ex unione virium plurium (§. 720. E.), & quo societates simplices, de quibus egimus, conservari magis & promoveri possint, adeoque majores utilitatis, commoditatis, securitatis, defensionis gradus dederunt familiis occasionem, unde & earum fines (§. 510.) æstimandi veniunt.

§. 400. Totum est diversum a partibus (§. 1541. 51. E.). Ens compositum est totum (§. 1541. E. & 19.) quod constat ex suis partibus (§. 19.), ergo ens compositum est diversum a suis partibus & novum quiddam.

§. 401. Differentibus a se invicem societatibus, differunt etiam a se invicem fines (§. 1.), & differentibus a se invicem finibus societatum, hæ etiam a se differunt. (§. cit.).

§. 402. In ortu societatis novæ deprehenditur novus finis (§. 1.).

§. 403. In societate composita membra sunt societates integræ (§. 2.), quæ sunt a se invicem distinctæ, vel numero, vel specie, & inter se unitæ (§. 19.).

§. 404. Societates integræ, quæ in societate composita deprehenduntur, sunt vel similes vel dissimiles (§. 52. 53. E.), vel eædem vel diversæ (§. 50. 51. E.).

§. 405. Societas composita est societas a singulis societatibus, ex quibus illa constat, diversa, & nova (§. 400.). Ponas, quod societates tres coalescant in compositam, hæc erit quarta & consequenter nova societas.

§. 406. *Finis compositus* est finis, qui constat ex duobus vel pluribus finibus, a se distinctis, & inter se unitis (§. 19.).

§. 407. Si copulentur inter se societates diversæ, oritur copulatio illarum finium (§. 1.) eorumque diversorum (§. 401.), & consequenter progignitur finis, qui ex earum societatum finibus particularibus, a se diversis & inter se unitis constat & consequenter compositus est (§. 406.), & diversus a singulis finibus partialibus (§. 400.)

§. 408. In societate composita datur finis communis (§. 398.), qui est compositus (§. 407.) & diversus a singulis finibus particularibus (§. cit.).

§. 409. In societate composita datur finis compositus (§. 408. & consequenter novus (§. 400.).

§. 410. In ortu familiæ oritur finis compositus & diversus a singulis finibus particularibus (§. 408. 393.) & consequenter novus (§. 409.).

§. 411. Societas domestica obligatoria non nisi ex pacto sociorum (§. 43. 393.) descendit, & obligationes atque jura sociorum illius, qua talium, non nisi pactitia sunt (§. 46.) De societate domestica, qua societate obligatoria, loquor. Hic duo casus probe a se distinguendi. Socius enim in jure sibi tribuendo vel provocat ad societatem vel ad factum, a societate diversum. Priori casu is ad ejusmodi *societatem* provocat, quæ producit jura & obligationes, & quam ob hanc caussam *obligatoriam* nomino (§. 43.), cujus vero aliud fundamentum non esse nisi pactum, §. cit. evici. Posterioris casus exemplum deprehendimus in parente, qui licet cum liberis vivat in societate, in jure tamen paterno sibi vindicando non provocat ad societatem, sed ad generationem, unde jus suum descendit, idque juxta superius dicta.

§. 412. In dijudicandis juribus & obligationibus sociorum, qui in familiis deprehenduntur, pacta, quibus nituntur societates, quæ membra societatis domesticæ inter se copulata sunt, inspicienda veniunt (§. 411.). Si obveniat societas, quæ pactum nullum præponit, hoc casu obligationes

tiones & jura ſociorum familiæ etiam aliunde derivanda ſunt.

§. 413. Ex ſocietatibus pactitiis oriuntur obligationes & jura ſociorum perfecta (§. 1324. 1328. E.).

§. 414. Differentibus a ſe invicem ſocietatibus pactitiis, differunt ſociorum jura & obligationes (§. 413.).

§. 415. Differentibus a ſe invicem ſocietatibus, in quarum qualibet juribus peculiaribus aliquis fruitur, differunt etiam ſociorum jura & obligationes (§. 413.). Applicetur hæc propoſitio præcipue ad ſocietates ſimplices.

§. 416. Coorientibus novis ſocietatibus pactitiis, cooriuntur nova ſociorum jura & novæ obligationes (§. 413.).

§. 417. Si ſocietates pactitiæ inter ſe connexæ fuerint, earum obligationes & jura inter ſe connexa ſunt (§. 413.).

§. 418. Cooriente ſocietate compoſita pactitia, cooriuntur nova ſociorum jura, novæque obligationes (§. 416. 405.), quæ differunt ab obligationibus & juribus, ex ſocietatibus ſimplicibus progigni ſuetis (§. 405. 414.), & inter ſe connexis (§. 403. 417.).

§. 419. Si conjungantur duo vel plura jura, a ſe diſtincta, oritur jus compoſitum (§. 19.) & diverſum a juribus inter ſe copulatis, idemque novum (§. 400.).

§. 420. Qui jure gaudet conjungendi duo vel plura jura a ſe alias diſtincta; is jure gaudet formandi jus compoſitum, quod diverſum eſt a juribus inter ſe copulatis, idemque novum (§. 419.).

§. 421. Si quis polleat duobus vel pluribus juribus, a ſe diſtinctis, & ſimul gaudeat jure conjungendi illa, eidem & jus competit, componendi illa in ſeipſo (§. 19.).

§. 422. Idem ex ejusmodi jurium compoſitione nanciſcitur jus compoſitum & novum (§. 419.).

SCHOL. Probe hic adnotemus, quod licet quis habeat jura a ſe diſtincta, is non ſtatim gaudeat facultate formandi ex illis jus compoſitum. Sic in aliquo individuo videas κύρια diverſarum rerumpublicarum, cum in eodem tamen

illa non sint copulata, nec princeps statim jure polleat conjungendi illa in seipso. Ut ad divisionem juris in partes jus dividendi, ita ad compositionem jurium jus ea componendi requiritur (§. 215.).

§. 423. IUS FAMILIAE est illud, quod patri-familias intuitu familiæ competit. Dicitur etiam a *Zieglero* IUS OECONOMICUM in notis ad Grot. de J. B. & P. L. I. c. 1. §. 14. Quodcunque ergo jus patri-familias intuitu familiæ non competit, illud non est jus familiæ. Enimvero patri-familias jus paternum, qua patri, jus conjugis, qua conjugi, & jus dominicum, qua domino (§. 137. 201. 316.) nec ex consequenti intuitu familiæ (§. 393.) competit; hinc patri-familias intuitu familiæ nec solum jus paternum, nec solum jus conjugis, nec solum jus dominicum competit. Unde patet, quod neutrum horum jurium separatim sumtum, sit jus familiæ.

§. 424. Jus familiæ est jus diversum a jure conjugum, a jure paterno & a jure dominico, si hæc jura separatim spectaveris (§. 423.).

§. 425. Ponas, quod ex tribus illis juribus patri-familias vel duo, vel omnia tria ita competant, ut illa in eo non copulata sint inter se; tunc eadem jura illi absque intuitu familiæ jamjam competerent. Neque adeo hoc casu nasceretur jus familiæ (§. 423.).

§. 426. Jus familiæ est, quod patri-familias intuitu familiæ competit (§. 423.). Hinc jus familiæ vel ex unico trium jurium, ex societatibus simplicibus oriundorum, vel ex duobus vel tribus separatim sumtis, vel ex duobus tribusve copulative acceptis constat (§. 393.). Nec prior casus (§. 423.), nec alter (§. 425.) locum habere potest, tertius ergo restat, ubi jus familiæ nobis concipiendum sit.

§. 427. Jus familiæ nullum aliud jus esse potest, quam compositum vel ex juribus coniugum & paterno, vel ex iuribus coniugum & herili, vel ex iuribus paterno & herili, vel ex iuribus coniugum, paterno & herili (§. 426.).

Sed

Sed iam indagandum nobis erit, utrum & sub quibus determinationibus eiusmodi ius compositum subnasci possit, idque in diversis casibus arbitrario formatis. Ex §. praecedenti patet, quod ius familiae non nisi ex nexu iurium particularium, eo spectantium, oriatur & diiudicari debeat. Id quod etiam de omni iure composito affirmandum erit (§. 419.)

§. 428. Simulac coniuges nanciscuntur liberos, illi praeter iura, quae ex societate coniugali pactitia oriuntur §. 173.), adipiscuntur iura parentum (§. 201.), & consequenter hoc casu in illis coniunguntur iura, a se distincta, quae edeo coalescunt in ius compositum ex iuribus coniugum & parentum (§ 19.), hoc est, in ius familiae (§. 427.).

§. 429. Tollas pactum a societate coniugali, ex compositione illius cum societate paterna nullum ius familiae conciperemus.

§ 430. Educatio liberorum est finis parentum (§. 510. E. 148.), quem hi sine aliorum operis vel prorsus non vel non satis commode obtinere possunt. Proinde operae aliorum sunt e remediis, quae educationi promovendae vel necessaria vel proficua saltem sunt (§. 511. E.). Unde patet, quod societas herilis, coniuncta cum societate paterna, sit remedium promovendi educationem liberorum (§. 306.).

§. 431. Parentes iure gaudent perfecto educandi liberos (§. 201. 210.). Educatio liberorum est finis (§. 510. E. 137.). Qui habet ius ad finem, habeat & ius ad arripienda remedia (§. 510. 511. E.). Enimvero copulatio societatis herilis cum societate paterna est remedium promovendi educationem (§. 430.); parentes ergo iure gaudent copulandi societatem herilem pactitiam cum societate paterna, & ex consequenti coniungendi ius herile (§. 316.) cum iure paterno (§. 201.).

§. 432. Si parentes ineant cum aliis societatem herilem pactitiam, illi, qua heri, iure herili (§. 316.) &, qua parentes iure paterno pollent (§. 201.), quae sunt iura a se distin-

distincta (§§. cit.). Enimvero cum parentes jure gaudeant conjungendi jus herile cum jure paterno (§. 431.); eisdem & competit jus componendi illa in semetipsis (§. 421.). Hac ratione parentes nanciscuntur jus compositum (§. 419.) ex juribus paterno & herili, & consequenter jus familiæ (§. 427.).

§. 433. Si societas conjugalis pactitia conjungatur cum societate herili vel dominica pactitia, jus conjugum cum jure herili connectitur (§. 417.), Sed cum jus conjugum a iure herili distinctum sit (§. 173. 316.); hoc casu oritur jus compositum (§. 419.), ex jure coniugum & ex iure herili, h. e. ius familiæ (§. 427.).

§. 434. In compositione societatum, coniugalis, paternæ & herilis componuntur tres familiæ simplices (§. 393.), a se distinctæ §. cit.). Hoc itaque casu oritur familia composita ex tribus familiis, a se diversis (§. 19.) & consequenter nova (§. 400.).

§. 435. Ex compositione societatum conjugalis pactitiæ, paternæ & herilis pactitiæ oritur familia composita ex tribus familiis, a se distinctis (§. 434.). Sed quælibet harum familiarum gaudet iure familiæ (§. 428. 432. 433.); ex compositione itaque illarum societatum simplicium, quarum duæ ponuntur pactitiæ, oritur ius compositum ex tribus familiarum distinctarum iuribus peculiaribus, & consequenter ex iuribus coniugum, paterno & herili (§. 393.). Concipimus ergo etiam hoc casu ius familiæ (§. 427.).

§. 436. An dentur familiæ sine iure, patri familias, qua tali, tribuendo, ex positionibus præcedentibus diiudicandum veniet.

§. 437. Cooriente societate domestica, eaque pactitia, cooriuntur nova sociorum iura, novæque obligationes, quæ differunt ab obligationibus & iuribus, ex societatibus simplicioribus progigni suetis, & inter se connexis (§. 418.).

§. 438.

§. 438. Vi §. 66. ex fine sociorum familiæ paciscentium communi, qui compositus & novus est (§. 410.), & consequenter ex intentione eorum conspiranti obligationum & jurium novorum termini intelliguntur (§. 437.).

§. 439. Jura & obligationes patrumfamilias & domesticorum paciscentium, a juribus & obligationibus conjugum, dominorum & servorum diversa sunt tanquam tota a partibus (§. 437.).

§. 440. Hæc propositio alia ratione demonstrata est (§. 424.), ubi simul diversitatem juris familiæ a jure paterno evicimus.

§. 441. Jus patrisfamilias est jus mixtum & compositum ex juribus, diversos fontes, qni sunt fines diversi societatum simplicium, habentibus.

§. 442. Nec minus clarum est, quod in dijudicando jure familiarum perspecta nobis esse debent jura conjugum, paterna & dominica, in se spectata, & quæ in illo conspirant (§ 441.).

§. 443. Si jus naturale spectaveris, jus familiæ, alteri conjugum vel potiori vel omnimoda ratione tribuendum, non nisi ex pacto eorum repetendum est (§. 46.), quo deficiente jus familiæ utrique conjugum commune judicatur.

§. 444. Jus familiæ est jus promovendi finem societatis domesticæ (§. 423. 393. 1. & 399.) adhibendique remedia, quibus ille obtineri possit (§. 512. E.), nec minus removendi impedimenta, fini illi & remediis contraria (§. 517.).

§. 445. Jus familiæ est jus promovendi finem societatis domesticæ (§. 444.). Qui cum sit compositus (§. 410.); idem jus est jus promovendi fines societatum simplicium partiales, inter se copulandos (§. 406.).

§. 446. Vi juris familiæ patri-familias tribuendum est jus connectendi fines societatum simplicium, ex quibus familia conflatur (§. 445.), & consequenter determinandi relationem, quam habere debeant societates simplices erga se invicem (§. 73. E.).

§. 447. Paterfamilias vi juris familiæ nanciscitur jus

 deter-

determinandi normas, quibus actiones liberorum & servorum, quatenus hi in societate domestica vivunt, attemperandæ veniunt (§. 344. E. 446. 393.).

§. 448. Vi juris familiæ paterfamilias adipiscitur jus ferendi leges, domesticis observandas (§. 326. E. 447.).

§. 449. Vi juris familiæ paterfamilias nanciscitur jus domesticis præscribendi facienda (§. 213. 447.). Unde patet, quod vi ejusdem juris patri-familias competat IMPERIUM in eos, qui in familia vivunt (§. 896. E.), & DOMESTICUM appellari solitum.

§. 450. Imperio patrisfamilias respondet obsequium domesticum (§. 449. 223.).

§. 451. Obsequium domesticum concipitur ex imperio patrisfamilias (§. 450.), & consequenter eousque extendendum, quousque patet illud imperium.

§. 452. Cum idem imperium sit jus perfectum (§. 896. E.), obligatio domesticorum ad obsequium, capiti familiæ exhibendum, est perfecta (§. 226.).

§. 453. Actiones liberorum & servorum vi juris familiæ ab imperio patrisfamilias dependent (§. 449.). Hinc liberi & servi, quocunque hi nomine veniant, patrifamilias subjecti dicuntur (§. 913. E.). SUBIECTIONEM HANC DOMESTICAM vocabimus.

§. 454. Si vi pacti conjugalis (§. 443.) marito jus familiæ, vel potiori, vel omnimoda ratione, competat, uxor imperio domestico (§. 449.) subest, atque eatenus patrifamilias subjecta est (§. 453.).

§. 455. Imperium patrisfamilias (§. 449.) ab imperio conjugali (§. 192.) & paterno (§. 213.) & dominico (§. 317.) discriminandum est (§. 439.). Id quod etiam de subjectione domestica valebit (§. 453.), cujus discrimen a subjectione conjugis, liberorum & servorum eodem modo intelligitur. Idem imperium, eandemque subjectionem ab imperio & subjectione civili separari debere, ex specimine sequenti clarum fiet.

§. 456. Concipimus imperium domesticum ex jure patris-

patrisfamilias promovendi finem societatis suæ (§. 444. 445. 446. 449.). Quousque finis societatis domesticæ pactitius patet, eousque etiam patet imperium patrisfamilias in domesticos paciscentes.

§. 457. Subjectio domestica concipitur ex imperio domestico (§. 453). Subjectio itaque domestica ultra finem societatis domesticæ pactitium non est protendenda (§. 456.).

§. 458. Imperii patrisfamilias & subjectionis domesticorum termini ex intentione patrisfamilias & domesticorum conspiranti intelliguntur (§. 438.).

§. 459. Quousqne imperium domesticum in liberos, nec minus horum subjectio domestica pateat, ex §§. 431. 432. 428. dijudicandum erit.

§. 460. Patres-familias exercent non solum jus paternum in liberos minorennes, qua generatores (§. 201.), sed & jus familiæ, qua capita familiæ (§. 444.); nec minus in liberis minorennibus duplicem deprehendimus obligationem perfectam erga parentes, qui patresfamilias simul sunt, alteram quippe erga parentes, qua tales (§. 225.), alteram vero erga illos, qua capita familiæ (§. 453.).

§. 461. Licet liberi majorennes egrediantur patriam potestatem (§. 251.), & consequenter societatem paternam, tamen adhuc manere possunt in familia, hujusque intuitu eorum obligatio externa erga parentes, qua patres-matresve familias (§. 460.), salva manet.

§. 462. Si post majorennitatem liberi permaneant in familia parentum, illos ex pacto tacito saltem (§. 1368. E.), imperio domestico subesse, facile est ad judicandum.

§. 463. Paterfamilias vi juris familiæ gaudet etiam facultate determinandi, quomodo liberi erga semetipsum, liberos reliquos & servos, quomodo servi erga semetipsum, liberos & servos gerere se debeant (§. 449.).

§. 464. Patres-familias exercent non solum jus herile in servos, qua heri & domini (§. 316.), sed & jus domesticum, qua capita familiæ (§. 432. 433. 435.); nec minus in servis duplicem deprehendimus obligationem perfectam erga

erga dominos, qui patresfamilias simul sunt, alteram quippe erga dominos, qua tales (316.), alteram vero erga illos, qua capita familiæ (§. 424. 439. 452. 455.), & erga reliquos domesticos (§. 463.).

§. 465. Officia stricta patrisfamilias erga domesticos diversi generis partim ex pactis, ab illo cum hisce initis, partim ex eorum juribus connatis, quæsitisve, dijudicantur.

§. 466. Ad hanc societatem applicandi veniunt §§. 54. 55. 57. 58. 60. 62. 63. 64. 67. 71. 72. 73. 74. 78.

§. 467. Præcipue etiam notandum, quod obligationes sociorum familiæ nec debeant esse naturaliter, nec moraliter impossibiles (§. 83.).

§. 468. Paterfamilias jure gaudet non tolerandi domesticorum actiones, fini societatis suæ repugnantes, nec minus postulandi damnorum, ab illis sibi illatorum, resarcitionem, adhibendique remedia proportionata, quibus illi in officio suo continentur (§. 81.).

§. 469. Si oriatur collisio inter societates partiales, familiam constituentes (§. 610. E.), patri-familias competit jus suscipiendi exceptionem (§. 611. E.).

§. 470. Patri-familias competit jus eo dispiciendi, ne societas altera alteram turbet (§. 444.), & hunc in finem determinandi normas, quibus socii actiones suas attemperent (§. 344. E.). Huic juri respondet obligatio domesticorum (§. 226.).

§. 471. Vi juris familiæ patri-familias competit jus determinandi ordinem, quem socii inter se servare debeant, προεδρίαν, aliasque prærogativas (§. 446. 464.).

§. 472. Paterfamilias vi juris familiæ pollet jure determinandi normas, quibus actiones domesticorum attemperandæ veniant (§. 449.), & consequenter examinandi eorum actiones juxta normas præscriptas. Unde patet, quod patri-familias competat jus adigendi domesticos actionum suarum convenientiam cum normis commonstrent, sibique adeo exponant, cur hoc vel illud fecerint, omiserintve, hoc est, ut reddant rationes actionum suarum (§. 237.).

SPE-

SPECIMEN V.
DE
IMPERIO CIVILI.

§. 473.

STimulus se conservandi & desiderium felicitatis innatum solicitos effecit mortales de securitate a læsionibus hominum malesanorum, a ferocia belluarum, ab injuriis cœli, aliisque malis; nec minus de commodiori vitæ transactione & cumulatiori felicitatis suæ amplificatione, quos fines obtinere non potuerunt homines, si vel sigillatim, vel etiam in familias, aliasque societates minores divisi vivere debuissent dispersim per terrarum orbem. HERTIUS incommoda status naturalis descripsit egregie in Prudentia Civili p. 43. seqq., cui inter alios jungatur WOLFFIUS, commoda societatis civilis pari ratione adumbrans in Politicæ §. 210. seqq.

§. 474. In quibus latitant rationes, cur & homines singulares, & familiæ, aliæque societates minores coalescere potuerint in societates majores & maxime compositas.

§. 475. Finis communis est idem objectum, a duobus vel pluribus sibi repræsentatum, quod illi existentiæ reddere vel ab eadem refrænare conantur. (§. 4.). Finis est id, ad quod tendit voluntas (§. 513. Ex.). Enimvero nihil volumus, nisi sub ratione boni, & nihil nolumus, nisi sub ratione mali (§. 175.); finis itaque societatum communis est vel consecutio boni communis, vel declinatio malorum communium, vel obtentio utriusque. Quam propositionem §. 6. indicavimus, & heic loci ob subsequentia demonstrare voluimus.

§. 476. Reducuntur communiter fines communes, ad quos obtinendos societates ejusmodi majores vel maxime com-

compositæ contendere possint, vel ad securitatem, vel ad sufficientiam, vel ad utramque. Fieri hoc cum ratione sufficienti, ex §. 485. perspiciemus.

§. 477. STATUS SECURITATIS EXTERNAE dicitur, ubi quis a malis externis liber deprehenditur.

§. 478. Damna sunt mala nobis orta ex læsione & ex aliorum violatione τῦ suum cuique (§. 769. Ex.). Hinc securitas externa eo tendit, ut quis a læsionibus & damnis aliorum liber vivere possit (§. 477.). Hinc & aliquis in statum plenariæ securitatis se contra alios redegisse dicitur (§ 1080. E.), si eos eo reduxerit, ut nocere sibi non possint, licet quam maxime velint.

§. 479. Damna sunt varii generis, ex varia violatione τῦ suum cuique oriunda, (§. 769.). Et cum læsiones & damna sint caussæ disceptationis & belli justificæ (§. 1092. E.), quales plures, quas quis alteri ante pacta inferre possit, §. 1201. 1204. Ex. enumeravimus; ex iisdem §§. citatis complura cognoscuntur, ad quæ declinanda securitas externa contendit. Huc etiam referas alia damna, quæ alicui intuitu pactorum & dominiorum infligi possunt, & in Exercitationibus VI. & VII. adnotatæ deprehenduntur. Nec desunt innumeræ aliæ injuriæ, quæ ex contemplatione societatum tam simplicium, quam compositarum perspiciuntur, quasque in speciminibus præviis adnotavimus. Ad quæ omnia evitanda desiderium securitatis externæ summo jure se extendit.

§. 480. Quatenus declinatio læsionum, nobis ab aliis hominibus metuendarum, ad securitatis nostræ studium refertur, apprime necessaria est notio determinata læsionis perfectæ, qua non introspecta & neglecta homines jus connatum se redigendi contra alios in statum securitatis, quod §. 1081. Ex. demonstratum est, facile latius justo extendere possunt. Quod metuendum non est, si stricte inhæreamus notioni læsionis, per violationem τῦ suum cuique determinatæ (§. 767. E.).

§. 481.

§. 481. Quatenus præter malorum, nobis a bestiis aliisque rebus externis metuendorum, depulsionem, securitas ad læsiones aliorum hominnm, a nobis avertendas, tendat; ea etiam in hominibus, in societates majores & maxime compositas coalescentibus, hunc finem habet, ut 1.) tota societas a læsionibus aliorum hominum, aliarumque societatum non minus quam 2.) sociorum ipsorum, & 3.) socii ipsi a læsionibus reliquorum sociorum liberi sint.

§. 482. Commodior vitæ transactio & cumulatior felicitatis nostræ amplificatio sunt alii fines, quos non nisi ope societatum majorum consequimur, & quorum obtentio sufficientiam bonorum & commodorum externorum exigit. Hinc non desunt, qui SVFFICIENTIAM hanc pro altero fine societatum majorum & maxime compositarum assumunt.

§. 483. Hunc itaque alterum finem termino vel sufficientiæ vel felicitatis externæ indigitabimus.

§. 484. Cognovimus itaque duos fines communes, ob quos societates minores in majores & maxime compositas coalescere possunt, securitatem quippe & sufficientiam seu felicitatem externam (§. 473. 474. 477. 478. 483.) vel sigillatim, vel copulative sumtos.

§. 485. Nec plures fines communes societatum majorum excogitaveris, si consideres, finem societatum communem esse vel consecutionem boni communis, vel declinationem malorum communium, vel obtentionem utriusque (§. 475.). Sufficientiam enim seu felicitatem ad consecutionem boni communis, & securitatem ad declinationem malorum referendam esse patet. Nec minus clarum erit, quod in fine §. 376. asserui.

§. 486. Ejusmodi finem communem societatum majorum vocamus BONVM earundem COMMVNE vel PVBLICVM (§. 6.) quod & *alias* SALVS PVBLICA audit. Quid sit CALAMITAS seu MALVM PVBLICVM, facile patet. Nec minus clarum est, quod in ejusmodi bono malove gradus deprehendatur.

§. 487.

§.487. Bonum ejusmodi commune vel in ſecuritate communi ſola vel ſimul in ſufficientia majori, vel in utriusque obtentione conſiſtit (§.486.484.). Bonum commune juxta uſum loquendi receptum hic latius ſumitur. Non erit, cur difficiles eſſe velimus in aſſumendo hoc ſignificatu ampliori, cum declinatio malorum & conſequenter ſecuritas publica etiam pro bono haberi & conſequenter ad bonum commune referri poſſit. Suffecerit, nos §. 484. cognoviſſe duos fines communes diſtinctos, quocunque illi demum nomine veniant. In verbis ſimus faciles, ſi inde nulla oriatur confuſio.

§. 488. Si bonum publicum ſecuritatem communem & ſufficientiam majorem ſimul complectatur (§.487.), illud, tanquam finis totalis, ſub ſe comprehendit duos fines communes partiales inter ſe copulatos (§.406.).

§.489. Securitas ſocietatum communis ad PACEM EXTERNAM PUBLICAM conſervandam contendit (§. 806.E. 478.).

§.490. Pax publica cum bono publico copulata eſt, (§.489. 487.).

§.491. Cum ſecuritas ſocietatum communis ad pacem externam publicam conſervandam contendat (§. 489.), in dijudicandis iis, quæ ad pacem publicam ſpectant, conſideratu digna ſunt, ad quæ in rebus, ad ſecuritatem ſpectantibus, nobis reflectendum ſit. Conf. §. 480.

§.492. Fieri poteſt, ut cœtus hominum ſocietatem ſecuritatis & majoris ſufficientiæ gratia, ſine determinatione temporis ineant, cum admiſſo tamen imperio communi. Ejusmodi ſocietas dicitur CIVITAS, & ſocii communi nomine CIVIUM veniunt. Conf. HERTII Polat. Part. I. Sect. I. §. 2.

§.493. Adnotemus generaliorem hunc civis ſignificatum, ut inferius illius differentiam a ſubdito perſpicere poſſimus.

§. 494. In ejusmodi cœtu reperias complures homines singulares, societates simplices & familias, quin alias societates majores & integras civitates.

§. 495. Utrum civitas necessario sit congregatio multarum familiarum, & utrum perdurare possit sine matrimonio civium? disquiritur. Conf. HERTII Prud. civ. p. I, Sect. V. §. 4. Unde quæstio dependet, utrum Pontificatus Romanus, politice & juridice consideratus, formare possit systema civile?

§. 496. Si gentes & populi integri coaluerint in societatem ejusmodi maxime compositam, illi pro civitatibus habentur. Contingere potest; ut ejusmodi gens suapte sponte in civitatem coeat, nec minus ut a victore quodam cum aliis civitatibus copuletur.

§. 497. Distinguit VLRICVS HVBERTVS a civitate REMPVBLICAM, tanquam animam a corpore. Equidem in civitate distinguimus 1.) cœtum seu multitudinem hominum, & 2.) unionem plurium sub uno imperio. (§. 492.). Hæc unio, hæc unitas actualis voluntatum, ad securitatem & majorem sufficientiam, ope imperii communis obtinendam, tendentium dici potest CIVITATIS VITA *seu* ANIMA seu *spiritus* (§. 22.), quem si dicamus REMPVBLICAM, civitas complecteretur rempublicam, neque adeo alteram sine altera conciperemus, in quo etiam consentit HVBERTVS in Jur. Civ. L. I. Sect. II. c. II. §. 15. Ob hunc nexum indivulsum, qui civitati tanquam continenti, intercedit cum republica, factum esse existimo, vocabula civitatis & rei publicæ promiscue usurpari.

In civitate præter cœtum plurium deprehendes nexum & consequenter SYSTEMA plurium, CIVILE nominari svetum, discernendum tamen a systemate civitatum, de quo paulo inferius.

498. Civitates sunt societates maxime compositæ, eædemque perpetuæ. (§. 2.48. 492.). Quæcunque competunt societati compositæ in genere, ea civitati applicanda veniunt,

§. 499. Contingere potest, ut plures familiæ societatem, securitatis aliusve commodi communis gratia, ineant vel cum fine determinatione temporis, citra tamen imperium commune. Inde oriuntur FAMILIARUM SYSTEMATA, quæ a civitatibus sunt diversa (§. 492.). Ejusmodi systemata familiarum in vicis & pagis locum habere possunt.

§. 500. Substituas in §. 499. in locum familiarum civitates, habebis SYSTEMATA CIVITATUM, quæ a civitatibus ipsis distinguenda sunt (§. 492.), in quibus quippe systema civile deprehenditur. (§. 497.).

§. 501. Nec minus fieri potest, ut civitates, quæ ejusmodi systema formant, eundem regem habeant.

§. 502. Auxilia, quibus homo ab homine indiget, effecerunt, ut homines inciderent in promissiones (§. 1248. E.) & consequenter in pacta (§. 1277. E.). Enimvero auxilia, quæ quis ab altero expectare possit, sunt vel transitoria vel non transitoria seu per longius tempus duratura. Hinc & PACTA in TRANSITORIA & NON TRANSITORIA dispescuntur. Posteriora HUBERUS per ea, in quibus nihil postea remanet, definit. §. 1. c. III. Sect. IV. L. III. de Jure Civ.

Emtio-Venditio est species pacti transitorii. Quod de auxilio paciscentium mutuo jam cognovimus, illud etiam de FINE illorum affirmandum est, qui vel TRANSITORIUS vel NON TRANSITORIUS est.

§. 503. Conventiones inter diversas civitates non transitoriæ dicuntur FOEDERA. *Huberi* hæc notio est.

§. 504. *Fœdera sunt pacta inter diversas civitates* de mutuis auxiliis, per longius tempus duraturis, sibi præstandis (§. 503. 502.), & consequenter *de ineunda societate aliqua per longius tempus* duratura (§. 13.). Quæ est definitio, qua alii explicant FOEDERA.

§. 505. Auxilia duratura civitati expectanda ab aliis civitatibus, varii generis sunt. Quorsum referas ea, quæ ad mu-

mutuam defensionem contra hostes & perturbatores securitatis publicæ, nec minus quæ mutuis velificantur commerciis, spectant. De jure fœderum loco convenienti plura. Suffecerit ea protulisse in medium, quæ ideam systematis civitatum nobis faciliorem efficiunt.

§. 506. Systemata vel familiarum vel civitatum integrarum nituntur fœdere (§. 499. 500. 504. 505.). Hinc & ejusmodi CIVITATES vocantur FOEDERATAE, e quarum numero Belgium fœderatum & Helvetia fœderata citra dubitationem habentur.

§. 507. Systemata civitatum nituntur fœdere (§. 506.) & consequenter pacto (§. 503.). Hinc obligationes & jura civitatum, in ejusmodi systemate viventium, ex earum pactis dijudicanda veniunt.

§. 508. In systemate civitatum earum vires considerantur tanquam unica vis intuitu eorum, ad quæ earum fœdus extendi possit (§. 12.). Conf. B. THOMASIVS Jprud. div. III. 6. 57.

Scholium. Probe distinguamus systema civitatum a SYSTEMATE seu NEXV CIVILI (§. 497.). In qualibet societate, & consequenter in qualibet civitate deprehenditur systema, quod civile dicitur, ob nexum civilem, qui potest esse vel in una civitate vel in pluribus §. 81. E.). Systema civile præponit imperium commune, quod in systemate civitatum non requiritur, (§. 491. 500.) ubi quippe civitates in statu naturali permanent.

§. 509. Securitas & sufficientia major est finis civitatis ultimus, ope imperii communis obtinendus (§. 492.), & *bonum civitatis commune* & *publicum* (§. 486.) appellari suetus. (§. 889. E.).

§. 510. Eundem finem ultimum etiam deprehendimus in systematibus familiarum & civitatum, qui tamen non ope imperii communis, (§. 499. 500.), sed vi solius fœderis, quo familiæ vel civitates inter se colligatæ sunt, obtinentur, de quo inferius.

§. 512. Pax publica cum bono publico civitatum, vel earum systematum copulata est (§. 490. 510. 511.).

§. 513. Securitas publica in civitate eo tendit, ut α) tota civitas a læsionibus aliorum hominum, aliarumque societatum & civitatum non minus, quam β) civium ipsorum, & ut γ) socii ipsi a læsionibus civium liberi sint. (§. 481.). Inferius patebit, quod imperium civile summum ad evitandas & coercendas ejusmodi injurias sese extendat.

§. 514. Quæ §. 513. de securitate dicta sunt, ea etiam valeant, necesse est de pace publica. (§. 489.).

§. 515. Cautio, quam superius de securitate societatum majorum inculcavimus (§. 480.), etiam adhibenda est intuitu securitatis civitatum, earumve systematum publicæ. Eadem cautio tenenda est in rebus, ad pacem publicam ejusque turbationem spectantibus.

§. 516. Desiderium securitatis præponit metum (§. 314. E. 477.), qui adeo & civitatibus, earumque non minus quam familiarum systematibus occasionem dedisse existimatur (§. 492. 499. 500.). Notatu digna & lectu jucunda sunt, quæ de ortu civitatum cum eruditis communicavit PERIZONIUS in originibus Babylonicis.

§. 517. Civitates sunt societates. (§. 492.) Doctrinæ itaque de societatibus in genere ad integras civitates applicandæ veniunt.

§. 518. Jus civitatis est jus sociale ad integram civitatem applicatum (§. 517.). Et cum jus sociale sit jus naturæ hominum singularium applicatum ad societates (§. 34.); *jus civitatis* est jus naturæ hominum singularium ad integram civitatem applicatum.

§. 519. *Jus civitatum inter se consideratarum*, est jus societatum, inter se consideratarum, applicatum ad civitates, inter se spectatas. (§. 517.) Idem est applicandum ad jus Gentium, de quo inferius.

§. 520.

§. 520. *Jus civitatum, inter se consideratarum* est jus naturale hominum singularium ad integras civitates applicatum (§. 517. 34.).

§. 521. Unde patet, quod doctrinæ, quas de jure externo naturali partim in exerc. IV., partim in Exerc. V. VI. & VII. proposuimus, ad integram civitatem in se spectatam non solum, sed & ad civitates, inter se consideratas, applicari possint.

§. 522. Jus civitatis seu gentis, a jure civitatum seu gentium est probe distinguendum. (§. 518. 519. 520.).

§. 523. Complectamur jam cogitatione civitatem, quæ in statu naturali vivit, ceu individuum humanum (§. 17. 492.), eamque in se non solum, sed & inter alias civitates etiam atque etiam consideremus.

§. 524. Civitas, quæ in statu naturali vivit, gaudet independentia omnimoda actionum ab imperio humano (§. 915. E. 521.). Hinc ejusmodi *civitates* vel *populi independentes* vocantur.

§. 525. *Populi, in statu naturali viventes*, gaudent libertate naturali summa (§. 916. E. 521.), & ex consequenti *liberi* vocantur.

§. 526. *Imperium civile* est jus præscribendi ea, quæ ad commune civitatis bonum promovendum faciunt (§. 896. E. 492. 510.), Ejusmodi IMPERIUM CIVILE dicitur COMMUNE, cum ad amplificationem boni civitatis communis tendat.

§. 527. IMPERIUM CIVITATIS, in statu naturali viventis, independens est omni ratione ab imperio humano (§. 524. 492.), & consequenter SUMMUM, h. e. quo in terris nullum imperium superius datur.

§. 528. Summum hoc imperium civile dicitur SUMMA POTESTAS CIVILIS, etiam MAIESTAS, τὸ κύριον, quod Hobbes sub schemate *Leviathanis* expressit. Penes quos imperium summum civitatis existit, MAGISTRATUS vel IMPERANTES SUMMI, PRINCIPES & SUPE-

RIORES appellantur, qui in rebuspublicis specialibus diversis nominibus insigniuntur. Socii, qui obligati sunt imperio civitatis actiones suas attemperare, PARENTES, CIVITATI SVBIECTI (§. 897. E.) vel SVBDITI dicuntur. vid. GVNDL. J. N. §. 30. c. 35.

§. 529. Problema: Utrum unica tantum potestas summa in republica detur, & an etiam duæ vel plures potestates æque summæ, e. gr., secularis & spiritualis seu ecclesiastica, sint compossibiles in una eademque republica?

§. 530. Socii civitatis sunt & imperantes & parentes seu subjecti (§. 528.). Qui socii si generali nomine CIVIVM insigniantur (§. 491.), imperantes non minus quam parentes appellari debent cives. Unde sat patere arbitror, cur *civis* a *subdito differat* & quidem tanquam prædicatum, omnibus partibus integri seu totius competens a prædicato, reliquis partibus tribui solito, & cur a quibusdam imperantes dicti fuerint cives eminentissimi. Et si quis fiat imperans ex cive, potestati summæ antea subjecto, ille non desinit esse civis, sed ex uno ordine inferiori civium ad classem eorum summam evehitur & jura eminentiora nanciscitur. Et si cui extero, qui civis non est, deferatur imperium summum, ipso hoc opere fit pars civitatis, h. e. civis eminentissimus seu civis princeps.

§. 531. Ne insolens quibusdam videatur hæc generalior CIVIS acceptio, adducam locum insignem ex HERTII *Elementis Prudent. Civ.* Part. I. Sect. V. §. 2. Quæ si observentur, inquit, valide occurri poterit *Bodino* I. de rep. 6., qui dum insultat *Aristoteli* & definire vult civem, liberum hominem, summæ alterius potestati obligatum; graviter impingit ipse: quandoquidem cum subditis commiscet cives, qui inter se non una ratione distant. Etenim summus imperans, si non qua talis, sed qua pars communitatis consideretur, civium numero excludendus non est.

Porro idem *Hertius* in fine §. 2. ita pergit: Cum *Bodino* etiam fecit *Hobbesius*.

§. 532.

§. 532. Hucconſpirat GROTIUS, qui L. II. c. 20. §. 24. imperantem vel ut partem civitatis, vel qua talem, qui civitatis perſonam & autoritatem ſuſtinet, conſiderat. Conf. etiam B. THOMAS. Jpr. div. L. III. c. VI. §. 65.

§. 533. Nec deſunt aliæ ſocietates, generali termino inſignitæ, ubi ſocius; licet is jura eminentiora præ reliquis ſociis nanciſcatur, generis tamen nomen & attributa retinet. Sic licet aliquis ex ordine Profeſſorio eligatur rector totius univerſitatis, profeſſor is eſſe non deſinit. Item, quamvis maritus vel jure poſitivo in civitatibus, vel ope pactii in ſtatu naturali imperium maritale nanciſcatur, conjux is tamen permanet. Sic caput corporis illius membrum, & anima non minus quam corpus pars hominis dicitur.

§. 534. Aliquis poteſt eſſe civis, licet ſubditus is dici haud mereatur (§. 530.).

§. 535. Ut STATUS, quem ſocius, qua talis nanciſcitur ſocialis (§. 889. Ex), ita ſtatus, quem civis, qua talis nanciſcitur, CIVILIS STRICTE SUMTUS dicitur. Notemus, ſtatum hunc denominari civilem a nomine communi, a quo omnes ſocii civitatis denominantur. Hinc & idem ſtatus omnibus ſociis ſine exceptione tribui meretur. Si vero ſtatus nomen ſortiatur a ſpecie quadam partium , in ſocietate quadam obviarum, qualis e. gr. eſt ſtatus ſubjectionis, it. ſtatus ſervilis; ejusmodi ſtatus omnibus ſociis tribui non poteſt. Quicquid enim parti, qua tali, ſubjectiva illa ſit an integrans tribuitur, illud tribui non poteſt omnibus, qui ſub toto, univerſale illud ſit, an integrale, comprehenduntur.

Porro notemus, quod, ſi cui tribuantur attributa, omnibus partibus alicujus totius, vel univerſalis vel integrantis, eam ob cauſſam ipſi tribuenda non ſint attributa partis, vel ſubjectivæ vel integrantis, & quod adeo, ſi cui tribuatur ſtatus civilis, eam ob cauſſam ipſi non tribuere poſſim ſtatum ſubjectionis. Quæ in noſtra diſciplina maximi momenti ſunt, licet ex primis principiis logicis

 depen-

dependeant, quorum rigori doctrinæ juris nostri, quod arduum est, omnium maxime attemperandæ veniunt.

§ 536. Uti is, qui socius non est, non vivit in statu sociali cum iis, quorum socius non est; ita is qui civis non est, non vivit in statu civili cum iis, qui civitatis membra sunt, si vocabulum status civilis strictius sumatur. (§. 535.).

§. 537. Imperatores sunt cives (§. 530.), & ex consequenti in statu civili (§ 535.), neque adeo in statu naturali (§. 889 E.) vivunt.

§. 538. Imperans, licet vivat in statu civili (§. 537.), tamen non vivit in statu subjectionis (§. 535.).

§. 539. Majestas non datur nisi in republica independenti, nec respublica independens sine majestate (§. 528.) Conf. Illustr. GRIBNERI Jpr. Nat. p. m. 160.

§ 540. Quæcunque societas, utut maxime composita, imperium civile commune non agnoscit, ea, qua talis, majestatem non habet. (§. 528.).

§. 541. In systemate civitatum non deprehenditur imperium commune summum (§. 500.), neque adeo majestas ipsi, qua tali tribui potest (§. 528.), licet civitates ipsæ fœderatæ, sigillatim spectatæ, quatenus independentes sunt, majestatem habeant (§ 539.).

§. 542. Civitates fœderatæ, quæ efformant ejusmodi systema, intuitu systematis ipsius cives non sunt. (§. 492.) & consequenter sigillatim consideratæ in statu civili non vivunt. (§ 536). Civitatibus itaque ejusmodi fœderatis status naturalis tribuendus est. (§. 889. Ex.).

§ 543. Finis civitatis differt a finibus societatum conjugalium, paternarum, dominicarum non minus quam familiarum. (§. 491. 146. 151. 308. 393.). Enimvero imperium, quod tribuitur alicui, in ejusmodi societatibus viventi, ad finem societatis illius contendit (§. 192. 218. 148. 317. 308. 449. 486. 526.); imperium itaque civile ab imperio maritali, paterno, dominico & patri-familias tribui solito differt.

§. 544.

§. 544. Nemo, qua parens, qua conjux, qua dominus, qua paterfamilias imperium civile jure sibi vindicare potest (§. 543.).

§. 545. Porro cum imperium dominicum ab imperio civili differat (§. 543.); imperans, qua talis, imperium dominicum & despoticum sibi vindicare non potest in civitatem suam.

§. 546. Potestas summa potestatem parem, nec minus inferiorem habere potest.

§. 547. *Principium juris Naturalis latius sumti, ejusque ad res publicas spectantis, hoc est:* Dirigat respublica vel imperans summus actiones suas in suam aliarumque rerum publicarum perfectionem. (§. 35. 517.).

§. 548. *Principium juris Naturalis reipublicæ strictius sumti, huc redit:* Respublica vel imperans summum suum cuique reipublicæ vel imperanti tribuat (§. 36. 517.).

§. 549. *Principium juris Naturalis latius sumti, ad civem, qua subjectum, respectu civitatis, in qua vivit,* spectantis, hoc est: Dirigat civis, qua subjectus, actiones suas in perfectionem civitatis suæ (§. 37. 517.).

§. 550. *Principium juris Naturalis externi, ad civem, qua subjectum, respectu imperantis vel civitatis, in qua vivit, spectantis, hoc est:* Suum civitati vel imperanti tuo tribuas. (§. 38. 517.).

§. 551. *Principium juris Naturalis, latius sumti ad civem, qua subjectum, respectu civium, qua subjectorum, applicati, hoc est:* Dirigat civis, qua subjectus, actiones suas in perfectiones civium suorum, sub eodem respectu consideratorum. (§. 517.).

§. 552. *Principem juris Naturalis strictius sumti ad civem, qua subjectum, respectu civium, sub eodem respectu considératorum, applicati* hoc est: Suum cuique civi tribuat (§. 39. 517.).

§. 553. Jam accurate formemus definitionem ejus, quod MAJESTATICUM dici mereatur, ut jura majestatica in-

de determinare, eaque determinata distinguere valeamus ab iis, quæ majestatica non sunt.

§. 554. Hoc certum est, quod majestaticum nanciscatur denominationem a majestate, adeoque hujus proprium esse debeat. Sed attributa propria determinantur ab omnibus essentialibus alicujus rei, quod suppono notum ex Logicis; hinc MAIESTATICVM illud dici meretur, quod ex omnibus essentialibus majestatis determinatur, seu, quod ex omnibus essentialibus majestatis concipitur (§. 41. E.).

§. 555. Unde patet, quod IVRA MAIESTATICA sint illa, quæ ex omnibus essentialibus majestatis intelliguntur.

§. 556. Imperium civile summum dicitur majestas (§. 528.). Essentialia ergo omnia, quæ deprehenduntur in imperio civili supremo, sunt etiam essentialia majestatis. Sed essentialia imperii obvia sunt in definitione illius, & consistunt in jure præscribendi ea, quæ ad commune civitatis bonum promovendum faciunt (§. 526.), idque independenter ab alio imperio humano (§. 527.); *idem jus* itaque *etiam absolvit essentialia majestatis.*

§. 557. Jura majestatica sunt ea, quæ concipiuntur ex jure præscribendi ea, qnæ ad commune civitatis bonum promovendum faciunt, idque independenter ab alio imperio humano (§. 555. 556.).

§. 558. Jam etiam facile ostendere possumus, cur majestaticum debeat concipi ex omnibus essentialibus majestatis. Ponas, quod illud quoque dici mereatur majestaticum, quod ex uno vel altero essentialium majestatis concipi possit, tunc incides in jura, quæ habebis pro majestaticis, sed quæ talia non sunt. e. gr. sumas jus præscribendi alteri facienda, quod est unum essentiale majestatis; concludas inde ad jus cogendi alterum, ut præscriptis satisfaciat; concludas inde porro ad jus refractarium coërcendi & castigandi; habebis jura, quæ non merentur dici majestatica, cum ea etiam competant, parentibus in liberos & dominis in servos, qui tamen majestate non gaudent, &

quo-

quorum adeo jura non possunt appellari majestatica. Quae confusio evitatur prorsus, si ea jura tantum vocentur majestatica, quae ex omnibus essentialibus majestatis derivantur. Unde patebit ratio sufficiens, quae me commovit, ut id, quod majestaticum est, §. 554. sic & non aliter finiverim. In hac proinde materia ardua satis circumspecte me gessisse arbitror. Huc accedit, quod essentialia alicujus rei contineat & genus illius & differentiam specificam. Proinde jura, majestati competentia, vel ex ejus genere, vel ex illius differentia specifica deducuntur. Jura prioris generis sunt communia, posterioris vero majestati propria h. e. majestatica.

§. 559. Imperium civile summum copulatum esse cum jure cogendi eos, qui in civitate vivunt, ad ea, quae sibi praescripta sunt, expedienda, patet ex §. 775. E. 526.), id quod etiam ad majestatem applicandum (§. 528.).

§. 560. Praescripta, ab imperio civili profecta, sunt normae, cum eventuali coactione conjunctae (§. 344. E. 559. S.).

§. 561. Obtentio boni publici requirit facultatem possibilia quaedam transferendi ad actum, quae POTENTIA dicitur. Et cum imperium civile ad bonum publicum obtinendum contendat (§. 526.); illud potentia armatum sit necesse est. Id quod applicandum ad majestatem (§. 528.) Imperium summum & majestas sine viribus vana nomina essent.

§. 562. Sed haec potentia requirit, ut populus simul robur suum ad exequenda jussa domini conferat. Sunt verba GUNDL. in J. N. §. 28. c. 35.

§. 563. Quousque boni publici, h. e. securitatis & salutis publicae (§. 510.) conservatio & amplificatio se extendit, eousque patet imperium civile (§. 526.), jus cogendi (§. 559.) & potentia imperantis (§. 561.). Prius dependet a pacto, ergo & posterius; de quo in sequentibus.

§. 564. *Exercitium juris* consistit in missione ejus, ad quod nobis jus competit, ad actum.

§. 565.

§. 565. Imperium exercetur, si ea, ad quæ imperium alicui competit, ad actum mittantur (§. 564.).

§. 566. Cum ea, ad quæ imperium civile tendit, seu præscripta ad bonum publicum promovendum (§. 526.), imperium exercetur, si præscripta imperantium ad actum mittantur (§. 565.). Quod cum fiat, si reliqui cives actiones suas eis attemperent & consequenter ostendant voluntatem efficacem seu propositum (§. 508. 509. E.) actiones præscriptis imperantium attemperandi; imperium civile exercetur, si reliqui, qui in civitate vivunt, præscriptis imperantium obsequium exhibeant (§. 223.). Obsequium itaque civium subjectorum, continet rationes exercitii imperii (§. 42.), & ex consequenti hujus non solum, sed & boni publici obtinendi (§. 526.) remedium existit. (§. 511.E.).

§. 567. Bonum publicum est finis ultimus, quem civitas obtinere connititur ope & usu imperii summi, (§. 510. E. 492. 510.). Existentia ergo boni publici rationes suas habet in usu & exercitio imperii summi, quod adeo est remedium boni publici obtinendi (§ 511. E.).

§. 568. Exercitium imperii civilis & obsequium subjectorum sunt remedia (§. 566. 567.), & consequenter concausſæ salutis civilis obtinendæ (§. 202. E.).

§. 569. Removeas obsequium, imperanti præstandum, removebis effectum imperii civilis & consequenter ipsam salutis publicæ promotionem, atque adeo finem ultimum totius reipublicæ.

§. 570. Civitates sunt societates. (§. 492.) Civitates itaque obligatoriæ non nisi ex pacto descendunt (§. 43.). Pactum, quo nititur societas civilis, potest esse vel expressum vel tacitum (§. 44.). Huc spectat §. 15. Prol. *Grot.* de J. B. & P.

§. 571. Obligationes & jura civium (§. 492.), & consequenter imperantium & subditorum (§. 530.) non nisi pactitia sunt. (§. 46.).

§. 572. Jura majestatica sunt pactitia. (§. 571. 555.).

§. 573.

§ 573. Variantibus pactis, variant civitates obligatoriæ, atque adeo obligationes & jura civium & consequenter imperantium & reliquorum civium. (§. 570. 571.)

§. 574. Nec minus patet, ordinem imperantium & parentium pactionem præponere (§. 570. 571.).

§. 575. Modus legitimus acquirendi imperium civile summum est solum factum pactitium (§. 1511. E. 526. 571. 574.), & consequenter solum pactum est titulus justus acquirendi imperium civile summum (§. 1511. E.).

§. 576. Quænam civitates sint justæ vel injustæ in foro interno vel externo, ex §. 51. patebit.

§. 577. Pactum civium esse imperii civilis summi & consequenter majestatis (§. 528.) proximam & immediatam causam, patet ex §. 570. 492. Conf. III. *Gribneri* Jpr. Nat. p. 161.

§. 578. Licet status subjectionis civilis incommodis sæpius gravioribus prematur, ob calamitates tamen longe majores miserandam fore conditionem mortalium, juxta eorum indolem præsentem spectatorum, si eis *omnibus* vivendum esset in statu naturali, § 942. Exerc. & §. 473. indicavi breviter. Ejusdem status miseriam vivide depinxit HOBBIVS. Tollas jura imperatorum, & quis audet dicere, mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est. Sunt verba AVGVSTINI. Funus perpetuum futurum esset genus humanum sub eadem hypothesi consideratum, nisi illud divisum esset in imperia civilia summa. Inde patebit, majestatem, quæ residet in tot imperantibus supremis, esse remedium & caussam felicitatis publicæ, cujus pro ratione status corrupti, in quem conjectos deprehendimus homines, participes fieri possimus. Majestas itaque summorum principum considerari debet tanquam patrona generi humano, quod prædicatum præscriptioni Gentium alias tribuit CASSIODORVS. Voluit DEUS, ut genus humanum perennet; noluit optimum illud Numen illius interitum & calamitates longe graviores, quibus status

ſtatus naturalis expoſitus eſt; voluit felicitatis, obtentu poſſibilis, gradum, quem ne in ſtatu quidem oppoſito conſequi valeremus, & qui ope majeſtatis, in ſummis imperantibus conſpicuæ, obtineri poſſit. Ma'eſtas itaque, qua coruſcant rerumpublicarum rectores, eſt finis particularis divinus, ad ſublimem finem divinum alium, qui eſt conſervatio generis humani, ejusque felicitatis amplificatio, ſummopere contendens. Et cum felicitas generis humani ſit copulata cum illuſtratione gloriæ divinæ (§. 828. E.), majeſtas eadem eſt finis particularis divinus, quo utitur Numen ſapientiſſimum ad honorem nominis ſui illuſtrandum. Conſpicimus ergo originem majeſtatis noſtrorum principum auguſtam, ejusque ſanctitatem, cujus violatores in fines Numinis excelſos injurios ſe eſſe demonſtrant, & atrocioris ſceleris rei, iique digni pœnis ſeverioribus ſummo jure exiſtimantur. Ex paucis hiſce ſat patere arbitror, *majeſtatem* & conſequenter *ordinem imperantium & parentium* a DEO *repetendum*, licet ille proxime ope pacti in unum vel in cœtum transferatur.

§. 579. Cum ordo imperantium & parentium ſit a DEO repetendus, (§. 578.) is etiam ordo divinus dici meretur.

§. 580. Ad conſequendam felicitatem ſuam externam homines vel in ſtatu naturali omnes, vel in civitates diviſi vivere debuerunt. (§. 889.). In priori ob calamitates, ſuperius commemoratas, vivere non potuerunt. Status itaque civilis & conſequenter ordo imperantium & parentium hypothetice neceſſarius eſt (§. 182. E.).

§. 581. Cum majeſtas ſit a DEO (§. 578.), etiam jura majeſtatica ſingulari ratione pro juribus divinis habentur. Qui itaque violat jura majeſtatica, is jura divina violare recte exiſtimatur.

§. 582. Nec minus patet, principes ſummos eſſe eos, quibus Numen ſupremum fines ſuos excelſiſſimos in actum mittere conatur. (§. 578.) Unde facile eſt ad judicandum, cur Deus eos tueatur tam potenter & protegat con-

contra machinationes & civium malignorum & aliarum civitatum, & cur cives subjecti, qui injurios se in suos imperantes turpiter ostendunt, graviorem vindictam divinam in se devocent.

§. 583. Cum jura majestatica translata in unum vel in cœtum nitantur pacto (§. 572.), cujus violatio est læsio perfecta (§. 1311. E.); nanciscuntur rerumpublicarum principes contra eos, qui pactum illud pedibus conculcare audent, juxta jus N. externum, causam belli & coactionis maxime justificam (§. 1092. E. & 261. spec.).

§. 584. Consensus reciprocus requiritur ad civitatem pactitiam, & consequenter ad modum illam contrahendi, vel consummandi, nec minus ad symbola, quæ in consummanda societate civili adhiberi possunt (§. 54. 492.).

§. 585. Consensus imperantium & civium reliquorum reciprocus requiritur ad modum promovendi bonum civitatis publicum & determinandi leges, quibus illud obtineri possit (§. 55. 570.).

§. 586. Actiones imperantium & parentium, quæ pacto repugnant, sunt injustæ (§. 574. 58.).

§. 587. Modus contrahendi & consummandi societatem civilem justus est, de quo inter imperantes & parentes conventum est (§. 60. 574.). Id quod ad symbolorum usum applicandum (§. 60.).

§. 588. In societate civili justum est, de quo inter ejus socios conventum (§. 61. 492.).

§. 589. In societate civili justus est modus promovendi salutem communem, de quo inter eius socios conventum est (§. 588.). Id quod de modo determinandi formam civitatis, nec minus definiendi normas & consequenter ferendi leges, (e. g. per plurima vota,) quibus commoda civitatis promoveri, ejusque negotia expediri debeant, affirmandum est.

§. 590. Modus eiusmodi si varii & diversi sint; id, quod iustum est in una civitate, ab eo quod iustum est in alia, dif-

differre poteſt. Hinc & fieri poteſt, ut id quod juſtum eſt in una civitate, poſſit eſſe injuſtum in alia civitate (§. 589.). Conf. §. 63.

§. 591. Si imperantes vel parentes contra ejusmodi modum conventum, vel contra formam ſocietatis ſtipulatam agant, illi injuſte agunt. (§. 586).

§. 592. Geneſis civitatis pactitiæ ex intentione imperantium & parentium conſpirante repetenda eſt (§. 65. 492.). Hinc ſi oriatur pactum inter cives, etiam de bono publico promovendo (§. 510.), atque de mutuo adjutorio ſibi invicem præſtando (§. 13.), paciſcuntur.

§. 593. Ex fine imperantium & parentium, qua paciſcentium communi, illorum jurium & obligationum termini intelliguntur. (§. 66. 528.). Enim vero finis ille communis eſt obtentio boni publici (§. 510.); ex hoc itaque termini jurium & obligationum intuitu imperantium & parentium naſcuntur.

§. 594. Civitates pactitiæ non poſſunt tollere ea, quæ juris ſunt. (§. 67. 492.).

§. 595. Quæ inter imperantes & parentes, qua juſte paciſcentes, aguntur, tertio nihil præjudicant (§. 68.).

§. 596. Obligati ſunt vi pacti cives, & conſequenter imperantes & parentes promovere bonum civitatis commune, & ex conſequenti ea omittere, quæ illi contradicunt (§. 69. 528. 510.).

§. 597. Ut jura & obligationes imperantium & reliquorum civium eo diſtinctius cognoſcamus, generaliter hoc notandum: Vi pacti imperantes nanciſcuntur jura imperii ad promovendum bonum publicum §. 571. 526.). Huic juri reſpondet vi ejusdem pacti in civibus ſubjectis obligatio perfecta ad exequenda ea, quæ ſibi intuitu boni publici imperata ſunt. (§. 226.) Vi ejusdem pacti imperantes obligati ſunt ad promovendum bonum publicum (§. 571. 526.); & huic obligationi reſpondet jus, vi ejusdem conventionis, reliquis civibus compaciſcentibus ſubnatum (§. 780. E.).

§. 598.

§. 598. Correlatio jurium & obligationum hic probe notanda, de qua in prælectionibus fusius acturi sumus.

§. 599. In quo datur obligatio perfecta mittendi aliquem finem in actum, ejus obligatio etiam eo tendit, ut is arripiat remedia, quibus finis obtineri possit, ut removeat impedimenta, fini contraria, nec minus ut amplectatur sibi præsentatam occasionem, fini obtinendo velificantem (§. 512. 517. 527. E.). In quibus tamen omnibus ea probe notanda sunt, quæ in Exercitationibus a §. 510. usque ad §. 531. intuitu imputabilitatis in medium prolata sunt.

§. 600. Quæ §. præcedenti demonstrata sunt, ea ad obligationem perfectam promovendi finem cujuscunque societatis applicanda veniunt.

§. 601. Cui competit jus mittendi finem ad actum, ei etiam tribuendum est jus ad arripienda remedia, quibus finis obtineri possit, ad removenda impedimenta, fini contraria, nec minus ad expectandam & suscitandam occasionem, fini obtinendo velificantem. (§. 512. 517. 527. E.).

§. 602. Quæ §. præcedenti demonstrata sunt, ad perfectum promovendi finem cujuscunque societatis applicanda veniunt.

§. 603. Qui nullo jure gaudet promovendi finem alicujus societatis, e. gr. civilis, ei etiam nullum tribuitur jus arripiendi remedia, quibus finis societatis, e. gr. civilis, obtineri possit, (§. 512. E.). Id quod etiam intelligendum de impedimentis eodem casu removendis. Quicquid sub hac hypothesi factum est, id sine jure, h. e. illegitime factum & ipso jure nullum censetur.

§. 604. Propositionem præcedentem ad facta usurpatoris regni seu tyranni titulotenus præcipue applicandam esse, ex inferius dicendis patebit.

§. 605. Imperantes vi conventionis jure gaudent promovendi bonum civitatis publicum (§. 571. 516.). Quod cum sit finis civitatis (§. 510.); imperantibus tribuendum est jus, ad mensuram ejusdem conventionis arripiendi re-

media, quibus bonum publicum amplificari possit, nec minus removendi impedimenta, felicitati publicæ inimica, expectandique vel suscitandi occasionem saluti communi proficuam §. 601.).

§. 606. A civium consensu in boni publici amplificationem, vi conventionis imperanti commissam, ad eorum consensum in remedia, quæ illi fini conveniunt, recte concluditur (§ 82. 511.).

§. 607. Bonum civitatis publicum suprema lex est & imperantium & civium reliquorum. (§. 148. E. 596.). Quæ propositio etiam concipitur ex §. 70. 492. 510.).

§. 608 Si cives ad mensuram pacti bonum civitatis commune non promoveant, quod tamen promovere possint, vel non intermittant ea, quæ saluti illi communi contraria sunt, illi contra pactum agunt. Quæ violatio pacti est læsio (§. 1311. E.)

§. 609. Si cives utilitatem quærunt, quam tamen sciunt esse saluti societatis communi, eidemque stipulatæ, contrariam, ejusmodi consectatio utilitatis propriæ est læsio perfecta. (§ 608.). Fluit etiam hæc propositio ex §. 72.

§. 610. Unde & patet, cur civibus salus communis præferenda sit saluti suæ privatæ, idque juxta obligationem perfectam.

§. 611. In casu dato probe notandum, quod salus communis latius extendi non possit, quam id finis civitatis stipulatus permiserit, si forum externum spectaveris (§. 571.).

§. 612. Civis a civibus, & consequenter civitas socia a reliquis civitatibus sociis non potest excludi a salute communi, quæ vi pacti salutem illius continere debet, nisi adsit extrema necessitas (§. 75.).

§. 613. Civitates, quæ pactis injustis nituntur, deserendæ sunt. (§. 77. 492.).

§ 614. A civitate, ad quam ineundam dolo vel metu injusto inducti sumus, recedere possumus (§. 78. 492.).

§. 615.

§. 615. A civitate recedere vel illi renunciare quis non potest, si civitas inde damna sentiat. Etsi nihilominus civitatem deseruerit, ad damnum resarciendum is obligatus est. (§. 80. 492.).

§. 616. Nec difficulter §§. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. huc applicari possunt.

§. 617. Actus, quo efficitur, ut id, quod nostrum est, fiat alterius dicitur *alienatio seu translatio ejus, quod nostrum est*. Hinc translatio rei cujuscunque nostræ, & consequenter jurium (§. 786. E.), præponit rem transferendam ante illius translationem esse transferentis. Notionem alienationis §. 1534. E. ratione dominiorum datam, hic generaliorem efficere voluimus,

§. 618. Imperium summum, in aliquem transferendum a populo, requirit, ut illud ante translationem sit in sinu populi transferentis (§. 617.). Hoc itaque casu ejusmodi populus debet esse independens ab imperio alterius principis vel populi & ex consequenti liber, (§. 910. E.) & sui juris, cum alias imperium summum non sit in sinu populi, sed in alio.

§. 619. Si itaque in condenda republica imperium summum civile transferendum sit in aliquem a populo, id quod ope pacti fieri debet (§. 571.); populus liber (§. 618.), tanquam persona individua (§. 492. 17.), pacisci debet cum illo de transferendo in eum imperio civili summo.

§. 620. Imperium, quod ante translationem in sinu populi residet, debet habere rationem sufficientem (§. 44. E.), quæ nullibi nisi in facto eorum, qui populum constituunt, (§. 902. E.) eodemque pactitio (§. 570.) deprehenduntur. Præponit itaque imperium, transferendum in tertium, pactum eorum, qui populum constitutum, de admittendo imperio communi summo. Quod pactum vel expressum vel tacitum esse potest.

§. 621. Ejusmodi populus liber jure gaudet utendi viribus suis ad felicitatem suam, omnibus modis promoven-

dam, dummodo illo usu virium non violetur SVVM CVIQVE, (§. 974. E.).

§. 622. Qua ratione populus salutem suam non minus quam securitatem ad gradum obtentu possibilem, evehere possit, illud tractatur in Politicis. Nec desunt exempla rerum publicarum ævi non minus recentioris quam antiquioris, ubi felicitatem populi ad insignem perfectionem evectam conspicias.

§. 623. Præter gradus diversos, qui in bono civitatis communi conspiciuntur (§. 414. E. 456. 487.), & quos in civitatibus existentibus animadvertimus, etiam dantur varii modi promovendi bonum civitatis commune. Cura enim boni publici vel uni, vel cœtui, idque vel absolute, vel sub certis limitationibus committi potest, de qua materia in specimine sequenti distinctius acturi sumus. Hac ratione oriuntur diversæ FORMAE RERVMPVBLICARVM.

§. 624. A conventione inter imperantem & populum dependet, quis gradus felicitatis publicæ promoveri, & quis modus illam obtinendi observari debeat, ultra quam conventionem imperium commune translatum extendendum non est. (§. 589. 591.).

§. 625. Quousque patet conventio inter imperantes & populum respectu boni publici promovendi, eousque exercitium imperii translati patebit. (§. 622.).

§. 626. Ponas, quod imperium commune translatum ultra vel contra gradum felicitatis publicæ conventum extendatur; ponas usum ejusdem imperii translati repugnare modo obtinendi salutem publicam convento, licet novus modus, quem adhibere velint imperantes, melior videatur; injuste tamen ageretur (§. 624. 591.), nisi id quidem fieret de consensu populi novo expresso tacitove, unde pactum novum subnasceretnr, quod modum ejusmodi novum justum efficeret. (§. 589.).

§. 627. Si imperium ope pacti in unum vel plures transferatur simpliciter, tunc a voluntate imperantium depen-

pendet, quem felicitatis gradum, eligere velint, & jure gaudent adhibendi modum, eo, juxta quem salus reipublicæ hactenus promota fuit, perfectiorem.

§. 628. Quod in nos ope pacti justi transfertur, illud fit nostrum (§. 1308. E.), & consequenter penes transferentem remanere non potest. Jura imperii summi, ope pacti translata in unum vel in cœtum fiunt ejus, in quem fit eorum derivatio, & ex consequenti penes transferentes remanere non possunt. Hac ratione jura imperii fiunt jura imperantium propria, seu ad suum imperantium pactitium pertinent.

§. 629. Quantum (juris) est translatum ope pacti in alterum, tantum (juris) fit ejus, in quem facta est translatio (§. 1308. E.), adeoque penes transferentem remanere non potest.

§. 630. Imperium civile summum dicitur majestas. (§. 528.). Si itaque majestas ope pacti vel omnis vel illius pars translata fuerit a populo, illa vel omnis vel ex parte fit illius, in quem translatio facta est, & hoc casu populus, quantum derivatum fuit, tantum retinere non potest (§. 628. 629.).

§. 631. In specimine de diversis rerumpublicarum formis indagabimus, quo sensu majestas dicatur divisibilis, secusve, & utrum pars majestatis a populo possit derivari vel in unum vel in plures, altera illius parte penes se manente.

§. 632. Unde facile est ad judicandum, quid habendum sit de divisione majestatis in personalem & realem.

§. 633. Jura imperii civilis summi seu majestatica translata sunt pactitia (§. 571.), & ob id imperantium propria. (§. 628. 630.). Rationes itaque jurium imperantis, qua ipsius propriorum, deprehenduntur in pacto (§. 42. Ex.). Illud, in quo continentur rationes alicujus rei, dicitur principium illius (§ cit.); pactum itaque inter imperantem & populum est principium seu causa jurium, imperantis propriorum.

 §. 634.

§. 634. Quousque patet pactum inter imperantes & populum, eousque patent jura imperantium, qua ipsorum propria. (§. 633.).

§. 635. Exercitium jurium, imperantis propriorum eousque patet, quousque se extendit pactum inter illum & populum

§. 636 Exercitium jurium, imperanti propriorum, pacto, a populo secum inito, repugnare non debet.

§. 637. Si imperantes jura ipsorum propria, convenienter conventioni exerceant, populus nullam conquerendi de exercitio imperii causam justificam nanciscitur. (§. 589. Sp. & 971. E.).

§. 638 Pactum de transferendo imperio in unum vel plures præponit pactum de forma & modo exercendi imperium commune. (§. 623.). Modus exercendi imperium præponit imperium commune (§. 925. E.).' Pactum itaque de forma & modo exercendi imperium commune jamjam hoc præsupponit & involvit pactum de admittendo imperio communi. (§. 520.). Hoc imperium commune contendit ad finem ultimum obtinendum (§. 526.), qui requirit societatem (§. 1.), & consequenter unitatem voluntatum (§. 7.) & virium (§. 12.). Pactum ergo de admittendo imperio communi exigit pactum de fine communi obtinendo & pactum de mutua singulorum conjunctione & voluntatum & virium.

§. 639. In constituenda ergo civitate suboriri potest 1) pactum singulorum cum singulis de mutua conjunctione & voluntatum & virium; 2) pactum de imperio communi admittendo; 3) pactum de forma & modo imperii illius exercendi; 4) pactum de transferendo imperio in unum vel cœtum, reliqua.

§. 640. Doctores prudentiæ civilis in explicanda civitatum genesi pacta, in §. præcedenti deducta, enumerant, quorum primum PACTUM UNIONIS & ultimum SUBIECTIONIS audit.

§. 641. In nostra disciplina non quæritur, utrum extiterint civitates, vel adhuc existant, in quarum genesi pacta illa, successive orta, distinguerentur; adnotandus tamen a nobis erit nexus illorum pactorum, ob quem ab uno ad alterum secure argumentari possimus. Suffecerit jam introspexisse, quod, posito pacto subjectionis, etiam ponantur pacta reliqua, usque ad pactum unionis, cum posito principiato ponantur principia (§.42. E.).

§. 642. Ponas imperantem successive sibi colligere populum; id quod contingere potest & solet, si illis, qui in ejus terras, e. g. ab incolis vacuas, se contulerint, certa jura & commoda promiserit sub lege subjectionis; hoc casu a pacto subjectionis ad reliqua pacta, §. 639. enumerata, usque ad pactum unionis (§. 640.) secure concluditur, (§. 638.).

§. 643. Notemus porro, quod pactum subjectionis sit compositum ex pluribus conventionibus partialibus(§ 638.)

§. 644. Titulus justus acquirendi τὸ κύριον est solum pactum (§. 575.). Hoc potest esse vel expressum vel tacitum (§. 1347. E.). Præsumtum pactum in statu naturali non attenditur (§. 44.). Non opus erit, ut species pactorum recenseam, quæ huc applicari possint. Suffecerit commemorasse conventiones metu extortas, quibus plura imperia civilia acquisita videas. Dantur ejusmodi pacta, quæ ob metum justum, justa sunt. (§. 1400. E.). Huc spectat imperium civile occasione victoriæ acquisitum. Ea, quæ §. 1638. seqq. Exerc. de acquisitione domini bellica in medium prolata sunt, etiam huc mutatis mutandis applicanda veniunt. Expendas etiam quæ §. 378. 379. condocuimus.

§. 645. Cum præscriptio sit modus acquirendi jura in statu naturali (§. 1634. E.), eadem etiam erit modus acquirendi imperium civile summum.

§. 646. Qui sine pacto vel expresso vel tacito affectat imperium summum in aliquem populum, is sine titulo (§. 575.), & ex consequenti sine causa juris (§. 1511. E.), h. e.

ſine jure, imperium illud acquirere, adeoque illum populum lædere committitur (§. 215.) eique dat cauſam belli juſtificam (§. 1092. E.).

§. 647. Si cives contra obligationem ſuam conentur vim inferre civitati ſuæ, vel imperanti ſummo, ii REBELLES dicuntur. A quibus diſtinguendi ſunt, qui juſtam cauſam conquerendi de exercitio imperii ſummi habent, Gallis MECONTENS dicti.

§. 648. Qui ſine pacto affectat imperium ſummum in aliquem populum, TYRANNVS, isque TITVLO-TENVS (§. 575.), vel INVASOR REGNI vocatur. Contra quem populus, ejusve imperans nanciſcitur cauſam belli juſtificam (§. cit.).

§. 649. Invaſor regni, ſi civis ſit, rebellis eſt (§. 647.); ſin extraneus, qui jus armorum habet, hoſtis; ſi eo deſtituatur, invaſor in ſpecie dicitur, conſ. in *Pregizer* d. Tyrannid. §. 3 ſeqq.

§. 650. Quatenus tyrannus titulo-tenus exerceat actus imperii ſummi, quod nondum ejus eſt, eatenus alieno utitur, & ex conſequenti VSVRPATOR REGNI dicitur (§. 1356. E.). Applices huc §. 603.

§. 651. Si populus, ejusve princeps legitimus contra uſurpationem ejusmodi proteſtetur, uterlibet conſervat jus imperii ſummi (§. 1457. E.).

§. 652. Si populus vel ſponte vel coacte paciſcatur cum uſurpatore, absque conſenſu tamen principis legitimi, hoc caſu populus de alieno, imperii quippe jure, quod alterius eſt, paciſceretur. (§. 628. 629.). Quod cum fieri cum firmitudine non poſſit (§. 1431. E.), ejusmodi pactum eſt ipſo jure nullum, nihilque operatur contra principem legitimum, qui proteſtatione contra uſurpationem jura ſua conſervare poteſt. (§. 1358. E.). Nec homagium invaſori præſtitum poteſt adimere legitimo Regi jus ſuum (§. 1460. E.). HOMAGIVM eſt juramentum, quo civis, qua talis, officia ſua, reipublicæ vel imperanti ejus ſummo debi-

debita corroborat. Conf. III. de COCCEII de regimine usurpatoris §. 17. seqq. Immo & princeps legitimus prohibere potest, ne id praestetur, & praestitum contra ejus voluntatem irritum est & injustum. Sunt verba III. GRIEBNERI, quae in not. 3. §. 3. c. 13. L. II. deprehenduntur.

§. 653. Ejusmodi tyrannum acquirere posse imperium summum ope praescriptionis, patet ex §. 645. Hanc acquisitionem imperii pactione tacita niti ex §§. 1628. seqq. E. manifestum erit. Tacitus etiam consensus invasionis vitium purgat, modo coactus ille non sit, sed liber & evidens. Sunt verba GRIEBNERI in nota I. §. 3. c. 13. L. 2. Jpr. Nat.

§. 654. Si tyrannus vincat populum, ejusve principem, victoriaeque accedat pactum de imperio, in eum transferendo; utrum hoc casu, jure victoriae acquiratur τὸ κύριον ex §. 644. dijudicandum.

§. 655. Si per errorem quis pro legitimo principe habitus imperium occupaverit, pactum invalidum est (§. 1380. 1391. E.).

§. 656. Causas acquirendi imperii minus justificas & spurias plures deprehendes in §. 901. E.; ob quas si quis affectet imperium, tyrannum titulo-tenus seu principem sine titulo agit (§. 648. Conf. *Gundl.* J. N. c. 3. §. 44.).

§. 657. Quae ab usurpatore regni gesta sunt, irrita sunt, & ad principis arbitrium pertinet, quousque ob utilitatem publicam ea sustinere velit (§. 602.). Vid. III. de COCCEII de regimine usurpatoris & BOECLER ad *Grot.* p. 299.

§. 658. TYRANNI EXERCITIO dicuntur, qui in imperii, legitime quaesiti, exercitio pactum, secum a populo initum, haud leviter violant. Definitio ita efformanda est, ut in sphaera juris naturalis externi admitti & adhiberi possit.

§. 659. In ponenda tyranni definitione, quae difficilis formatu habetur, circumspectione summa opus est, ut neve

illa latior, neve angustior justo effingatur. Quam solicitudinem, cum insigni judicio mixtam, cum deprehenderim in GRIEBNERI J. N. & G. Lib. II. c. XIII., quem Cel. WEIDLERVS in institutionibus J. N. G. cum ratione sufficiente secutus est; eo minus viri, suo merito illustris cogitatis inhærere dubitavimus, quo magis ea cum principiis systematis, quod formare tentamus conspirare videantur. Qua occasione, ex custodia τȣ suum cuique, ingenue fatemur, nos ex ejus Jurisprudentia naturali permultum profecisse, & ratione limitum, quibus disciplina nostra circumscribenda est, & intuitu fœcunditatis meditatorum eximiæ.

§. 660. Ut itaque ratio constet, cur §. 658. notionem tyranni sic, & non aliter, formaverim; analysin, cujus ope definitionem juxta significatum scriptorum oculatiorum elicui, hic subjungam. In hoc illi conveniunt, quod tyrannus habeatur pro hoste alicujus populi. Abstrahas hic, B. L., a reciprocatione, cum ego positionem convertere nolim, sed tantum ostendere mihi animus sit, quomodo ab idea, quam copulant cum tyranno, ad essentialia illius successive adscendere possimus. Porro respublica contra hostem suum jure capiendi arma pollet. Hinc tyrannus est ille, contra quem respublica jure armorum uti possit. Sed jus belli præponit læsionem seu injuriam (§. 1092. E.), tyrannus ergo erit ille, qui rempublicam lædere connititur. Et hic abstrahamus a reciprocatione propositionis. Jam quæritur, quomodo toti alicui populo fieri possit injuria, quæ sola pro causa belli justifica haberi solet. Hic percurrere possemus omnes species læsionum, quæ civitati alicui inferri possint juxta varias violationes τȣ suum cuique (§. 767. E.), & ante & post pacta; sed cum in eo conveniant autores intelligentiores, quod in tyrannide reflectendum sit ad imperium summum, cuius intuitu populus læderetur; heic tantum nobis investigandum erit, quousque populus respectu imperii summi lædi possit. Quod si spectaveris,

veris, vel eius acquisitio, vel exercitium consideratnr. Unde clarum est, quod in tyrannide perpendendæ veniant læsiones duplicis generis, intuitu quippe acquisitionis vel exercitii potestatis civilis summæ, legitime acquisitæ. Quod attinet ad illius acquisitionem, illa non nisi ope pacti (§. 575.), seu beneficio consensus populi fieri potest (§. 1288. E.). Hinc acquisitio imperii sine consensu populi præcedente concipi non potest. Ponas itaque, aliquem velle acquirere imperium civile summum in populum aliquem, is ad illud obtinendum, vel consentiente, vel non consentiente populo conniti potest. Priori casu acquisitio imperii erit justa (§. 56. Sp & §. 1288. E.) & consequenter nulla læsio (§. 971. E.); hinc non nisi alter casus remanet, quo conatus acquirendi τὸ κύριον haberi possit pro injuria, populo inferenda, ubi quippe aliquis imperium contradicente eodem quæreret. Vera hic læsio deprehenditnr. Omnia enim hic fierent sine consensu populi & consequenter sine pacto prævio (§ 1288. E.), h.e. sine causa juris (§. 575.), h.e. sine jure seu injuste (§. 772. 797. E.), & ex consequenti cum læsione. (§. 971. E.). Tyrannus itaque prioris generis hunc nanciscitur characterem perpetuum, quatenus nimirum aliquis sine consensu pactitio populi acquirere imperium summum connitatur. Et cum pactum solum sit titulus acquirendi τὸ κύριον (§. 575.), ejusmodi acquisitio fieret sine titulo. Quæ ratio est cur ejusmodi TYRANNI, TITVLO tales, vocentur. Conf. §. 648. Jam porro quæritur, quomodo populus ab imperante exercitio imperii, legitime alias adquisiti, lædi & violari possit. Imperium est jus pactitium (§. 571.), & consequenter vel ad mensuram pacti, vel contra pactum exerceri potest. Priori casu nulla adest læsio (§. 589. Sp. &. 971. E.); posteriori vero injuria populo nascitur (§. 1311. E.) Tyrannus itaque exercitio nullus alius esse potest nisi is, qui imperium, alias legitime quæsitum, contra pacta exercet. Sed cum tyrannus pro eo habeatur, contra quem populus nanciscitur jus

belli,

belli, & nulla læſio levioris momenti pro cauſa armorum juſtificа haberi mereatur (§. 1182. E.), ſi rationis dictamen ſpectaveris; neceſſe eſt ut imperans haud leviter pactum violet, ſi is repudiari jure debeat TYRANNUS EXERCITIO, qui adeo eſt is, qui imperii, legitime alias acquiſiti, exercitio pactum, a ſe cum populo initum, haud leviter violat. Quæ eſt definitio, §. 658. a me poſita, & jam ſatis, ut puto, evicta.

§. 661. Nemo itaque de tyrannide, exercitio tali, caſu dato judicium ſincerum & ſanum ferre poteſt, niſi pactum, quod populo cum imperante interceſſit, probe introſpexerit.

§. 662. Violationes pactorum ſunt facta, quæ probanda veniunt, & quæ liquida & manifeſta eſſe debent. Id quod inprimis in tyrannide, imperanti cuidam imputanda, obſervandum erit.

§. 663. Quæ prudentia ſuadeat, ſi populus ab imperante, vel haud leviter, violetur, paucis mutatis ex §. 1179. E. perſpiciendum eſt.

§. 664. In tyranno, exercitio-tenus, ſupponitur imperium civile, ſibi legitime quæſitum (§. 658.). Sed uſurpator regni eſt tyrannus titulo (§. 650.), & conſequenter in eo imperium legitime ſibi quæſitum non ſupponitur (§. 1511. E.), Uſurpatores ergo regni non debent confundi cum tyrannis exercitio.

§. 665. Variantibus pactis inter imperantes & cives ſubjectos, variant violationes pactorum, & conſequenter tyrannides (§. 658.).

§. 666. Violationes pactorum enormes ſunt læſiones inſignes (§. 1311. E.). Tyrannus ergo exercitio-tenus is tantum dicitur, qui populum, ſibi ſubjectum, inſigniter lædit, idque perfecte. Hinc illi principes tyranni ejusmodi dici haud merentur, qui populum ſuum non inſigniter lædunt. De læſione perfecta loquor, cujus definitioni in hac præcipue materia ſtricte inhærendum eſt.

§. 667.

§. 667. Ex inferius dicendis patebit, quod pro diversitate formæ civitatum varient pacta imperantium & civium subjectorum. Hinc tyrannis, quam in Aristocratia conspicis, distinguenda est a tyrannide, quam Monarcha committere possit. Sic tyrannis, quam videas in democratia, est diversa a tyrannide, quam exercere possunt imperantes in Aristocratia, & sic deinceps.

§. 668. Læsiones sunt violationes τȣ̃ suum cuique (§. 767. E.). Tyranni exercitio illi tantum sunt, qui suum populi insigniter violant (§. 666.).

§. 669. *Justitia externa imperantium intuitu populi sui* absolvitur tribuendo suum populo suo (§. 797. Ex. & Schol. §. 40. Spec. . *Injustitia externa eorundem sub eodem respectu* consistit in violatione ejus, quod populi est.

§. 670. *Justitia interna imperantium intuitu populi* est nexus bonitatis cum sapientia in exercitio imperii summi (§. 798. E.).

§. 671. Si ad significatum IVSTITIAE, in sphæra juris potentiorem, attenderis, illa, quæ custodiam τȣ̃ suum cuique inculcat, proprie & κατ' ἐξοχὴν illo nomine insignitur, id quod etiam ex HVBERI definitione justitiæ, in scholio §. 39. allata perspicies. Hinc justitia interna, pro justitia improprie tali habetur, in eadem juris sphæra. Unde & in foro externo *officia justi* κατ' ἐξοχὴν dicuntur, quæ illi justitiæ, proprie tali, conformia sunt, & *officiis virtutis, decori, humanitatis* contradistinguntur. Et cum ad justitiam, proprie talem, in foro externo maxime reflectatur, illa etiam externa vocatur. Quæ etiam est ratio, cur illud jus naturale dixerim externum, quod in foro externo præcipue attenditur, ubi homines de meo & tuo disceptare solent.

§. 672. Imperantes justitiam internam agitantes intuitu populi sui, sunt benigni erga eum (§. 670.), & ex consequenti amore illius flagrant (§. 794. E.) Iidem sub eodem respectu sunt sapientes (§. 670.), & connectere sciunt

sciunt remedia cum fine ultimo (§. 789. E.) atque adeo qua sapientes rationis dictamine utuntur (§. 93. E.). Unde patet, quod *principes, eandem justitiam colentes, amore populi sui flagrent*, copulato cum rationis usu, h. e. *oculato*. (§. 698. E.).

§. 673. Amorem oculatum esse attributum proprium justitiæ internæ, etiam concipitur ex collatione definitionis justitiæ cum definitione sapientiæ Leibniziana vel Thomasiana, quas §. 792. E. attulimus.

§. 674. Principes, externe justi, intuitu populi sui, observant principium, juris Nat. §. 548. allatum (§. 669.). Principes, interne justi, attemperant actiones principio, §. 547. adducto. §. 141. E. & 667. Spec.).

§. 675. Qui officiis amoris satisfacit, is etiam de officiis strictis explendis solicitus est (§. 734. 736. 739. E.). Imperantes justi, interne tales, amore oculato erga populum flagrant (§. 672.); externe vero justi τὸ suum cuique custodiunt (§. 669.) & consequenter officia stricte dicta observant (§. 763. E.; *Imperantes* itaque *justi, interne tales, sunt etiam justi, externe tales*.

§. 676. Alia hujus propositionis demonstratio ex §. 801. E. desumi potest.

§. 677. Sed a custodia justitiæ externæ seu expletricis ad custodiam justitiæ internæ argumentari non possumus. (§. 871. E.).

§. 678. Contingere potest, ut fines particulares, quibus utimur ad consequendum finem totalem, sibi invicem contradicant. (§. 37. E.). Quilibet finis particularis gaudet sua regula (§. 344. 510. E.); ex contradictione igitur finium particularium otitur collisio regularum (§. 610. E.), quæ efficit, ut fieri debeat exceptio a regula (§. 611. E.) intuitu finis totalis obtinendi.

§. 679. In collisione finium particularium usus exceptionis a regula est remedium finis totalis obtinendi (§. 511. E. 678. Spec.).

§. 680.

§. 680. Qui jure gaudet mittendi finem ad actum, ei etiam tribuendum est jus ad arripienda remedia, quibus finis obtineri possit. (§.601.). Enimvero in collisione finium particularium usus exceptionis a regula est remedium finis totalis obtinendi (§. 679.); ergo qui jure gaudet mittendi finem aliquem in actum, ei etiam in collisione finium particularium tribuendum est jus utendi exceptione a regula.

§. 681. Qui nullo jure gaudet mittendi finem aliquem totalem in actum, is in collisione finium particularium etiam nullo jure gaudet arripiendi exceptionem a regula. (§.603.679.).

§. 682. Qui jure gaudet mittendi finem societatis alicujus in actum, etiam ei in contradictione finium particularium tribuendum est jus utendi exceptione a regula intuitu finis totalis societatis. (§ 680.).

§. 683. Imperantibus vi conventionis in collisione finium particularium tribuendum est jus utendi exceptione a regula intuitu boni publici promovendi (§. 605. 682.).

§. 684. Usurpatoribus regni in collisione finium particularium tribuendum non est jus utendi exceptione a regula intuitu boni publici §. 681. 604.).

§. 685. Arripienda est exceptio a regula, quantum id postulet finis totalis e. g. alicujus societatis (§.678.). Hinc in collisione finium particularium jus arripiendi exceptionem a regula locum habet, quantum id postulet finis totalis e. g. societatis.

§. 686. Si bonum commune alicujus societatis ita comparatum sit, ut ex illius consecutione nulla concipiatur collisio regularum, quibus bonum totius & partium promoveri possit; hoc casu nulla opus est exceptione, & consequenter sub eadem hypothesi nullum concipitur jus arripiendi exceptionem a regula. (§.685.).

§. 687. Si conservatio socii non repugnet conservationi totius societatis, nulla ratio adest, cur socio sit pereun-

eundem (§. 686.). Hoc casu nullum jus concipitur arripiendi exceptionem a regula. conf. §. 75.

§. 688. Ex præcedentibus patebit, quo casu in civitate locum habeat: pereat pars, ne pereat integrum.

§. 689. Qui jure aliquid facit, is agit legibus naturalibus externis convenienter (§. 772. E.), ejusque actio est justa. (§. 797. E.). Hinc jure agere & juste agere in foro externo pari passu ambulant.

§ 690. Si imperantes vi conventionis in collisione finium particularium, quibus vi conventionis obtinendum sit bonum publicum, utantur exceptione a regula intuitu boni publici; si sub eadem hypothesi illi patiantur, ut pars pereat, ne pereat integrum; si sub iisdem conditionibus præferant salutem communem saluti alicujus civis individui; ea omnia ab illis jure fiunt (§. 683. 688.), & hoc ipso justitiam externam demonstrant (§. 689.). Hinc si contigerit, ut bono civitatis communi contradicat bonum alicujus civis particulare, justitia principis externa exigit, ut fiat exceptio a bono & commodo partis, ne pereat bonum integri.

§. 691. Si expenderis notionem justitiæ externæ, legitime concludendo eandem propositionem elicies. Princeps enim justus, externe talis, populo suo suum tribuit (§. 669.). Quorsum cum referendum sit suum, ope pacti populo quæsitum (§. 1310. E.); princeps justus, externe talis, solicitus est de adimplendo pacto. Sed hoc eo tendit, ut bonum civitatis commune promoveatur (§. 592.), idque secundum modum conventum (§. 589.); princeps ergo justus, externe talis, solicitus est de bono civitatis communi promovendo, idque juxta modum conventum. Enimvero si bonum civis alicujus particulare contradicat bono civitatis communi; utrumque ob contradictionem emergentem obtineri non potest (§. 610. E.). Hoc proinde casu princeps, externe iustus, confugere debet ad exceptionem a bono & commodo partis, ne pereat bonum integri.

§. 692.

§. 692. Applices §§. 336. 337. Ex. ad principem justum.

§. 693. Neque ejusmodi agendi ratio semper pugnat cum justitia principis interna, si §. 670. Spec. cum §. 790. E. contuleris.

§. 694. Lectori dijudicandum relinquo, quam difficile sæpius sit judicium ferre de justitia principis, præcipue si simul expendatur illius cura conservandi suum populum contra aliarum civitatum machinationes, de qua re inferius plures doctrinæ occurrent.

§. 695. Expendi hic potest, utrum dentur casus, ubi imperantium jus recurrendi ad exceptionem a regula potius favor necessitatis (§. 1218. E.) vel ratio status strictissime sumta dici mereatur (§. 1240. E.), si civitas in periculo pereundi constituta sit, h. e. in extrema necessitate (§. 1224. E.).

§. 696. Tyranni, & titulo & exercitio, contra justitiam externam seu expletricem agunt. Priores enim imperium civile sine causa juris (§. 1511. E.), h. e. sine jure affectant, & ex consequenti populum ejusve imperantem lædere conniuntur (§. 215.). Posteriores etiam populum suum lædunt. (§. 666.). Sed cum læsiones pugnent cum justitia expletrice (§. 767. E 669. Spec.); uterque tyrannus contra justitiam expletricem agit.

§. 697. Tyranni exercitio non alii sunt, ac illi, qui populum, sibi subjectum, lædunt violando pactum (§ 666.). Unde patet, quod nemo imperantium possit dici tyrannus exercitio, nisi qui intuitu populi sui justitiam expletricem pedibus conculcare connisus fuerit. (§. 767. E. 669 Spec.).

§. 698. Imperantes, qui justitiam expletricem custodiunt intuitu populi sui, licet ab justitiæ internæ cultu alieni sint (§. 672.), pro tyrannis perperam habentur (§. 697.).

§. 699. Sic factum est, ut haud pauci judicio vulgi insulso & injusto visi sint tyranni, qui tales non fuerunt.

§. 700. Tyranni exercitio sunt, qui imperio abutuntur ad modum conventum promovendi bonum publicum, & consequenter ad formam reipublicæ stipulatam tollen-

dam; qui LL. fundamentales & jura civitatis & publicas privatasque civium fortunas contra pactiones evertere non dubitant, vid. Ill. GRIBNERI Jpr. N. §. IV. c. XIII. L. II.

§. 701. Tyrannus est exercitio, qui imperium limitatum cum illimitato vi commutare connititur. (§. 700.).

§. 702. Tyrannus est exercitio, qui universam rempublicam repugnante pacto expresso vel tacito opprimere conatur.

§. 703. Caveas proinde, ne pro tyranno statim habeas imperantem, qui nonnunquam boni rectoris officium deserit & in unum vel alterum civem crudelis existit (658.).

§. 704. Tyrannus exercitio ob læsiones enormes, easque manifestas (§ 662.) populo dat belli causam justificam (§. 1092. E.), si monitus ad saniorem mentem redire nolit. Hac ratione populo resistendi, jugumque excutiendi, & se in statum plenariæ libertatis redigendi (§. 1080. E.) potestas denegari nequit. Vid GRIBNERI Jpr. N. §. V. c. XIII.

§. 705. Quid suadeat prudentia in ejusmodi casibus, §. 663. dictum est. Huc accedit, quod teste experientia dominatus tyrannicus raro diuturnus esse soleat; id quod probe monuit Cel. WEIDLERVS §. VI. cap. X. sect. IV. J. N G.

§. 706. Si contuleris attributum principis justi, interne talis (§. 672.) cum attributis parentis (§. 135.), eum parentem populi agere manifestum est. Ejusmodi imperans non solum pacta, cum populo a se celebrata, religiose custodit, sed & ad salutem gentis suæ plura confert, quam quæ jure stricto præstare obligatus est. Qui cum redametur a populo ob infinita beneficia (§. 712. E.), quæ imaginem Dei in illis conspicuam efficiunt; mirum non est, cur illi deliciæ populi appellitentur & cur memoria sui sacrosancta & immortalis sit. E contrario cum illud, quod faciunt tyranni, nihil prosit, quin potius in perniciem reipublicæ tendat, eorum stulta est gloria, id quod Phædrus in fabula ingeniose depinxit.

§. 707.

§. 707. Caveas tamen, ne imperantem, parentis vices non explentem, statim habeas pro tyranno. Ponas principem, ab amore quidem erga rempublicam suam vacuum, religiosum tamen esse in custodia conventionum, quibus imperium, in se devolutum, nititur, citra meritum eum vocaveris tyrannum. Hoc enim casu nulla deprehenditur læsio, (§. 765. E.), quæ ab idea tyranni ejusmodi separari nescit.

§. 708. Quam diu durat in cive conatus promovendi bonum publicum juxta pactionem, tamdiu *is civis permanet*; sed si ille conatus vel in ipso exspiraverit, vel in conatum, illi fini communi contrarium degeneraverit, *is civis esse desinit*. (§. 1. 528. 486. 571.).

§. 709. Tyrannus exercitio fertur conatu, qui bono civitatis communi convento contrarius est (§. 700.) & ex consequenti civis esse (§. 708.), adeoque in statu civili vivere desinit (§. 535.).

§. 710. Tyrannus exercitio recidit in statum naturalem (§. 889. E. 709. Spec.).

§. 711. *Administratio* complectitur actus, quibus utilitas rei alienæ, nomine alterius, promovetur. Huc referas negotiorum gestorem, item tutorem, qui res pupillares administrare solet. Præterea notum est, quod nemo rem suam administrare dicatur.

§. 712. Administratio ejusmodi est officium amoris (§. 736. E.), & species auxilii (§. 720. E.). Enimvero nec amoris actus (§. 691. E.), nec ex consequenti auxilium (§. 740. E.) alteri obtrudi potest; ab alterius voluntate, & consequenter consensu (§. 1253. E.) dependet, utrum alicui committere velit administrationem rerum suarum. Nec & alter cogi potest, ut alterius res administret. (§. 691. E.). Hinc & ab alicujus libera voluntate & consensu (§ 1253. E.) dependet, utrum velit alterius rei administrationem in se suscipere. *Ad ejusmodi* itaque *administrationem requiritur* consensus reciprocus & ejus, cujus res administrari debeat,

& illius, cui committenda veniat administratio, & consequenter *pactum*. (§ 1288. E.).

§. 713. Pactum hoc potest esse vel expressum vel tacitum. In rebus publicis obveniunt administrationes, quæ nituntur pacto præsumto. (§. 1368. 1370. E. 44. Spec.).

§. 714. Vi pacti §. 712. obligatur administrator ad remedia arripienda, quibus utilitas rei alienæ promoveri possit, & ad impedimenta, fini administrationis contraria, removenda, nec minus ad amplectendam, suscitandamve occasionem, cujus ope emolumentum alterius obtineri possit (§. 599.).

§. 715. Pactum, quod administratori cum eis, quorum nomine utilitatem rei cujusdam promovet, intercedit, est bilaterale (§. 1375. E.), quod producit duplicem obligationem & duplex jus (§. cit.). Nanciscitur igitur administrator jus rem administrandi & consequenter etiam jus arripiendi remedia, quæ ad utilitatem rei administrandæ necessaria sunt. Id quod etiam de removendis impedimentis & de amplectenda occasione intelligendum (§. 601.).

§. 716. Vi obligationis perfectæ, quæ administratori incumbit (§ 714.), hic ad diligentiam debitam pro ratione negotiorum, quæ expedienda in se suscepit, adhibendam obstrictus est (§. 1405. E.), & consequenter culpæ vel doli reus fieri (§. 1408. 553. E.), & ob id, ad reparationem damni illati in statu naturali compelli & in civitatibus pœna coerceri potest. (§. 1414. E.)

§. 717. Administrator tenetur reddere rationes eis, quorum interest. (§. 237. 711.). Ex idea negotii hujus hæc obligatio concipitur. In casu remissionis reddendarum rationum idem est ac si administrator eas reddiderit (§. 1420. E.).

§. 718. Actus, quibus bonum civitatis commune nomine alterius promovetur, absolvunt *reipublicæ administrationem*. Quorsum referendi sunt actus, quibus efficitur, ne respublica seu bonum publicum detrimentum capiat.

§. 719.

§. 719. Jus administrandi rempublicam a pacto inter rempublicam vel eum, qui ei præest, & administratorem repetendum est (§. 712.).

§. 720. Administrator reipublicæ non suo, sed jure alterius exercet imperii jura, idque vi pacti. (§. 718. 719.).

§. 721. Applicanda veniunt ad administratorem regni, quæ §§. 714. 715. 716. 717. demonstrata sunt.

§. 722. Administratores regnorum jura imperii alterius jure (§. 720.), sed imperantes summi suo jure (§. 628.) exercent. Imperantes itaque summi non possunt haberi pro administratoribus regnorum, juxta significatum strictum sumtis (§. 718.). Eadem conclusio potest converti.

§. 723. Qui non nisi rempublicam administrat, is non est imperans summus (§. 722.), & ex consequenti ei non competit majestas, (§. 528.).

§. 724. Collatio administrationis reipublicæ ab eis, in quibus residet imperium civile summum, dependet (§. 719.).

§. 725. Imperantes habent jus præscribendi facienda civibus subjectis (§. 526.). Huic juri respondet in civibus subjectis obligatio perfecta attemperandi actiones suas præscriptis imperantium (§. 226.). Sed hæc obligatio exigit voluntatem efficacem seu propositum actiones suas attemperandi præscriptis imperantium (§. 508. 509. E.), quod dicitur obsequium (§. 223.); *datur* itaque *in civibus subjectis obligatio perfecta ad* OBSEQVIVM *imperantibus præstandum*, CIVILE dici suetum.

§. 726. Cum obsequium civium subjectorum concipiatur ex jure imperii (§. 725.), illud eousque se extendit, quousque jus imperii in casu dato patet.

§. 727. Cum imperium civile differat ab imperio paterno, dominico (§. 543.), obsequium etiam civile ab obsequio liberorum & servorum differre debet (§. 725.). Differentibus a se invicem principiis & causis, differunt a se invicem causata.

§. 728. Idem imperium est jus determinandi normas, qui-

bus cives subjecti actiones suas attemperent (§. 526. 527. 213.).

§. 729. Idem imperium conjunctum est cum jure cogendi cives, ut ea, quæ sibi præscripta sunt, expediant (§. 559.), & ex consequenti normis, ab imperante determinatis, actiones suas attemperent (§. 213.).

§. 730. Idem imperium conjunctum est, cum jure incutiendi metum civibus, ut normis ab imperante determinatis, actiones suas attemperent (§. 581. E. 729. Spec.), & consequenter cum jure connectendi metum cum actionibus civium, normæ determinatæ attemperandis.

§. 731. Connexio metus cum actionibus est species obligationis (§. 314. E.). Hinc imperium civile summum est conjunctum cum jure obligandi cives, ut actiones normis determinatis accommodent. (§. 730.)

§. 732. *Imperans in civitate summus gaudet* jure determinandi normas, quibus cives subjecti actiones suas attemperare obligantur (§. 731.), & ex consequenti *jure ferendi leges* (§. 346. E.), *civiles* dici solitas.

§. 733. Ab hac potestate legislatoria distinguamus prudentiam legislatoriam, de qua in politicis agitur. Si e. g. quæratur, an consultum sit introducere leges peregrinas, *quæstio* hæc *consulti* seu *consilii* seu *prudentiæ* est; sed si quæratur, an imperantes summi possint eisdem locum dare, est *quæstio juris* seu *justi*.

§. 734. Hactenus concepimus jus imperantium obligandi cives ex jure eisdem metum incutiendi (§. 730. 731.). Unde ex hucusque dictis patet, obligationem civilem esse connexionem metus cum actionibus civium subjectorum.

§. 735. Imperantium jus ferendi leges perspeximus ex jure determinandi normas, quibus cives actiones suas attemperare obligantur (§. 732.) & consequenter ex jure obligandi cives. Sed jus obligandi cives derivavimus ex jure civibus incutiendi metum (§. 731. 730.), & hoc ex jure cogendi eosdem. (§. 729.); Imperantes itaque jure gaudent ferendi leges. ad quarum custodiam cives cogi possunt.

Unde

Unde patet, imperantibus tribuendum esse *jus ferendi leges cogentes* seu *stricte dictas* (§. 751. E.).

§. 736. *Leges civiles oriuntur* ex imperio civili summo (§. 732.), & consequenter *ex pacto inter imperantes & cives subjectos*. (§ 577.). Unde cum *Grotio* pacta ejusmodi recte dicimus fontem, a quo jura civilia fluxerunt. Vid. §. 15. Proleg. de J. B. & P.

§. 737. Ubi nulla datur connexio metus cum actionibus, ibi nulla datur coactio (§ 583. E.). Atqui ubi nulla datur connexio malorum cum actionibus, ibi nulla datur connexio metus cum actionibus (§. 314. E.), ubi itaque nulla datur connexio malorum cum actionibus alterius, ibi nulla datur coactio.

§. 738. Ubi nullus datur nexus malorum cum actionibus, ibi nulla datur coactio. (§. 737.). In nexu bonorum cum actionibus nullus datur nexus malorum cum actionibus (§. 141. 145. E.), ergo in nexu bonorum cum actionibus nulla datur coactio.

§. 739. Imperium est jus præscribendi aliis facienda. (§. 896. E.). Sed jus omne est copulatum cum jure cogendi alterum invitum, ut officio suo, quod juri respondet (§. 216.), satisfaciat (§. 775. E.); imperium itaque est conjunctum cum jure cogendi alterum, imperio subjectum, ut præscriptis satisfaciat.

§. 740. Unde patet, quid de divisione *imperii* in *cogens* & *dirigens* sit habendum. *Quakeros* imperium non cogens, sed tantum dirigens admittere velle, notum est. Cum coactio ab imperio separari nesciat (§. 739.), imperium dirigens non nisi improprie tale esse, certum est. Præscripta, a nuda directione alterius pendentia, non nisi consilia sunt (§. 752. E.) & monita, quibus utrum alter actiones suas accommodare velit, in ejus arbitrio positum est. Qui virtutis studio ducti legitime imperantibus obsequium exhibent, in eis flectendis comminatione opus non est, cum illi sponte expediant normas sibi præscriptas. Oderunt peccare boni virtutis amore.

§. 741. Ubi nulla datur coactio, ibi nullum concipitur imperium (§ 896. E.). In nexu bonorum cum actionibus nulla datur coactio (§.738.), ergo in nexu bonorum cum actionibus nullum concipitur imperium.

§. 742. Imperium nullum concipitur in nexu bonorum cum actionibus (§ 741.) Nexus bonorum cum actionibus est obligatio per bona connexa cum actionibus (§. 300. 170 E.); imperium ergo nullum concipitur in obligatione per bona connexa cum actionibus.

§. 743. Obligatio fit vel per bona vel per mala connexa cum actionibus (§. 300, 170. E.). Imperium nullum concipitur in obligatione per bona connexa cum actionibus, (§ 742.); imperium itaque concipitur in sola obligatione per mala connexa cum actionibus.

§. 744. Imperium civile summum concipitur in sola obligatione per mala connexa cum actionibus civium subjectorum, (§ 743.).

§. 745. Mala, quæ connectuntur cum actionibus civium, sunt vel naturalia vel ab arbitrio imperantis pendentia. Nexus malorum naturalium ad obligationem naturalem (§. 318. E.) & divinam (§ 330. E.) spectat. Remanet ergo nexus malorum arbitrariorum pro OBLIGATIONE CIVILI, quæ adeo nihil aliud est quam nexus malorum, ab arbitrio imperantis dependentium, cum actionibus civium.

§. 746. Imperium civile summum ad solam obligationem per mala connexa cum actionibus civium (§.743.), & consequenter ad solum metum, civibus refractariis incutiendum, contendit (§. 314. E.).

§. 747. Juri ferendi leges, quod principi summo competit, respondet obligatio civium perfecta adimplendi leges civiles, sibi datas (§. 226.).

§. 748. Ad quæ cives obligari debent, ea nec in se, nec naturaliter, nec moraliter impossibilia sint necesse est. (§. 83.).

§. 749.

§. 749. Pacta inter imperantes & cives, eorumque jura & obligationes ultra finem civitatis conventum porrigi non possunt (§. 337. 338. 340. 528.).

§. 750. Jus ferendi leges civiles & obligatio civium, eas adimplendi, ultra finem civitatis conventum extendi non possunt (§. 749. 732. 735.).

§. 751. Subjectio civilis est dependentia actionum ab imperio civili summo (§. 528. Sp. & 913. E.).

§ 752. Subjectio civilis est dependentia actionum ab imperio civili (§. 751.). Sed cujus rei rationes petendæ sunt ab alio, illa ab hoc dependere dicitur (§. 909. E.); subjectionis igitur civilis rationes ab imperio civili petendæ sunt. Imperium ergo civile rationes continet subjectionis civilis. Hæc itaque, tanquam principiatum, concipitur ex imperio civili, tanquam principio (§. 42. 41. E.).

§. 753. Quousque ergo imperium civile patet, vel secus, eousque etiam subjectio civilis protendenda est, vel minus. Sed imperium illud ultra finem civitatis ultimum eumque conventum (§. 749.), & consequenter ultra boni publici promotionem conventam (§. 510.) extendi non potest; subjectio itaque civilis ultra boni publici promotionem conventam extendenda non est.

§. 754. Imperium civile differt ab imperio dominico (§. 543.). Subjectio civilis ex imperio civili (§. 751. 752.), & subjectio servilis ex imperio dominico (§. 354.) concipitur. Subjectio itaque civilis a subjectione servili differt. Differentibus a se invicem principiis, discrepant a se invicem principiata.

§. 755. Eadem ratione demonstrari potest, subjectionem civilem a subjectione liberorum & domesticorum in familiis discrepare (§. 543.).

§. 756. Ut imperium (§. 896. E.) est genus, quod sub se comprehendit imperium maritale (§. 192.), paternum (§. 213.), dominicum (§. 317.) & domesticum (§. 449.), tanquam species; ita subjectio (§. 897. 913. E.), ceu genus,

complectitur subjectionem conjugis, liberorum (§. 244), servorum (§ 354.), & domesticorum (§. 453.), tanquam species. Notum est, quod a specie ad conspecies argumentari non liceat.

§. 757. Reges & imperantes, qua tales, gaudent juribus, quibus non gaudent domini, qua tales, sed & domini, qua tales, gaudent juribus, quibus imperantes, qua tales, non fruuntur (§. 543.).

§. 758. Nec minus patet, cur caput familiæ distinguendum sit a principe familiæ, si princeps sumatur pro imperante civili (§. 543. 395.), utut familia pro civitate parva seu pro imitamento civitatis habeatur.

§. 759. Pactum inter imperantes & cives subjectos est causa proxima imperii civilis (§. 633.). Sed cum imperium civile sit causa subjectionis civilis (§. 752.), & præterea causa causæ sit causa causati; idem pactum inter imperantes & cives subjectos est causa subjectionis civilis.

§. 760. Subjectio civilis est dependentia actionum ab imperio civili (§. 751.), & consequenter independentiam actionum ab imperio humano, h. e. libertatem naturalem tollit (§. 912. E.).

§. 761. Subjectio civilis cum jactura libertatis naturalis copulata est (§. 760.).

§. 762. Ex subjectione civili concipitur jactura libertatis naturalis (§. 760.). Quousque ergo patet subjectio civilis, eousque etiam se extendit jactura libertatis naturalis. Sed subjectio civilis eousque protenditur, quousque porrigitur imperium civile (§. 752.), hinc & jactura libertatis naturalis eousque patet, quousque se extendit imperium civile summum.

§. 763. Quousque se extendit imperium civile summum, eousque patet jactura libertatis naturalis in civitate (§. 762.). Enimvero imperium civile se extendit, quousque patet pactum, ab imperante cum populo initum (§. 634.); jactura itaque libertatis naturalis, quam faciunt cives

cives subjecti, eousque porrigitur, quousque eadem pactio patet.

764. Quo majus concipi potest, id est LIMITATUM (§. 825. Ontol. Lat. WOLFF).

§. 765. Innumeræ dantur actiones, ad quas suscipiendas homo aptus est. Pro ratione numeri majoris vel minoris actionum, independenter ab imperio humano suscipiendarum, oritur major vel minor independentia actionum ab imperio humano, & ex consequenti major vel minor libertas naturalis (§. 912. E.)

§. 766. Libertas naturalis limitata est, qua major concipi potest (§. 764.).

§. 767. Quicquid efficit, ut alterum eo redigatur, ut illo concipiatur majus, illud limitat alterum (§ 764.), & dicitur causa limitationum rei alterius (§. 222. E.).

§. 768. Quicquid efficit, ut libertas naturalis eo reducatur, ut illâ concipiatur libertas major, illud limitat libertatem naturalem, & dicitur causa limitationum libertatis naturalis (§. 767.).

§. 769. Si tollatur libertas naturalis, id fieri potest vel in totum vel ex parte. Hinc jactura libertatis naturalis est vel totalis, vel partialis.

§. 770. Jacturam libertatis naturalis totalem copulatam esse cum servitute seu cum subjectione servili, §. 372. evicimus. Ejusmodi jactura libertatis naturalis totalis locum habet in regnis dominicis, in quibus deprehenduntur gentes servæ. Sed cum subjectio civilis differat a subjectione servili (§. 754.), jacturam libertatis naturalis totalem cum subjectione civili consistere non posse existimaverim. Nec desunt, qui regna dominica e numero civitatum eliminanda arbitrantur.

§ 771. Si posueris jacturam libertatis naturalis partialem, altera illius pars amittitur, altera vero manet salva. Quo casu cum libertas naturalis ita se habeat, ut eâ concipiatur libertas major; illam limitari, patet ex §. 766.

§. 772.

§. 772. Subjectio civilis producit jacturam libertatis naturalis (§. 760. 761.), eamque non totalem (§. 770.). Subjectio itaque civilis jacturam ejusdem libertatis tantum partialem efficit. Unde patet, quod in civibus subjectis libertas naturalis non nisi limitetur & circumscribatur. (§. 771.).

§. 773. Quod de subjectione civili §. 772. demonstravimus, idem etiam affirmandum de obligatione civili, quæ libertatem naturalem tollere (in tantum) existimatur. Cujus propositionis demonstratio facilis erit.

§. 774. Pars libertatis naturalis residua a cive, qua tali, separari nescit (§. 772.) In mancipio libertatis naturalis prorsus nihil datur. (§. 372.). Hinc civis, qui simul mancipium poneretur, contradictionem involvit. Unde & clarum est, cur doctores prudentiæ civilis liberum hominem ad notas civis subjecti characteristicas referant.

§. 775. Ea, quæ de limitationibus rerum §. 922. seq. Exerc. diximus, expendi & huc transferri possunt.

§. 776. *Libertas civilis* est, quæ tribuitur civibus subjectis. Eam esse libertatem naturalem limitatam, patet ex §. 772.

§. 777. Subjectio civilis producit limitationem libertatis naturalis (§. 772.). Sed cum imperium civile summum sit causa subjectionis civilis (§. 752.), & causa causæ sit causa causati; imperium civile producit limitationes liberbertatis naturalis. Hinc imperium civile summum est copulatum cum jure circumscribendi libertatem naturalem civium subjectorum.

§. 778. Quousque patet imperium civile summum, eousque etiam porrigitur jus circumscribendi libertatem naturalem in civibus subjectis (§. 777.). Sed idem imperium se extendit, quousque patet pactum, quod imperanti cum civibus subjectis intercessit (§. 634.), idem etiam valebit de jure circumscribendi libertatem naturalem in civibus subjectis.

§. 779.

§. 779. Cum in civibus subjectis libertas naturalis limitata deprehendatur, & limitationes rei intelligi non possint, nisi limitatum inspiciatur; in considerenda civitatis indole contemplatio libertatis naturalis est maximi momenti.

§. 780. Cum imperio civili summo copulatum est jus connectendi mala arbitraria (§. 745.), tanquam motiva (§. 170. E.), cum actionibus civium, quæ mala POENAE POSITIVAE (§. 362. 364. E.), eæque CIVILES vocantur. Ergo cum imperio civili summo IUS PUNIENDI conjunctum est.

§. 781. Obligatio civilis est nexus pœnarum, ab arbitrio summi imperantis pendentium, & cum actionibus civium copulatarum (§. 745. 780.).

§. 782. Præmia non sunt pœnæ, (§. 362. E.) Hinc nexus præmiorum cum actionibus civium, obligatio civilis non est, (§. 781.).

§. 783. Obligatio civilis est non nisi connexio metus cum actionibus civium (§. 746.), & consequenter sola coactione civium renitentium absolvitur (§ 583. E.).

§. 784. Nisi dentur cives subjecti renitentes, non opus esset comminatione & coactione (§. 583.) E.), neque adeo obligatione civili (§. 783.).

§. 785. Leges civiles sunt normæ, quibus cives actiones suas attemperare obligantur (§. 732.). Sed obligatio civilis sola coactione civium renitentium absolvitur (§. 783.); leges ergo civiles non nisi leges cogentes f. stricte dictæ sunt (§. 751. E.). Leges quid aliud sunt, quam minus mixta præcepta. Sunt verba *Senecæ* ep. 95.

§. 786. Leges civiles non sunt consilia (§. 752. E. & 785. Sp.). Quæ ab imperante civibus subjectis proponuntur *per modum consilii*, ea sunt distinguenda ab illis, quæ *per modum legis* præscribuntur a civitatum rectoribus.

§. 787. Officia civium, qua talium, dantur, quæ stricte dicta & externa sunt (§. 761. E. 785.).

§. 788.

§. 788. Nec minus ex §§. 732. 781. patet, legem civilem semper stipatam esse sanctione pœnali arbitraria. Legis virtus hæc est: imperare, vetare, permittere, punire. L. 7. π. de LL.

§. 789. Si lex naturalis vel cogens (§. 753. E.), vel interna (§. 759. E.), sanctione pœnali arbitraria communiatur, illa in legem civilem simul abit (§. 788. Hoc pacto aliqua lex potest esse simul naturalis & civilis.

§. 790. Leges naturales quæ in civitate sanctione pœnali arbitraria non communiuntur, civiles non sunt (§. 788.).

§. 791. Ea, quæ coactionem non patiuntur, legibus civilibus non subsunt (§. 785.).

§. 792. Conscientia est judicium latum de moralitate actionum propriarum (§. 416. E). Sed judicia extorsionem non patiuntur (§. 60. 583. E.); ergo conscientia est coactionis impatiens.

§. 793. Voluntatis perfectio eo tendit, ut appetamus vera bona, & quæ mala vera sunt aversemur (§. 652. E.). *Voluntas prava* est appetitus mali veri & boni veri aversatio. *Emendatio voluntatis* est mutatio voluntatis pravæ in meliorem seu perfectiorem. Hinc emendatio voluntatis eo tendit, ut appetitus mali veri in illius aversationem, & ut aversatio boni veri in illius appetitum mutetur. Appetitio & aversatio oritur ex repræsentationibus bonorum & malorum (§. 154. 155. E.); illa itaque mutatio unius in alteram oritur ex mutatione repræsentationum boni vel mali. Id quod applicandum ad emendationem voluntatis Enim vero intellectus coactionis impatiens est, & ex consequenti sola coactione externa nec repræsentatio boni in repræsentationem mali, nec altera in priorem mutari potest (§. 579. 583. 61. E.), emendatio itaque voluntatis sola coactione, neque adeo solo imperio (§. 896. E.) effectui dari potest.

§ 794. Notum est, quod licet aliquis ad actum expediendum, quem aversatur, vel ad actum, qnem appetit, omit-

omittendum compellatur, priori tamen casu reclinatio, posteriori vero inclinatio mentis adhuc perduret. Huc accedit, quod uti amor (§. 691. E.), ita omnes affectus, omnesque appetitus & aversationes, quæ actiones mere naturales sunt (§. 311. E.), extorsionem nesciant, idque ob rationes generales.

§. 795. Verioris virtutis studium ab emendatione voluntatis dependet (§. 373. 141. E. 793. Spec.), & consequenter ope coactionis in mente progenerari non potest. (§. 793.). Id quod applicandum ad imperium civile.

§. 796. In quo casu nulla concipitur coactio, in illo nullum concipitur imperium (§. 896. E.). Religio (§. 836. E.), cultus pietatis internæ (§. 847. E.), conscientia (§. 792.), virtus & honestas interna (§. 795.), justitia interna (§. 804. E.), imperinm non patiuntur.

§. 797. Imperium civile eo tantum tendit, ut cives saltem in DISCIPLINA EXTERNA contineantur, quæ in sola convenientia actuum externorum cum legibus civilibus consistit (§. 796.). Conf. §. 356. Politicæ WOLFF. *Virtus* & *honestas*, quæ ope imperii ejusdem obtineri potest, *civilis* dicitur. Hæc virtutis, honestatis & justitiæ externæ species est. (§. 797. E.).

§. 798. Locum egregium adducam ex sermone sacro, quem S. R. ROLOFFIUS Berolini de divina mali permissione ad Matth. XIII. 24-30 habuit. Verba viri, de propaganda religione puriori excellenter meriti, hæc sunt: *In der Kirche Gottes wird mit äusserlicher Gewalt und weltlichem Arm wider das Böse nicht viel ausgerichtet, noch dadurch der innern Besserung des Hertzens oder der Beförderung wahrer Gottseeligkeit grosser Vorschub gethan. Zur Beybehaltung guter Zucht und Ordnung können menschliche Anstalten, Gewalt und Schärffe das ihrige thun, auch mag der äusserliche Ausbruch des Bösen dadurch wohl zurück gehalten werden, aber zur Hinderung und würcklichen Ausrottung des Bösen, so fern es in der Abweichung des Hertzens*

von

von dem heiligen Willen und Gesetz Gottes bestehet, ingleichen zur Ausübung des thätigen Christenthums, werden gantz andere Waffen erfordert. Und hat es die Erfahrung schon längst bestättiget, daß Schwerd und Feuer, Verfolgung und Gefängniß jederzeit der guten Sache mehr Schaden als Vortel gestifftet haben. Wenn nun also Gott das Bœse in der Kirche, oder überhaupt in der Welt duldet, und es durch seine Allmacht nicht hindert, so folget gar nicht, als ob Er einen Gefallen daran hätte. Es kœnnen andere Ursachen mehr vorhanden seyn, und ob wir sie auch nicht alle wüßten, so kan „uns doch genügen, daß wir überhaupt wissen, es sey besser, „das Bœse zuzulassen und zu dulden, um dadurch ein grœsser „Ubel zu verhüten, als es nicht zuzulassen, und zugleich ein „mehreres und grœsseres Gut zu verhindern.„

§. 799. Ponas vel tollas imperium civile summum, pones vel tolles jus cogendi cives (§. 729.), obligandi eos (§. 731.), ferendi leges civiles (§. 732.), & puniendi (§. 780.). Nec minus ex §§. citatis patet, eadem jura ex imperio eodem concipi. (§. 41. E.). Imperium itaque civile summum est causa, fundamentum, fons & origo unica omnis coactionis, obligationis, legislationis, & sanctionis pœnalis civilis (§. 202.).

§. 800. Præter imperantem summum nemo in republica jure pollet cogendi, obligandi, leges ferendi & puniendi, idque independenter ab imperio civili supremo (§. 799.).

§. 801. Si qui itaque dentur in civitate, qui præter imperantem summum jure cogendi alios, in eadem civitate viventes, vel jure ferendi leges & puniendi pollent; illi juribus ejusmodi derivative & communicative fruuntur. (§. 800.).

§. 802. Quousque se extendit imperium civile summum, eousque etiam patet jus cogendi, obligandi civiliter, ferendi leges civiles, & puniendi, (§. 799.).

§. 803. Imperium civile ad promovendam securitatem & salutem publicam tendit (§. 526. 510), idque vi pacti. (§. 571.)

(§. 571.). *Ergo jus ferendi leges civiles tendit ad promovendam securitatem & salutem publicam, idque vi pacti* (§. 832.).

§. 804. Idem etiam ad jus cogendi, obligandi & puniendi applicandum venit. (802. 526. 510.).

§. 805. Si bonum civitatis publicum exigat, ut lex naturalis, alias interna (§. 759. E.) stipetur coactione externa, imperans summus jure gaudet illas mutandi in leges cogentes (§. 752. E. 803. 804).

§. 806. Unde patet ratio, cur officia amoris seu humanitatis, §. 736. E.), quæ indebita vocantur(§. 1326. E.), ope legis civilis converti possint in officia stricta seu debita. (§. cit.). Nec minus inde clarum est, quod ope legis civilis jus imperfectum formam juris perfecti induere possit. (§. 773. E.).

§. 807. Quod tibi non nocet, & alteri prodest, ad id poteris compelli ab imperantibus (§. 806.).

§. 808. Jus ferendi leges civiles pactum præponit inter imperantes & cives subjectos. (§. 571.). Hinc conversio officiorum amoris in officia perfecta a pacto imperantium & parentium dependet (§. 805.).

§. 809. Si dixerim, quod in civitate officia, alias ab amore proficiscentia, coactionem patiantur, inde minus intuleris, amorem extorqueri, qui extorsionis impatiens est (§. 691. E.). Ejusmodi casibus non amor, sed actus, ab amore alias pendens, extorquetur.

§. 810. Communiter asseritur, officia imperfecta converti posse in perfecta 1.) per pacta, 2.) per legem civilem, 3.) in casu extremæ necessitatis. Modum ultimum removi §. 229. primum §. 1326. E. demonstravi, & secundum reduxi ad primum (§. 808.). Hactenus itaque modum, quo mutari possit officium imperfectum in officium perfectum, nullum alium cognovimus, quam pactionem.

§. 811. Si imperans præscribat actiones committendas, eas PRAECIPIT; si præscribat actiones omittendas, eas vetare dicitur. Hinc & ejusmodi ACTIONES PRAE-

CEPTAE, VETITAE appellantur. Nec minus dantur LEGES CIVILES PRAECEPTIVAE dantur & PROHIBITIVAE.

§. 812. Leges civiles ſunt leges ſtricte dictæ (§. 785.). Quod legibus ſtricte dictis non repugnat, dicitur licitum in foro externo (§. 861. E.). Hinc LICITVM CIVILE ea omnia complectitur, quæ legibus civilibus non repugnant. Et cum dentur leges naturales ſtricte dictæ (§ 753. 754. E.), etiam datur LICITVM, NATVRALITER TALE, ſeu in ſphæra juris naturalis externi conſideratum, quod ſe ad ea extendit, quæ legibus naturalibus externis non repugnant (§. 866 E.). Quæ ſint actiones *naturaliter vel civiliter licitæ*; facile patet.

§. 813. ILLICITVM eſt id, quod legibus ſtricte dictis repugnat. Quæ ſint NATVRALITER vel CIVILITER ILLICITA, quæ ſint *actiones naturaliter* vel *civiliter illicitæ*, haud difficile eſt adjudicandum.

§. 814. *Si quis alteri aliquid permittit*, is alterius arbitrio relinquit, utrum illud expedire, an omittere velit. Qui alteri malum repræſentat, ut ad aliquid expediendum fugiendumve determinetur, is alterius arbitrio non relinquit, utrum illud vel exequi, vel omittere velit. Unde patet, quod is, qui alterum cogit ad aliquid expediendum, omittendumve (§. 579. 583. E.), arbitrio alterius non relinquat commiſſionem vel intermiſſionem actus alicujus. Si quis itaque alteri aliquid permittit, is alterum non cogit ad illud expediendum vel fugiendum. Unde clarum erit, *permiſſionem non eſſe coactionem intuitu ejus, cui aliquid permittitur.*

§. 815. Imperans ad illud, quod a ſe permiſſum eſt ſibi ſubjectis, expediendum vel omittendum eos non cogit (§. 814.), & conſequenter intuitu permiſſi imperio ſuo non utitur (§. 896. E.). Quod itaque alicui permiſſum eſt, id ei neque præceptum, nec vetitum eſſe poteſt (§. 811.).

§. 816. Civiliter alicui licitum eſt, quod ei ab imperante vetitum non eſt (§. 811. 812.). §. 817.

§. 817. Licitum est in foro externo, quod legibus stricte dictis non repugnat §. 861. E.). Quod legibus strictis non repugnat, concipi non potest, nisi leges stricte dictas seu cogentes introspexeris; id quod applicandum ad licitum in foro externo. Unde patet, quod licitum civile concipi non possit, nisi leges civiles intellexeris. Id quod affirmandum de eo, quod civiliter illicitum est.

§. 818. *Actiones* civium subjectorum, quæ legibus civilibus conveniunt, *civiliter bonæ, honestæ, justæ*; quæ legibus civilibus contradicunt, *civiliter malæ, inhonestæ, turpes, injustæ*, vocantur. Unde & patet, quæ sit *honestas*, quæ *inhonestas* seu *turpitudo*, quæ *justitia*, quæ *injustitia*, quæ *virtus*, actionibus civium subjectorum tribui solita. Hæc nimirum *justitia actionum, a civibus subjectis suscipiendarum* vel *omittendarum*, est earum convenientia cum legibus civilibus. E diverso *injustitia ejusmodi actionum* est pugnantia earum cum legibus civilibus.

§. 819. *Actiones civium subjectorum*, quæ a legibus civilibus nec præceptæ, nec prohibitæ sunt, audiunt *indifferentes in foro civili*. Dicuntur etiam *neutra* a CICERONE. Conf. §. 863. Ex. Unde & patet, cur actiones civiliter indifferentes sint eæ, quæ nec bonæ, nec malæ, civiliter tales, sunt. (§. 818.).

§. 820. Actiones civiliter indifferentes sunt licitæ in eadem sphæra. (§. 819. 812.).

§. 821. Qui legibus civilibus solutus est, ad ejus actiones nec licitum, nec illicitum civile (§. 812. 813.), nec honestas, nec justitia, nec injustitia actionum civilis (§. 818.) applicari potest. De justitia summorum imperantium, qua talium, §. 669. dictum est, & inferius plura de illa proferemus.

§. 822. Pro ratione plurium, vel pauciorum actionum, quæ a civibus subjectis suscipi possunt, legibus civilibus haud repugnantium, majus & minus in licito civili concipi potest (§. 812.). Unde patet, quod licitum civile sit limitatum quid (§. 764.).

§. 823. Pro ratione legum civilium, quibus plures vel pauciores actiones civium subjectorum non repugnant, minus vel majus in licito civili concipi potest. (§. 812.). Unde & hoc modo liquet, quod licitum civile sit limitatum quid. (§. 764.)

§. 824. Quicquid efficit, ut licitum civile eo reducatur, ut illo licitum concipiatur majus, illud limitat licitum civile & dicitur causa limitationum liciti civilis. (§. 767.).

§. 825. Leges civiles efficiunt, ut id, quod civiliter licitum est, eo reducatur, ut illo licitum concipiatur majus (§. 823.. Leges ergo civiles limitant licitum civile & sunt caussæ limitationum ejusdem (§. 824.).

§. 826. Leges civiles sunt causæ limitationum liciti civilis (§. 825.). Imperium civile summum est causa, eaque unica legum civilium (§. 709.). Enimvero causa causæ est causa causati; Imperium itaque civile summum est causa, eaque unica limitationum ejus, quod civiliter licitum est.

§. 827. Pactum, quod imperantibus summis cum civibus subjectis intercessit, est causa proxima imperii supremi delati (§. 577.). Illud itaque est causa limitationum ejus, quod civiliter licitum est. (§. 826.).

§. 828. Soli imperantes summi jure gaudent limitandi id, quod civiliter licitum est (§. 826.).

§. 829. Præter eos, penes quos est τὸ κύριον, nemo in civitate jure pollet limitandi id, quod civiliter licitum est (§ 828.).

§. 830. Actiones licitæ sunt in foro externo, quæ LL. stricte dictis, haud repugnant (§. 861.E.), & consequenter læsiones non sunt (§. 765. E). Id quod applicandum ad actiones & naturaliter & civiliter licitas.

§. 831. Malum seu incommodum, alteri ex nostra actione licita subnatum, non est malum ortum ex læsione (§. 830.), neque adeo pro damno seu pro injuria reputa-

putari (§. 769. E). nec ex consequenti alteri ullam disceptationis causam justificam subministrare potest (§. 1982. E.)

§. 832. Propositio praecedens ad actiones & civiliter & naturaliter licitas applicanda venit.

§. 833. Si actio fuerit licita, ea nobis conceditur vel permittitur a lege stricte dicta. (§. 861. E. 814.). Hac ratione oritur facultas agendi, vel non agendi, nobis a lege stricte dicta concessa & consequenter jus (§. 772. E.). Cum eo itaque, quod licitum est, copulatum est jus, quod dici suevit IUS LICITI. Applicetur hoc ad licitum vel naturaliter vel civiliter tale.

§. 834. Sunt qui affirmant, id, quod licitum est, *jus* dici. Non repugno. Quod est e genere licitorum in foro externo, illud LL. strictè dictis non repugnat, (§. 861. E.) & sic non est contra illas leges & consequenter haud injustum in eodem foro judicatur (§. 797. E.). Hinc quod licitum est in foro externo, IUS dici meretur, pro eo, quod non injustum est, sumtum.

§. 835. Quae licita sunt in foro externo, ad genus eorum, quae nostra sunt, referenda veniunt. (§. 786. E. 834.). Id quod etiam patet ex §. 976. E. & 833. *Et id meum est, quod* LICET. Sunt verba HEDINGERI in Philosophia Juris. p. 5.

§. 836. Juri, quod cum licito copulatum est, respondet in aliis obligatio perfecta, ne nos in usu rei licitae conturbent, neve id, quod licet, coarctent, prorsus tollant. (§. 226.).

§. 837. Qui nos conturbat in usu liciti, is nos in eo, quod nostrum est, violat (§. 835.), vel, si malueris, in usu juris nostri conturbat. (§. 833. 834.). Quicquid sumseris, oritur laesio perfecta (§. 707. 767. E.).

§. 838. Quae in §§ 834. 835. 836. 837. adduximus, haud difficulter ad statum & naturalem & civilem applicabis.

§. 839. Idem locum habet eo casu, ubi quis non velit vi compellere ad expediendum id, quod licitum est.

§. 840. Mala, nobis orta ex alterius turbatione ejus, quod licitum est, sunt damna (§. 769. E. 837.), ad quæ reparanda turbator tenetur (§. 096. E.).

§. 841. Dantur diversæ formæ civitatum, dantur etiam diversæ leges civiles. Hinc quod licitum est in una civitate, potest esse illicitum in alia. (§. 826.).

§. 842. Jus est copulatum cum facultate cogendi alios, ut officio, nobis debito, satisfaciant. (§. 775. E.). Hinc jus liciti est conjunctum cum facultate cogendi alios, ut obligationi perfectæ satisfaciant, quæ eo tendit, ut ne nos in usu liciti conturbent, neve id, quod licet, coarctent, prorsusve tollant (§. 836.).

§. 843. Propositio præcedens etiam sic demonstratur. Qui nos conturbat in usu liciti, is non lædit perfecte (§. 837.) & ex consequenti nobis dat causam coactionis justificam (§. 261.).

§. 844. Thesis, in §§. præviis universaliter demonstrata, applicari potest ad statum & naturalem & civilem. In priori bellum ad remedia coactiva pertinet; in posteriori coactio fit ope imperii civilis.

§. 845. Permissio non est coactio intuitu ejus, cui aliquid permissum est. (§. 814.). Omissio itaque vel commissio ejus, quod nobis a lege stricta, tanquam cogente, permissum est, eidem non repugnat, & consequenter e genere licitorum est, (§. 861.), idque in foro externo. Illud itaque, *quod nobis permissum est a lege stricte dicta, licitum est.*

§. 846. Ea, quæ in præcedentibus de licito dicta sunt, etiam ad ea, quæ permissa dicuntur, applicanda veniunt. (§. 845.).

§. 847. Qui nos turbat in eo, quod nobis a lege, stricte dicta, permissum est, is nobis causam de injuria conquerendi & coactionis justificam subministrat (§. 846. 843.) Quæ cum a legibus stricte dictis dependeat; eædem cogunt alios, ne nos turbent in eo, quod nobis permissum est, seu, quod

quod eodem recidit, ut libertatem agendi vel non agendi nobis concedant. Qua ratione legibus stricte dictis seu cogentibus intuitu eorum, quæ permissa sunt, & præceptum & prohibitionem tribuere debemus (§ 811.). Hanc in rem GUNDLINGIUS in J N. §. 44. c. 1. his utitur verbis: *dum* PERMITTITUR, *ut aliquis agat hoc, aut istud agat, aut non agat; adest* PRÆCEPTUM, *ut omnes libertatem agenti indulgeant, simulatque* PROHIBITIO *intelligitur, ne quis agentem impediat, aut* ABSTINENTEM *cogat.*

§. 848. Licet itaque permissio non sit coactio (§. 814.), neque adeo is, cui aliquid a legibus stricte dictis permittitur, ab iis cogatur ad illud expediendum. omittendumve, eædem tamen leges sunt cogentes intuitu aliorum, qui vel nobis, agere volentibus, obicem ponere, vel nos, agere non volentes, ad agendum cogere non erubescunt.

§. 849. Unde patet, quod dentur *leges civiles permittentes*, quas nonnulli contradictionem involvere affirmarunt.

§. 850. Socius se refert ad hominem, ut genus inferius ad genus superius (§. 1.). Quicquid competit homini, id tribuendum etiam est socio. *Jus itaque naturale hominum singulorum etiam tribuendum venit eis, in societate viventibus.*

§. 851. *Jus sociale intuitu sociorum, inter se spectatorum,* est jus naturale singulorum, extra societatem spectatorum, applicatum ad socios, inter se spectatos (§. 850.).

§. 852. Hac ratione corroboratur *principium juris naturalis externi socialis*: Socius socio suum tribuat (§.754. E. 851.). Quod indicavi §. 39.

§. 853. Et cum societas integra considerari possit tanquam individuum humanum §. 17.); oriuntur etiam hæc duo principia: 1.) Societas integra sociis suis suum tribuat, 2.) Socius societati integræ suæ tribuat suum. Quam alteram propositionem indicavi § 38.

§. 854. Nec minus ex §. 754. E. 851. & 17. claræ sunt hæ propositiones: I 4 1.) So-

1.) Socius quibuscunque aliis hominibus, extra societatem suam viventibus, suum tribuat. 2.) Socius aliis societatibus earumque rectoribus suum tribuat.

§. 855. Genus inferius non repugnare generibus superioribus, patet ex Logicis. Quicquid itaque tribuitur generi inferiori, illud non contradicit generi superiori. *Jus itaque eis qui in civitate vivunt, observandum non potest repugnare juri naturali hominum singulorum* (§. 850.).

§. 856. Cives se habent ad socios, ut species ad genus. (§. 402. 1.) Quicquid competit sociis, in genere, id tribuendum etiam est civibus. *Jus* itaque *sociale* h. e. *sociis custodiendum, etiam applicandum est civibus.*

§. 857. *Jus civitatis intuitu civium, inter se spectatorum,* est jus sociale intuitu sociorum, inter se spectatorum, applicatum ad cives inter se spectatos. (§. 856.).

§. 858. Hoc pacto corroboratur *principium juris naturalis externi civilis, intuitu civium*: civis civi suum tribuat. (§. 857. 852.). Quod indicavi §. 552.

§. 859. Unde fluunt hæ propositiones:

1.) Cives imperantibus suum tribuant.

2.) Imperantes civibus subjectis suum tribuant.

§. 860. Nec minus, cum civitates sint societates (§.492.), ex §. 853 cooriuntur hæc principia:

1.) Civitas integra civibus suis suum tribuat.

2.) Civis civitati suæ integræ tribuat suum.

§. 861. Huc referas principia, quæ ex §§. 856. 854. concipiuntur.

1.) Civis quibuscunque aliis hominibus, extra civitatem suam viventibus, suum tribuat.

2.) Civis aliis societatibus & civitatibus, earumque rectoribus suum tribuat.

§. 862. Species non repugnare generibus, aliunde patet. Quicquid itaque tribuitur speciei, illud non contradicit generi. *Leges* itaque *civiles repugnare non possunt Legibus socialibus* (§. 856.).

§. 863.

§. 863. Jus civitatis intuitu civium, inter se spectatorum, est jus naturale singulorum, extra societatem spectatorum, applicatum ad cives, inter se spectatos (§. 857. 851.).

§. 864. Qui degunt in civitate, vivunt in societate (§. 492.). *Leges* itaque *civiles* (§. 732.) *non possunt contradicere legibus naturalibus hominum singulorum* (§. 855.). Non de legibus civilibus, quæ hinc inde in rebusp. singularibus deprehenderis, sed de iis loquimur, quæ dictamini rationis satisfaciunt. Hic non quæritur, quid factum sit vel fiat, sed quid fieri debuerit vel debeat. Dantur omnino in civitatibus singularibus leges, quarum nævos viri perspicaces sat graviter ostenderunt.

§. 865. Leges civiles, quæ cogentes sunt (§. 785.), non possunt repugnare legibus naturalibus cogentibus (§. 864.) Id quod etiam de reliquis legibus naturalibus intelligendum est. Hinc perfectio LL. civilium exigit, ne præcipiant aliquid, quod inhonestum, vel impium sit.

§. 866. In jure Justinianeo conspicimus tria præcepta juris generalia: honeste vivere; alterum non lædere: suum cuique tribuere. Reflectamus ad harum propositionum explicationem, quam dedit HUBERUS in prælect. ad Inst. de I. & I., & quam proposuit hisce verbis: *reliqua duo (præcepta) exprimunt officium hominis* IUSTI, *& si rem expendas, ferme eodem redeunt*. Conjungas hunc locum cum ejusdem autoris definitione justitiæ, proprie talis, quam in Schol. §. 39. citavimus, quamque ad custodiam τȣ̃ suum cuique restringit. Quod vero præceptum secundum & tertium ferme eodem redeant, ex nostro systemate perspicies. SUUM CUIQUE esse principium juris naturalis externi, & consequenter IUSTI, stricte sumti, ex §§. 754. 797. Exerc. manifestum est. Et cum adeo violatio τȣ̃ suum cuique sit violatio legis naturalis externæ seu justi, stricte dicti, & consequenter læsio perfecta (§. 765. E.); præceptum de altero non lædendo cum custodia τȣ̃ suum cuique indivulso nexu cohæret. Duo ita-

que illa præcepta ferme eodem redire cum *Hubero* affirmare possumus. Idem SUUM CUIQUE ad leges civiles, quæ cogentes sunt (§. 785.), applicari posse, §§. 857. seqq. commonstravimus. Sed eam ob causam præceptum primum adjectum esse existimant JCti, ut hoc ipso indicetur, LL. civiles repugnare non debere regulis honesti vid. HUBERI Prælect. loc. cit. Unde rerum inhonestarum nulla obligatio, nulla facultas, L. 57. π. pro socio.

§. 867. Societas & civitas integra singularis e. g. Romanorum, se refert ad societatem & civitatem integram, in nostra disciplina considerandam, ut individuum ad speciem. Quidquid tribuitur speciei, id etiam individuo applicandum. *LL.* itaque *sociales & civiles, in nostra disciplina evoluta & evolvenda applicanda veniunt ad societates & civitates integras singulares.*

§. 868. Socii & cives singulares e. g. Romani, se referunt ad socios & cives, in disciplina nostra considerandos, ut individua ad species. Quidquid tribuitur civibus, in nostra disciplina universaliori considerandis, id etiam tribuendum est civibus, in civitate aliqua individua viventibus. *Leges* itaque *sociales* & *civiles universales*, quas hic expendimus, *applicanda veniunt* ad *socios* & *cives singulares*, *h. e. in aliqua republica singulari viventes.*

§. 869. Cum individua involvant species & genera, ea speciebus & generibus repugnare non possunt. Patet hoc ex Logicis. Sic ea, quæ tribuuntur individuis non possunt repugnare eis, quæ tribuuntur speciebus & generibus. *Leges* itaque *sociales* & *civiles*, *civibus subjectis in aliqua republica individua*, *observanda repugnare non debent legibus socialibus & civilibus universalioribus*, *in nostra disciplina obviis.* Quarum posteriores *jus privatum universale*, priores vero *jus sociale universale* constituunt.

§. 870. Quod hactenus de legibus civilibus, quibus actiones subjectorum accommodandæ sunt, demonstravimus, id etiam de legibus generalibus, obligationes & jura impe-

imperantium complectentibus, & *jus publicum universale* appellari suetis, intelligendum est.

§. 871. Uti itaque jus privatum particulare juri privato universali (§. 869.), ita & jus publicum particulare juri publico universali repugnare non debet (§. 870.).

§. 872. Jus privatum particulare regulis honesti repugnare non debere, conditores legum Romanarum videntur agnovisse (§. 866.).

§. 873. Dari nexum inter individua, species & genera inferiora & superiora, ex Logicis & ex §. 73. Exerc. patet. Datur itaque etiam nexus inter jus publicum & privatum universale & jura publica & privata particularia (§. 869. 870.). Id quod applicandum ad systemata jurium.

§. 874. Imperium civile summum copulatum est cum jure ferendi leges, quibus cives subjecti refrenentur a lædenda civitate integra, a lædendisque civibus (§. 803. 513.) & consequenter eo adigantur, ut illi & civitati & civibus tribuant suum (§. 707. E.) & connatum & acquisitum (§ 749. E.), atque ut adeo principia, §§. 859. 860. commemorata, adimpleant, & jus naturale externum intuitu civium custodiant (§. 858.).

§. 875. Imperium civile summum est copulatnm cum jure ferendi leges, ne cives subjecti integræ civitati, aliisque civibus damna inferant, (§. 874. Spec. & 769. Ex.) & ut damna illata reparent (§. 996. Ex.).

§. 876. De juribus, cum jure ferendi leges civiles connexis, probe notandum, illa eô se extendere, quousque se extendit jus ferendi LL. Ad pacta, si quæ & quæcunque adsint, hic respiciendum. Conf. §§. 801. 802. 803.

§. 877. Quæ jura, copulata cum jure ferendi Leges civiles, §. 874. demonstravimus, ea soli imperio civili summo regulariter tribuenda veniunt (§. 799. 800.). Conf. §. 801.

§. 878. Imperium civile summum copulatum est cum jure

jure obligandi cives subjectos, ut ne lædant civitatem integram, a lædendisque civibus abstineant (§. 804. 513.), & consequenter suum & civitati & civibus tribuant (§. 707. E.), & principia, §§. 859. 860. commemorata, adimpleant, atque adeo principium juris naturalis externi intuitu civium custodiant (§. 858.).

§. 879. Imperium civile summum copulatum est cum jure obligandi cives subjectos, ut ne civitati integræ, aliisque concivibus damna inferant (§. 878. Spec. & 769. Ex.) & ut damna illata reparent (§. 996. E.).

§. 880. De hoc jure obligandi cives notandum, quæ §. 804. monuimus.

§. 881. Si civitas una concedere velit civibus suis libertatem impune lædendi cives alterius civitatis, hæc altera respublica etiam concedere posset suis civibus libertatem eandem impune lædendi civis illius civitatis (§. 905. Ex.). Hac ratione cives diversarum rerum publicarum nanciscerentur libertatem se iuvicem impune violandi. Quæ cum sit contra civitatum securitatem (§. 513.), ad cujus conservationem jus ferendi leges civiles tendit (§. 803.); imperium civile summum est copulatum cum jure ferendi leges, ut ne cives lædant cives alius reipublicæ (§. 732.), ut hisce suum tribuant (§. 707. E.), atque ut adeo jus naturale externum intuitu eorum custodiant (§. 754. E.).

§. 882. Eodem ferme modo demonstrare possumus jus ferendi LL., ut ne cives quibuscunque hominibus, extra civitatem viventibus, læsiones inferant, ut eis suum tribuant, atque ut adeo principia, §. 861. commemorata adimpleant & jus naturale externum intuitu eorum custodiant (§. 754. E.).

§. 883. Ex §. 805. patet, quo casu imperantes summi jure gaudeant mutandi leges naturales internas in leges cogentes intuitu exterorum.

§. 884. Cum hoc jure ferendi leges, §§. 881. 882. demonstrato, connexum est jus cogendi (§. 785.) subjectos, ne

ne cives alius civitatis, aliosque homines, extra civitatem viventes, lædant, ut eis suum tribuant, atque ut adeo principia, §. 861. commemorata adimpleant & jus naturale externum intuitu eorum custodiant.

§. 885. Huic juri imperantium respondet in subjectis civibus obligatio ad eorum præscriptum jus naturale externum intuitu exterorum custodiendi (§. 226).

§. 886. Hoc jus cogendi nemo in republica, nisi summus imperans, regulariter exercere potest (§. 800.).

§ 887. Jura imperii sunt imperantium propria (§ 628.) Solo consensu nostro pactitio, eodemque justo, τὸ nostrum in alios transfertur (§. 1349. E.). Ergo *jura imperii civilis summi, eorumque exercitium consensu solo imperantis pactitio, eodemque justo, in alios transferuntur.*

§. 888. Jus cogendi cives, qua subjectos, est jus imperii civilis summi (§. 729.). Jura imperii civilis summi eorumque exercitium solo consensu imperantis pactitio, eodemque justo, in alios transferuntur (§. 887.); *Jus itaque cogendi cives, qua subjectos, ejusque exercitium solo consensu imperantis pactitio, eoque justo, in alios transfertur.*

§. 889. Quicunque absque magistratus summi consensu in sinu civitatis sibi arrogat jus cogendi alios, idque in statu regulari, is utitur jure alterius, in se non translato (§. 888.), & consequenter τὸ suum imperantis summi violat (§. 1352. E.), & illum perfecte lædit (§. 767. E.), eique subministrat causam cogendi & belli justificam (§. 261. 262.).

§. 890. Ponas, quod civitas, quæ soli sibi jus cogendi subjectos vindicare velit (§. 886.), non sit obligata ad cogendos cives suos, ne exteris injuriam infligant, vel ut damnum, eis illatum, reparent; exteri jure gauderent, cogendi cives, vel ut damna reparent, vel ut ab injuria, de qua inferenda meditantur, abstineant (§. 1079. 1081. E.) Sed hac ratione civitas, vel ejus imperans non solus gauderet jure cogendi cives suos. Quod cum sit sub hac hypothesi

pothesi absurdum; *civitas ejusve rectores sub eadem conditione obligantur ad cogendos cives suos ut reparent damna, exteris illata, vel ut ab illis lædendis abstineant.*

§. 891. Jus civitatis, ejusve imperantium ad obtentionem boni publici (§. 593.), & consequenter ad procurandam securitatem civium a læsionibus (§. 486. 513.) contendit. Ergo imperantes summi jure gaudent eo allaborandi, ne cives sui a civitatibus aliis, earumve civibus violentur, & ut, si læsi fuerint, ipsis damnum resarciatur a lædentibus. Cum eodem jure copulatum est jure cogendi lædentes ad damnorum resarcitionem (§. 775. E.), quod prius non cessat, quam reparatio detrimenti subsecuta fuerit (§. 1079. E.). Si imperans summus, cui soli jus cogendi cives nocentes competit (§. 886.), & cui illud citra injuriam auferri non potest, velit & possit cogere civem suum nocentem ad resarcitionem damni; cessat finis, ad cujus obtententionem imperanti civis læsi jus cogendi competit, & consequenter ipsum illud jus exspirat. Sed si imperantes summi sibi solis vindicare velint jus cogendi cives suos, & simul nolint, cum tamen possint, exercere jus cogendi cives suos ad satisfactionem, alterius imperantis civibus debitam; hoc casu finis, ad quem obtinendum principi civium læsorum jus cogendi competit, adhuc durat, quo durante jus compellendi lædentem ad satisfactionem durare debet. Eodem itaque casu competeret principi extero jus cogendi cives, sibi non subjectos, & qui suis civibus nocuerunt, ad satisfactionem, & consequenter non soli principi summo competeret jus cives suos nocentes ad satisfactionem præstandam adigendi. Quod cum sub nostra hypothesi sit contradictorium; nova vice patet, *imperantes summos obligari compellere cives suos, ut civibus alius reipublicæ intuitu læsionum satisfiat.*

§. 892. Si civitas, ejusve rectores nolint adigere cives ad fugiendas læsiones, exteris inferendas, vel ad resarcitionem damnorum, eis datorum; illi agunt contra obliga-

gatio-

gationem naturalem (§. 890. 891.), & consequenter exteros lædunt perfecte (§. 764. E.), eisque, eorumve civitatibus, causam disceptationis & belli justificam suppeditant (§. 1092. E.). Utemur hac propositione inferius in jure repressaliandi.

§. 893. Sat perspicue, arbitror, ex hactenus dictis cognovimus, legem & obligationem civilem in genere contendere ad custodiam juris Naturalis civibus inculcandam, intuitu & civitatis & civium, & aliarum rerumpublicarum, earumque civium & quorumcunque aliorum hominum (§. 874. 878. 879. 881. 882. 884. 885. 890. 891.).

§. 894. Obligatio civilis est nexus malorum, ab arbitrio imperantis dependentium, cum actionibus civium (§. 745.), idque ad custodiam juris naturalis & externi & interdum interni (§. 893. 883. 805.).

§. 895. Datur obligatio naturalis interna, quæ ad cultum amoris erga alios contendit (§. 737. E.). Cui si sponte satisfacerent homines, non opus esset usu coactionis, neque adeo obligatione externa (§. 734. E.), vel naturali, quæ in statu congenere obtinet, vel civili, quæ solo nexu malorum, ab arbitrio imperantis dependentium consistit (§. 745.). Unde patet, quod *obligatio externa & naturalis & civilis sit subsidiaria*, qua quippe utraque homines, quos natura & ratio in officio continere non potest, compescantur, & qua iidem eo saltim adigantur, ut eam partem juris Naturalis, in genere sumti (§. 351.) adimpleant, quæ ad necessariam societatis humanæ conservationem comparata est.

§. 896. Ex quorum hominum actionibus vera & solida virtus (§. 851. E.), cultus rationis (§. 699. 816. 825. E.), studium pietatis (§. 846. E.), verum decus (§. 860. E.), justitia interna (§. 798. 801. E.) elucet, illi flagrant amore erga alios, eorumque perfectiones & felicitatem omni nisu amplificare contendunt. Iidem itaque complectuntur inten-

intensiori amore erga rempublicam, ejusque principes summos, cives, nec minus alias civitates, earumque membra. Iidem in statu & naturali & civili SUUM CUIQUE religiosissime & minus coacte custodiunt, quæ custodia est infimus honestatis & virtutis gradus (§. 1001. E.). Ad ejusmodi itaque homines, in officio suo continendos, coactione nec naturali, quæ in statu congenere locum habet, nec civili, & ex consequenti nulla obligatione externa, nec naturali, nec civili opus est.

§. 897. Nec minus facile patet, quod ad homines, sub eadem determinatione consideratos, in officio suo continendos, nec vi (coactiva), nec imperio, qua cogente, nec metu, nec pœnis aliisve rebus similibus, opus non sit. Vel hisce omnibus sublatis, *oderunt peccare boni, virtutis amore.* Sola directio, sola vis, quæ directiva, solum imperium, quod dirigens nonnullis dicitur, ejusmodi hominibus flectendis sufficeret.

§. 898. Vi legis appetitus (§. 175. E.), voluntas hominis vel bonis vel malis flecti potest ad custodiam legum. Quos itaque bona virtutum consectaria ad cultum honestæ vitæ non commovent, illi alio modo ad observationem legum determinari non possunt, nisi repræsentatione malorum, nisi metu (§. 314. E.), nisi coactione eventuali (§. 583. E.), nisi pœnis proportionatis (§. 362. E.), nisi vi & imperio, stricte sumto (§. 896. E.), nisi obligatione externa (§. 734. E), naturali vel civili. Hi sunt illi, qui peccare oderunt malorum & pœnarum formidine.

§. 899. Annotemus hic unam ex gravissimis causis, ob quas *leges civiles*, quæ cogentes sunt (§. 785.), *necessariæ* fuerint in rebuspublicis. Huc accedit, quod plures dentur, qui non intelligunt jus naturale externum, ob cujus ignorationem illi inepti sunt ad custodiam τῦ SUUM CUIQUE & ad evitandas læsiones, ad cultumque societatis humanæ. Ex inferius dicendis plures causas necessitatis LL. civilium perspiciemus.

§. 900.

§. 900. Tollas motivum, cum actione copulatum, tolles obligationem (§. 300. E.). Id quod etiam de mutatione obligationis intelligendum est.

§. 901. Quamdiu motivum, cum actione connexum, non tollitur, tamdiu non mutatur seu tollitur obligatio (§ 300. E.).

§. 902. *Obligatio*, cujus motivum non tollit motivum, quod deprehenditur in alia obligatione, hanc *obligationem non mutat seu tollit*, (§. 901.).

§. 903. Obligatio ad essentialia legis pertinet (§. 346 E.). *Obligatio* itaque *a lege separari non potest*. Id quod ex doctrina de essentialibus patebit.

§. 904. Si tribuatur normæ cuidam obligatio, *oritur lex*. Si tollatur obligatio a lege, *lex tollitur* (§ 903.), idque vel *in totum* vel *in tantum*, prout obligatio vel in totum, vel in tantum tollitur.

§. 905. Si tribuatur normæ cuidam obligatio civilis, *oritur lex civilis*. Si legis naturalis obligatio naturalis tollatur, *lex naturalis tollitur*. Si legis civilis obligatio civilis tollatur, *lex civilis tollitur*. (§. 904.).

§. 906. Si tribuatur normæ cuidam coactio civilis, oritur lex civilis. (§. 925. 783.).

§. 907. Si tribuatur legi naturali coactio civilis, *lex naturalis fit simul civilis*. (§. 906.). Hoc casu obligationi naturali accedit obligatio civilis, quæ nova est & subsidiaria. (§. 895.).

§. 908. Cui normæ obligatio civilis non tribuitur, ea pro lege civili non habetur (§. 905.). Id quod etiam valebit de norma, cui coactio civilis non tribuitur (§. 783.).

§. 909. Lex naturalis non tollitur, cujus obligatio naturalis non tollitur (§. 905.).

§. 910. Si obligatio legis tollatur, *lex* nonnullis *mutata* dicitur. Hinc *mutatio legis* a quibusdam vel *totalis* vel *partialis* pronuntiatur, prout obligatio, legi inhærens, vel omnimode, vel saltem ex parte tollitur.

§. 911. *Lex legem tollit*, si illa hujus obligationem

tollat. (§. 904.). Id quod etiam de lege, legem aliam mutante intelligendum. (§. 910.). Quando lex legem vel omnimode, vel ex parte tollat vel mutet, facile patet ex §§. cit.

§. 912. Si illud idem, quod affirmatur in una lege, ab alia negetur, *lex legi contradicere* dicitur. (§. 37. E.). Contradictoria actum simul nancisci non possunt. Unde *contradictio legum* oritur, si unius observatio ita fuerit comparata, ut altera simul observari nequeat. Sit e. gr. lex: ne furtum committas; sit alia lex: committas furtum. Hæ duæ leges repugnant sibi invicem.

§. 913. Illud, quod affirmatur in una lege, ab alia negatur vel in totum, vel ex parte. Hinc *lex legi contradicere potest vel in totum vel ex parte*. Hac ratione *contradictio legum vel totalis* vel *partialis* est. (§. 912.).

§. 914. LL. sunt propositiones obligatoriæ. (§. 348. E.). Et cum propositiones sint affirmativæ, vel negativæ; leges in *affirmantes* & *negantes* dispescuntur, quarum priores actum commissivum, posteriores omissivum pro objecto habent. Damna data repares, est lex affirmans; Non inferas aliis damna, est lex negans.

§. 915. In lege negante deprehendimus obligationem negativam, in affirmante affirmativam. (§. 320. E. 814. Spec.).

§. 916. Lex affirmans contradicit neganti, & v. v. (§. 914. 912.). Id quod etiam de obligatione affirmativa & negativa intelligendum. (§. 320. E. 912.).

§. 917. Ex legibus, sibi invicem contradicentibus, altera debet esse affirmativa, altera vero negativa. (§. 912.).

§. 918. Obligatio affirmativa est nexus motivi cum actione commissiva, negativa est nexus motivi cum actione omissiva. (§. 320. E.). Actio commissiva seu expedienda requirit mentis nisum seu conatum efficiendi, ut actio existentiam nanciscatur; actus omissivus præponit mentis renisum, eo contendentem, ut ne actio existentiam indipisca-

dipiscatur. (§. 505. 508. E.) Obligatio itaque affirmativa eo tendit, ut nisus, negativa vero, ut renisus oriatur in mente hominis obligandi. Nisus requirit directionem vis, in anima nostra obviæ (§. 248 E.), contrariam ejusdem vis directioni, quam exigit renisus. (§. 235. 234.). Unde patet, quod nisus & renisus in mente simul locum habere non possint. Nisus itaque mentis tollit ejus renisum simultaneum, & v. v. *Obligatio* itaque *affirmativa* tollit *negativam simultaneam*, & v. v.

§. 919. Propositionem præviam etiam sic demonstramus: obligatio affirmativa pro objecto habet actum commissivum, h. e. existentiam actus, negativa actum omissivum h. e. non existentiam illius. (§. 320.). Existentia actus, & consequenter actus commissivus tollit illius non-existentiam seu actum omissivum, & v. v. per principium contradictionis. *Obligatio itaque affirmativa tollit negativam, & v. v.*

§. 920. *Altera ex LL., sibi contradicentibus, alteram tollit.* Nam legum, sibi contradicentium, altera est affirmativa, altera vero negativa. (§ 917.). In lege negante deprehendimus obligationem negativam, in affirmante affirmativam (§. 915.); legum ergo sibi contradicentium altera continet obligationem affirmativam, altera vero negativam. Sed obligatio affirmativa tollit negativam, & v. v. (§. 918. 919.; altera itaque ex LL., sibi contradicentibus, alteram tollit.

§. 921. Cum tollere legem significet tollere ejus obligationem (§. 904.), huic definitioni, quæ conformis est usui loquendi, in prævia demonstratione inhærendum & evincendum fuit, alteram ex legibus, sibi repugnantibus, tollere alterius obligationem.

§. 922. Tollere legem in totum, eam *abrogare*, tollere legem in tantum, *ei derogare* dicitur. Hinc ABROGATIO LEGIS est mutatio illius totalis, DEROGATIO ejus est mutatio illius partialis, si significatum, § 910.

indicatum, sequi velimus, & §. 904. simul ponderemus.

§. 923. Si tollatur omnis prorsus obligatio legis, ea abrogari; si pars obligationis legis tollatur, ei derogari dicitur. (§. 922. 904.).

§. 924. Abrogatur lex civilis, si ejus omnis prorsus obligatio civilis tollatur (§. 923.). Sed cum obligatio civilis sola coactione absolvatur (§. 783.); abrogatur lex civilis si ejus vis coactiva prorsus omnis tollatur.

§. 925. Derogatur legi civili, si pars obligationis civilis, ei alias inhaerentis, (§. 923.), & consequenter coactionis civilis (§ 783.) tollatur.

§. 926. Obligatio civilis ab arbitrio imperantium (§ 745.), eodemque solo (§. 800.) dependet.

§. 927. Illi soli, in quibus residet imperium civile summum, sunt fons omnis obligationis civilis (§. 800.). Sed & obligatio civilis ab eorundem arbitrio dependet (§. 745.); sola itaque voluntas summorum imperantium est causa obligationis civilis.

§ 928. Sola voluntas summorum imperantium est causa legislationis civilis (§. 927. 732.).

§. 929. Sola voluntas summorum imperantium est causa sanctionum poenalium (§ 927. 781.).

§. 930. Existente, durante vel mutata sola voluntate summorum imperantium, existit, durat vel mutatur seu tollitur obligatio civilis. (§. 927.). Id quod etiam de lege & poena congenere est statuendum (§. 928. 929.).

§. 931. Mutata sola voluntate summorum imperantium, tollitur obligatio civilis (§. 930.), & consequenter lex congener. (§. 921.). A sola itaque mutatione voluntatis summorum imperantium derivanda venit abrogatio vel derogatio legis civilis (§. 922.).

§. 932. Nemo praeter summos imperantes in republica gaudet jure abrogandi leges civiles, eisve derogandi. (§. 931.).

§. 933.

§. 933. De voluntate summorum imperantium nobis sermo est. Quousque itaque patet exercitium imperii translati, eousque etiam se extendit voluntas imperantium. Voluntas itaque eorundem eousque patet, quousque porrigitur pactum inter imperantes & populum respectu boni publici promovendi. (§. 625.).

§. 934. Imperantium voluntas abrogandi leges, eisve derogàndi eousque patet, quousqne porrigitur pactum inter imperantes & populum subjectum intuitu boni publici promovendi (§. 933.).

§. 935. Hinc imperantium voluntas in regnis limitatis tam late non patet, quam in absolutis.

§. 936. Leges civiles sunt vel præceptivæ, vel prohibentes, vel permittentes (§. 811. 849.). Quæcunque ex hisce tollatur, ea semper mutabitur in aliam legem, sub una ex illis tribus speciebus comprehensam; id quod facile est ad judicandum. *Qui* itaque *abrogat legem. vel eidem derogat, is fert legem novam* (§. 922.).

§. 937. Jus abrogandi legem vel ei derogandi præsupponit jus ferendi leges (§. 956.).

§. 938. Quicquid juris est in legislatione civili, id etiam juris est in abrog atione vel derogatione earundem, (§. 937).

§. 939. Qui jus ferendi leges in republica non habet, is etiam nullo jure gaudet abrogandi leges civiles, nec eisdem derogandi (§. 936.).

§. 940. Soli imperantes summi in republica jure gaudent abrogandi leges civiles (§. 937. 800.. Hæc sit altera demonstratio propositionis, §. 931. evictæ.

§. 941. Quousque patet jus ferendi leges, eousque etiam porrigitur jus eas abrogandi, eisve derogandi (§. 936.). Si §. 803. contuleris, habebis propositionem, §. 934. jamjam demonstratam.

§. 942. Ponas leges civiles, jamjam latas, quæ existentiæ boni publici, juxta pactum promovendi, vel omni,

vel aliqua saltem ratione repugnant, illæ sunt impedimenta boni publici, sub determinatione præposita obtinendi. (§. 516. E.). Qui habet jus ad finem, etiam jure gaudet removendi impedimenta (§. 601.). Enimvero cum illi, in quorum sinu residet imperium civile summum, jus habeant promovendi bonum publicum, idque juxta conventionem datam (§. 526. 571); iidem etiam vi pacti jure gaudent tollendi leges civiles, bono publico vel omni, vel aliqua ratione repugnantes, & consequenter eas vel abrogandi vel eisdem derogandi (§. 922.).

§. 943. Modus abrogandi leges civiles, vel eisdem derogandi est modus legislationis civilis (§. 937.), & consequenter justus est, de quo inter socios civitatis conventum est (§. 58..).

§. 944. Si illud idem, quod affirmatur in una lege, ab altera minus negetur, lex legi non repugnat (§. 912.). Nec ulla repugnantia duarum legum oritur, si unius observatio ita fuerit comparata, ut altera simul observari possit. (§. cit.). Sit. e. g. lex naturalis interna: usuras a pauperculo non sumas; sit alia lex civilis permittens: Liceat sumere usuras determinatas a quocunque. Stante lege posteriori permittente, civis, veræ virtutis cultor, priorem legem religiose custodire potest. Sed & hac ratione lex posterior permittens non contradicit priori. Porro sint leges: Ne sis ἄγαμος; sis ἄγαμος; liceat esse ἄγαμον. Stante prima lege, removetur altera, & consequenter duæ priores leges sibi repugnant. Sed cum in tertia non negetur, quod affirmatur in prima, nec affirmetur, quod negatur in altera; lex tertia permittens neutri duarum contradicit.

§. 945. Quæ legibus naturalibus stricte dictis non repugnant, ea licita sunt in foro externo naturali (§. 866. E.). Actiones, quæ non conjunctæ sunt cum violatione τοῦ suum cuique, non repugnant LL. naturalibus stricte dictis (754. 755. E)., actiones ergo, quæ non conjunctæ sunt cum violatio-

violatione τῦ suum cuique, nec consequenter cum læsione alterius (§. 767. E.), licitæ sunt in foro externo naturali.

§. 946. Cum eo, quod licitum est, copulatum est jus (§. 833.). Hinc jure gaudet civitas, ejusve imperans agendi hoc vel alio modo, dummodo actiones non tendant in præjudicium alterius (§. 945.).

§. 947. Id, ad quod nobis jus competit, dicitur nostrum (§. 980. E.). Unde patet, quod cum GROTIO actiones proprias ad SUUM recte referantur (§. 946.).

§. 948. Declaratio & mutatio voluntatis sunt actiones. Hinc civitas, ejusve imperantes jure gaudent declarandi, mutandique voluntatem suam in infinitum, dummodo id fiat sine læsione alterius (§. 946.).

§. 949. A sola declaratione voluntatis summorum imperantium derivanda venit legislatio civilis (§. 928.) Enimvero civitas, ejusve imperantes in statu naturali jure gaudent declarandi voluntatem suam, dummodo id fiat sine injuria aliorum (§. 948.); *civitati itaque, ejusve imperantibus summis jus competit ferendi leges civiles in infinitum, dummodo id fiat sine injuria aliorum.*

§. 950. A sola mutatione voluntatis summorum imperantium, derivanda venit abrogatio vel derogatio legum civilium. (§. 951.). Enimvero civitas, ejusve imperantes summi in statu naturali jure gaudent mutandi voluntatem suam in infinitum, dummodo id fiat sine injuria aliorum (§. 948.); *civitas* itaque, *ejusve imperantes summi jure gaudent abrogandi leges civiles, jamjam latas, eisve derogandi in infinitum, dummodo id fiat sine injuria aliorum.*

§. 951. Notioni læsionum & injuriarum determinatæ hic inhærendum erit. Distinguendæ sunt præcipue heic loci læsiones veræ ab iis, quæ non nisi improprie tales sunt.

§. 952. Populum nullo jure gaudere condendi vel abrogandi leges civiles in præjudicium aliorum populorum, patet ex §§ 949. 950.

§. 953. Sed & idem alia ratione demonstrari potest. *Civitas* cuique alii civitati, ejusque civibus suum tribuere (§. 548.), & consequenter non nisi *ejusmodi leges ferre obligatur, quibus & intuitu aliarum civitatum τὸ suum cuique custodiatur, & quibus eisdem nulla fiat injuria.* (§. 767. E.).

§. 954. Si itaque populus unus jus conderet vel abrogaret in aliarum civitatum fraudem seu præjudicium, is contra obligationem naturalem perfectam (§. 953.), & consequenter contra legem naturalem cogentem (§.761.E), atque adeo sine jure ageret (§. 772. E.). *Populus itaque jure non gaudet condendi vel abrogandi leges in fraudem aliorum populorum valituras.* FRAUS denotat dolum malum, qui conjunctus est cum violatione τοῦ suum cuique, (§. 1157. E.), & consequenter cum læsione perfecta (§. 767. E.) Per PRAEIUDICIUM intelligitur damnum & iactura. L. 1, §. 11. ff. de agnoscend. & alend. lib. Hinc præjudicium est coniunctum cum læsione alterius (§. 769. E.). Sic si populus ferret leges publicas vel privatas, e. gr. de non tolerando exercitio religionis quorundam dissentientium, quibus directe, vel indirecte, violarentur pacta, cum aliis populis inita; illæ ob infractionem pacti, quæ læsio est perfecta (§. 1315. E.), in præjudicium vel fraudem populorum compaciscentium conderentur. Sed si ejusmodi leges, e gr. de non exportando frumento, de non utendo panno, ab exteris confecto, nullis pactionibus expressis vel tacitis, cum aliis populis celebratis adversentur; illæ in horum præjudicium vel fraudem sancitæ existimari non possunt, cum nulla adsit læsio ob deficientem pacti violationem.

§. 955. Legumlatio, earumque abrogatio, conjuncta cum præjudicio aliorum populorum, est læsio perfecta (§. 954. 215.), & causa disceptationis & belli justifica. (§. 262.).

§. 956. Civitas independens non obligatur reddere rationes actionum suarum, nisi DEO & conscientiæ (§. 442.

97.). Id quod applicandum ad legislationem civilem. Nec minus §. 595. huc applicari potest.

§. 957. Ad quas leges abrogandas vel non tollendas populus ab aliis populis cogi non possit, ex §§. 949. 950. facile perspicitur. Nec minus inde patet, quibus casibus ejusmodi coactio sit injusta.

§. 958. Si jura alicujus civitatis non nisi officiis humanitatis, aliis civitatibus, eorumque civibus ex dictamine rationis exhibendis, repugnent; hisce nullam inde subnasci injuriam, nullumque damnum, patet ex §. 771. E.

§. 959. Vi §. 803 jus ferendi leges civiles, vel praeceptivas, vel prohibitivas (§. 811.), vel permissivas (§. 849.), tendit ad promovendam securitatem & salutem publicam, idque vi pacti.

§. 960. Si dentur leges permissivae, quibus pro ratione temporis & subjectorum indolis, aliarumque circumstantiarum, magis conservatur securitas & salus publica, quam id quidem fieri possit legibus prohibitivis vel praeceptivis; illae hisce praeferendae sunt (§. 959. Spec. & 331. Ex.).

§. 961. Idem multo magis locum habere debet, si legibus permissivis evitetur malum majus, quod a legibus prohibitivis alias metuendum sit (§. 332. 337. E.), vel si lege prohibitiva impediatur bonum praestantius, quod, posita lege permissiva, nimium quantum obtineatur & amplificetur.

§. 962. Si imperantes cognoscant, coactionem civilem, quam legibus quibusdam naturalibus, alias cogentibus, superaddere velint, progeneraturam esse litigia & incommoda infinita, quibus securitas & salus publica nimium quantum interturbaretur; illi obligantur omnino abstinere ab ejusmodi coactione civili, & actionibus, legi ejusmodi naturali cogenti repugnantibus, impunitatem indulgere (§. 579. 362.), qua quippe mala longe acerbiora evitari possint. Ejusmodi abstinentia a coactione civili, ejusmodi impunitas justa est (§. 588. 596.), in foro ex-

§. 953. Sed & idem alia ratione demonstrari potest. *Civitas* cuique alii civitati, ejusque civibus suum tribuere (§. 548.), & consequenter non nisi *ejusmodi leges ferre obligatur, quibus & intuitu aliarum civitatum τὸ suum cuique custodiatur, & quibus eisdem nulla fiat injuria.* (§. 767. E.).

§. 954. Si itaque populus unus jus conderet vel abrogaret in aliarum civitatum fraudem seu præjudicium, is contra obligationem naturalem perfectam (§. 953.), & consequenter contra legem naturalem cogentem (§. 761. E), atque adeo sine jure ageret (§. 772. E.). *Populus itaque jure non gaudet condendi vel abrogandi leges in fraudem aliorum populorum valituras.* FRAVS denotat dolum malum, qui conjunctus est cum violatione τοῦ suum cuique, (§. 1157. E.), & consequenter cum læsione perfecta (§. 767. E.) Per PRAEIVDICIVM intelligitur damnum & jactura. L. 1, §. 11. ff. de agnoscend. & alend. lib. Hinc præjudicium est conjunctum cum læsione alterius (§. 769. E.). Sic si populus ferret leges publicas vel privatas, e. gr. de non tolerando exercitio religionis quorundam dissentientium, quibus directe, vel indirecte, violarentur pacta, cum aliis populis inita; illæ ob infractionem pacti, quæ læsio est perfecta (§. 1515. E.), in præjudicium vel fraudem populorum compaciscentium conderentur. Sed si ejusmodi leges, e gr. de non exportando frumento, de non utendo panno, ab exteris confecto, nullis pactionibus expressis vel tacitis, cum aliis populis celebratis adversentur; illæ in horum præjudicium vel fraudem sancitæ existimari non possunt, cum nulla adsit læsio ob deficientem pacti violationem.

§. 955. Legumlatio, earumque abrogatio, conjuncta cum præjudicio aliorum populorum, est læsio perfecta (§. 954. 215.), & causa disceptationis & belli justifica. (§. 262.).

§ 956. Civitas independens non obligatur reddere rationes actionum suarum, nisi DEO & conscientiæ (§. 442.

97.). Id quod applicandum ad legislationem civilem. Nec minus §. 595. huc applicari potest.

§. 957. Ad quas leges abrogandas vel non tollendas populus ab aliis populis cogi non possit, ex §§. 949. 950. facile perspicitur. Nec minus inde patet, quibus casibus ejusmodi coactio sit injusta.

§. 958. Si jura alicujus civitatis non nisi officiis humanitatis, aliis civitatibus, eorumque civibus ex dictamine rationis exhibendis, repugnent; hisce nullam inde subnasci injuriam, nullumque damnum, patet ex §. 771. E.

§. 959. Vi §. 803 jus ferendi leges civiles, vel praeceptivas, vel prohibitivas (§. 811.), vel permissivas (§. 849.), tendit ad promovendam securitatem & salutem publicam, idque vi pacti.

§. 960. Si dentur leges permissivae, quibus pro ratione temporis & subjectorum indolis, aliarumque circumstantiarum, magis conservatur securitas & salus publica, quam id quidem fieri possit legibus prohibitivis vel praeceptivis; illae hisce praeferendae sunt (§. 959. Spec. & 331. Ex.).

§. 961. Idem multo magis locum habere debet, si legibus permissivis evitetur malum majus, quod a legibus prohibitivis alias metuendum sit (§. 332. 337. E.), vel si lege prohibitiva impediatur bonum praestantius, quod, posita lege permissiva, nimium quantum obtineatur & amplificetur.

§. 962. Si imperantes cognoscant, coactionem civilem, quam legibus quibusdam naturalibus, alias cogentibus, superaddere velint, progeneraturam esse litigia & incommoda infinita, quibus securitas & salus publica nimium quantum interturbaretur; illi obligantur omnino abstinere ab ejusmodi coactione civili, & actionibus, legi ejusmodi naturali cogenti repugnantibus, impunitatem indulgere (§. 579. 362.), qua quippe mala longe acerbiora evitari possint. Ejusmodi abstinentia a coactione civili, ejusmodi impunitas justa est (§. 588. 596.), in foro ex-

terno. Nec minus evinci potest ex §. 332. E., quod natura, ratio (§. 358. E.) & ipse DEUS (§. 359. E.) eandem impunitatem inculcet.

§. 963. Idem etiam affirmandum est, de impunitate actionum quarundam, regulis honesti & amoris naturalibus alias repugnantium.

§. 964. Quod permittitur in republica, illud vel juri naturali conveniens est, vel minus, atque adeo vel bonum est vel malum (§. 412. E.).

§. 965. Si quis alteri aliquid permiserit, illud vel approbat, vel reprobat, vel de ejus moralitate judicium suspendit (§. 814. Spec. & 501. E.), atque adeo de permittente non statim affirmare possum, eum approbare id, quod permissum est, cum fieri possit, ut is illud mente improbet, vel de ejusdem moralitate judicium suspendat ob defectum cognitionis. Hæc applicari possunt ad imperantes, aliquid permittentes in republica.

§. 966. Lex præcipiens actionem repugnat legi, eandem prohibenti, & v. v. (§. 912. 811.).

§. 967. Leges civiles, præcipientes actionem, repugnant legibus naturalibus, eandem prohibentibus, & v. v. (§. 966.).

§. 968. Obligatio civilis nihil aliud est, quam nexus malorum, ab arbitrio imperantis pendentium, cum actionibus civium (§. 745.). Repræsentatio itaque malorum, ab arbitrio imperantis pendentium, copulata cum actionibus civium est solum motivum civile (§. 170. E.).

§. 969. Quibus casibus nulla datur repræsentatio malorum, ab arbitrio imperantis pendentium, copulata cum actionibus civium, ibi nullum datur motivum civile (§. 968.).

§. 970. Permissio non est coactio intuitu ejus, cui aliquid permittitur (§. 814.), nec ex consequenti ulla connexio mali cum actionibus ejusdem (§. 579. E.). Leges ergo civiles permissivæ nullam continent repræsentationem

nem malorum, ab arbitrio imperantis pendentium, copulatam cum actionibus civium subjectorum, quibus aliquid permittitur. Unde patet, quod eædem leges plane nullum contineat motivum civile respectu eorundem subjectorum (§. 969.), & ex consequenti non tollant motivum naturale, quod leges naturales prohibentes ea, quæ a legibus civilibus permissa sunt, complectuntur. Unde consequitur, ut *leges civiles permittentes aliquid, quod a legibus naturalibus prohibetur, non tollant obligationem earum naturalem* (§. 901.), neque adeo leges naturales ipsas. (§. 909.).

§. 971. Eodem modo demonstrari potest, leges civiles permittentes non tollere leges naturales præcipientes id, quod ab illis permissum est.

§. 972. Leges civiles permittentes non tollunt, neque adeo (§. 922.) abrogant leges naturales, quibus id, quod civiliter licitum est, vel præcipitur vel vetatur (§. 970. 971.).

§. 973. Sic si in bellis vitia tolerentur, ob id non tolluntur, neque adeo abrogantur leges naturales, quibus vitia prohibentur.

§. 974. Si lex naturalis, quæ hactenus stipata fuit pœna civili, ab eadem liberetur; lex naturalis desinit quidem esse civilis (§. 790.), sed ob id qua naturalis non tollitur (§. 970. 971.), neque adeo abrogatur (§. 972.).

§. 975. Nec minus clarum est, quod, si leges civiles non assistant quibusdam legibus naturalibus, easque sanctione pœnali non muniant, hae non tollantur.

§. 976. Contingere potest, ut liceant in statu civili, quæ non decent in sphæra juris naturalis interni (§. 867. E. 816. 962. 963.). Nec minus patet, id, quod civiliter licitum est, esse posse illicitum in foro interno.

§. 977. Sic vi §. 976. perferre debemus in statu civili, si quis violet justitiam internam (§. 867. 798. E.), cujus tamen cultus ad actionum decus respicit (§. 860. E.). Hinc

Hinc quædam in foro civili injusta non sunt, & tamen cum charitate pugnat.

§. 978. Sola voluntas summorum imperantium est causa legislationis (§. 928.). *Declaratur voluntas* vel verbis, vel factis, h. e., *vel expresse*, *vel tacite*. Ad posteriorem voluntatis declarationem ejusmodi facta requiruntur, a quibus ad voluntatem alterius secure concludere possimus, idque obnexum, qui factis ejusmodi cum voluntate alterius intercedit. Unde patet, quod dentur leges civiles, quæ vel expressa, vel tacita voluntate imperantium nituntur. Illæ vocantur *LL. scriptæ*, hæ vero *non scriptæ*.

§. 979. Habitus agendi ex determinatione præterita dicitur *consuetudo agendi* (§. 213. E.). Quæ adeo est promtitudo agendi acquisita crebriori actuum homogeneorum repetitione (§. 212. E.). Quinam sint actus homogenei, §. 209. E. docuimus.

§. 980. Ad actus habituales (§. 212. E.) & consequenter consuetudinarios requiritur crebrior & continua actuum homogeneorum seu uniformium reiteratio, atque adeo certus temporis tractus seu tempus sat diuturnum.

§. 981. In *imitatione* deprehendimus conatum efficiendi, ut aliis similes existamus. Hinc in imitatore & eo, quem is imitatur, conspicimus actus homogeneos seu similes. Unde patet, quod in consuetudine, quam plures sectantur, alii alios regulariter imitentur (§. 979.).

§. 982. Actus consuetudinarii dicuntur *mores*.

§. 983. Ad mores plurium (§. 982.) prævia actuum homogeneorum reiteratio crebrior & continua (§. 979.), tempus sat diuturnum (§. 980.) & imitatio (§. 981.) requiritur.

§. 984. In actibus consuetudinariis (§. 979.) deprehendimus normam agendi (§. 344. E.).

§. 985. Voluntas ex approbatione, noluntas ex reprobatione alicujus rei vel actionis oritur (§. 167. 501. E.). Hinc

Hinc si quis aliquam actionem approbaverit, ad ejus voluntatem, & si quis eandem reprobaverit, ad illius noluntatem inde secure concludimus.

§. 986. Durante vel evanescente approbatione alicujus actionis, durat vel evanescit voluntas. Id quod etiam de noluntate durante vel evanescente intelligendum, prout duret vel evanescat reprobatio actionis.

§. 987. Aliquis approbare vel reprobare potest aliquam actionem vel verbis vel factis. Hinc & *approbatio* & *reprobatio* vel *expressa* vel *tacita* esse potest. Conf. §. 978.

§. 988. Ab approbatione expressa ad voluntatem expressam, & ab approbatione tacita ad voluntatem tacitam, nec minus ab improbatione expressa ad noluntatem expressam & ab improbatione tacita ad noluntatem tacitam secure concludimus (§. 985. 987.).

§. 989. Si dentur facta imperantium summorum, unde ad eorum approbationem crebrioris actuum similium repetitionis, in subjectis deprehensæ, secure concludere possimus, exinde etiam ad eorum voluntatem tacitam intuitu consuetudinis valituræ (§. 979.) secure concludimus (§. 985. 987.).

§. 990. Si dentur facta imperantis, unde ad ejus permissionem crebrioris actuum similium repetitionis, in subjectis deprehensæ, secure concludere possimus, exinde etiam ad ejusdem permissionem consuetudinis valituræ (§. 979.) secure concludimus.

§. 991. Si dentur facta imperantis, unde ejus voluntatem tacitam, intuitu consuetudinis valituræ, tuto inferimus, ex iisdem etiam ad ejus voluntatem intuitu normæ cujusdam agendi, in subjectis deprehensæ & inter eos valituræ, secure concludimus (§. 984.). Enimvero normæ agendi sunt leges (§. 345. E.), eæque civiles, si ad voluntatem imperantis referantur (§. 928.); *si itaque dentur facta imperantis, unde voluntatem ejus tacitam, intuitu consuetudinis valituræ, tuto inferimus, ex iisdem etiam ad tacitam*

citam ejus voluntatem intuitu ejusdem consuetudinis, tanquam legis civilis valitura, secure concludimus.

§. 992. Dantur LL. civiles, quæ sunt consuetudines (§. 991.), & mores civium subjectorum (§. 982.). Nec minus concipimus, quod dentur consuetudines, quæ habitum legis civilis induunt (§. 991.).

§. 993. Quicquid competit LL. civilibus in genere, illud etiam est applicandum ad consuetudines civiles (§. 992.).

§. 994. Leges civiles non nisi cogentes sunt (§. 785.), atque adeo obligationem civilem semper producunt (§. 783.). Id quod applicandum est ad consuetudines inter cives valituras (§. 992.), & quæ adeo pollent virtute imperandi, vetandi, permittendi, puniendi (§. 788.).

§. 995. Ad consuetudines, quæ virtute pollent permittendi (§. 994.), applicandum est id, quod superius de legibus civilibus permittentibus diximus (§. 845. seqq.).

§. 996. Consuetudines, qua LL. civiles, non nisi ab imperantium voluntate auctoritatem consequuntur (§. 927.).

§. 997. *Promulgatio* (publicatio) *legis* est actus, quo efficitur, ut cives subjecti legem, qua valuturam cognoscant.

§. 998. Promulgatio legis præsupponit normam, subjectis hactenus incognitam & in futurum custodiendam. (§. 997.). Hinc si norma actionum civibus subjectis jamjam cognita & observata fuerit, non opus est, ut illa promulgetur.

§. 999. Consuetudines civiles sunt leges (§. 992.), quæ promulgatione non indigent (§. 998.). Huc accedit, quod auctoritas consuetudinum ex solo consensu imperantis tacito repetatur (§. 991. 996.).

§. 1000. Scripturam non mutare indolem legis, facile patet. Hinc licet consuetudines civiles in scripturam redigantur, earum natura non mutatur.

§. 1001.

§. 1001. *Valorem* seu *auctoritatem nanciscuntur leges*, quæ excitant in subjectis propositum eas exequendi.

§. 1002. Leges civiles sunt normæ, quibus subjecti cives actiones suas attemperare obligantur (§. 732.). Normæ sunt propositiones (§ 344. E.), quæ non nisi ope intellectus cognosci possunt.

§. 1003. Obligatio civilis sola coactione civium renitentium absolvitur (§. 783.). Sed coactio civilis requirit malorum (§. 579. E.), eorumque arbitrariorum (§. 745.) repræsentationem, ab imperante civibus refractariis factam. Quod aliter fieri non potest, nisi ut cognoscant subjecti illa mala. Id quod applicandum ad obligationem civilem.

§. 1004. Leges civiles civibus, qua obligandis, incognitæ permulgari debent (§. 1001. 1003.).

§. 1005. Quamdiu lex incognita non est promulgata, tamdiu illa cives civiliter non obligat; (§. 1004.). Leges, quæ nondum obligant, nondum sunt tales (§. 732.). Hinc lex incognita nondum promulgata, nondum est lex civilis.

§. 1006. Oritur lex civilis, si tribuatur normæ cuidam obligatio civilis (§. 905.). Hoc applicandum est & ad normas, civibus hactenus notas & frequentatas, & ad eas, quæ illis incognitæ & minus frequentatæ, sed in futurum custodiendæ sunt. Normas prioris generis promulgatione non indigere, §. 999. demonstravimus; normas vero posteriores non aliter fieri LL. civiles, nisi promulgatione, jam evincemus. Ponamus itaque normæ cuidam, hactenus civibus ignotæ & minus frequentatæ, tribui debere obligationem civilem; hæc requirit, ut cognoscant subjecti mala connexa cum actionibus, sibi imperatis (§. 1003.). Hoc itaque casu oritur lex civilis, si cognoscant subjecti mala connexa cum actionibus, sibi imperatis. Quæ malorum repræsentatio, tanquam motivum (§. 170. E.), cum in illis producere debeat propositum seu voluntatem efficacem exequendi normas præ-

scriptas

scriptas (§. 508. 509. E.); nostro casu non aliter *oriuntur leges*, ac si subjecti cognoscant eas valituras (§. 1001.), h. e., *si ea promulgentur* (§. 997.).

§. 1007. Legumlatio ab earum promulgatione separari nescit (§. 1006.).

§. 1008. Ad promulgationem requiri tempus, quo leges civibus innotescere possint, patet ex §. 997.

§. 1009. Altera ex legibus, sibi contradicentibus, alteram tollit (§. 920.). Si itaque posueris legem posteriorem, quae contradicit priori; altera alteram tollit. Lex prior civilis dependet a voluntate superioris priori, & posterior ab ejus voluntate posteriori (§. 928.). Hoc itaque casu voluntas posterior imperantis contradicit voluntati ejus priori, & consequenter hanc tollit, cum voluntas prior evanescat. Hoc proinde casu *lex posterior civilis* tollit, & consequenter *abrogat priorem vel eidem derogat* (§. 922.).

§. 1010. Consuetudines abrogant leges priores, illis contradicentes, vel eisdem derogant (§. 1009. 992.).

§. 1011. Jus abrogandi consuetudines ex jure abrogandi leges, superius §. 991. seqq. tradito, dijudicandum venit (§. 992.).

§. 1012. Consuetudinem desuetudine contraria exolescere posse, facile est ad judicandum.

§. 1013. Ex indole consuetudinis clarum est, quaenam ad illius probationem requirantur (§. 980.).

§. 1014. Civitas, ejusve imperans, jure gaudet non tolerandi eos, qui imperium civile respuunt & contemnunt, eorumque actiones, saluti publicae repugnantes (§. 81. 492.)

§. 1015. Huc referas actiones, quas cives suscipere conantur contra finem civitatis conventum, contra remedia ei conformia, contra usum virium civitatis (§. 10.), contra impedimentorum remotionem, contra usum, vel suscitationem occasionis, qua salus publica promoveri possit, & contra usum exceptionis ad quam confugiunt imperan-

perantes in casu necessitatis. Injurii sunt ejusmodi cives in jura imperantium (§. 605, 683.).

§. 1016. Idem §. 1014. applicandus est ad omnia pacta civium, saluti communi conuentæ repugnantia. Referas huc pacta, a civibus inita de negotio, saluti publicæ nocituro, expediendo, & quæ dicuntur *factiones*.

§. 1017. Civitas jure gaudet non tolerandi fines, quos societas, ei subjecta, formare velit, & qui saluti communi contradicunt. (§. 1014.).

§. 1018. Hinc & civitati competit jus inspiciendi & examinandi fines societatum quarumcunque, in civitate nascentium, ut eorum respectum ad finem totius civitatis dijudicare, atque inde concludere possit, utrum societates ejusmodi tolerandæ sint, vel secus. Contingere potest, ut illæ sæpius monstrum alant, reipublicæ detrimentosum.

§. 1019. Vnde facile est ad judicandum, quod nulla societas in civitate conglutinari possit independenter ab imperio civili summo. (§. 1018, Spec. & 909. E.).

§. 1020. Nec minus patet, quod imperans jure gaudeat non tolerandi, vt societates aliæ *statum in statu* forment. (§. 1017.).

§. 1021. Civitas jure gaudet non tolerandi leges, quas societas, in illa vivens, condere velit, & quæ saluti publicæ conventæ repugnant. (§. 1014.).

§. 1022. Sola voluntas summorum imperantium est fons omnis legislationis civilis. (§. 928.). Hinc societas nulla, quæ in civitate vivit, jure gaudet condendi Leges, in sinu suo valituras, citra vel contra voluntatem summorum imperantium.

§. 1023. Hinc normæ, ad quas ejusmodi societates finem suum peculiarem promovere velint, & quæ earum *statuta* vocantur, non prius habitum legum induunt, quam accedente consensu imperantium. Quatenus imperans in leges ejusmodi societatum consentit, oritur *legum confirmatio.*

§. 1037. Et licet imperantes summi veræ religioni sint addicti, exercitio tamen ejus imperii legitimo illi non renituntur, qui religionem purissimam profitentur, cum jura imperii nitantur pactis, (§. 571.), quæ, utut cum hominibus diversæ religionis inita, violanda non sunt. (§. 1436. E.). Expendenda etiam hic veniunt, quæ §. 578. seqq. dicta sunt.

§. 1038. Habent itaque & hoc puriorum sacrorum cultores, ut venerentur majestatem, in imperantibus summis conspicuam (§. 1036. 1037.), & ut consequenter τὸ κύριον civile non respuant & contemnant proterve. Id quod & applicandum est ad integrum cœtum, h. e. ad ecclesiam veri nominis; quæ efficere non potest, ut cives desinant esse tales, sed quæ potius ejusmodi doctrinas fovet, ut civitates inde expectare possint cives optimos & apprime sociabiles.

§. 1039. Caveas tamen, ne habeas statim religionem ipsam & totum cœtum, ei addictum, pro insociabili, si nonnulla illius membra migrent officia boni civis & in jura majestatis sacratissimæ injuria sint. A vitio personarum individuarum ad vitium totius cœtus, ejusve, quam ille sectatur, religionis turpiter argumentamur. Neque adeo delicta socii imputari possunt universæ societati vel integro ordini, cum contingere possit, eum detestari delictum, a putido illius membro commissum, ejusque adeo voluntatem a scelere patrato alienissimam esse, quam tamen solam esse fontem imputabilitatis, §. 571. E. docuimus. Præterea notum est, homines sæpius a doctrinis religionis, quibus imbuti sunt, aberrare, & principiis prorsus aliis attemperare actiones suas.

§. 1040. Civitas, ejusve imperans, jure gaudet non tolerandi actiones civium, religioni cuidam addictorum, quæ saluti publicæ repugnant, & quæ eorum conatum respuendi & contemnendi imperium civile commonstrant, (§. 1014.). Hoc applicandum est ad integrum cœtum quemcunque in civitate viventem.

§. 1041.

§. 1041. Huc referas actiones, quas cives & integri cœtus quicunque, & consequenter ecclesiæ (§. 1024.) sub obtentu religionis suscipere conantur contra finem civitatis conventum, contra remedia, ei conformia, contra usum virium civitatis & contra reliqua, quæ §. 1015. indicata sunt.

§. 1042. Caveas tamen, ne iis ejusmodi contemtum potestatis summæ civilis tribuas, qui se imperio non cogenti, sed dirigenti tantum subesse affirmant, jussa civitatis sponte explentes. Bene observavit B. BVDDEVS, quod hanc sententiam foveant *Quackeri*. Addas §. 87. c. 37. I. N. GVNDLINGII, & conf. §. 740. 896. 897. Spec.

§. 1043. Summi imperantes jure gaudent non tolerandi pacta civium, in ecclesiam coeuntium, quæ saluti publicæ conventæ repugnant. Idem affirmandum est de finibus ecclesiarum, bono publico adversantibus (§. 1040).

§. 1044. Hinc & civitati ejusve imperanti summo competit jus inspiciendi & examinandi fines cœtus & ecclesiæ cujuscunque, in civitate nascentis vel natæ, ut ejus respectum ad finem totius reipublicæ dijudicare, atque inde concludere possit, utrum cœtus vel ecclesiæ ejusmodi tolerandæ sint, secusve. Contingere potest, ut talis cœtus monstrum alat, publico egregio exitiosum. Nota sunt scelera, fraudes, factiones (§. 1016.), conjurationes, aliaque nefaria, quæ sub specioso religionis & pietatis obtentu patrata sunt.

§. 1045. Vnde & clarum est, nullam ecclesiam in civitate conglutinari posse independenter ab imperio civili summo. (§. 909. E.)

§. 1046. Civitas jure gaudet non tolerandi leges, quas cœtus ecclesiasticus quicunque condere velit in perniciem reipublicæ. (§. 1040.)

§. 1047. Ecclesiæ jure non gaudent condendi leges cogentes, in sinu suo valituras, citra vel contra voluntatem summorum imperantium, §. 1022.). Idem patet ex §. 1017.

terno. Nec minus evinci potest ex §. 332. E.,quod natura, ratio (§. 358. E.) & ipse DEUS (§. 359. E.) eandem impunitatem inculcet.

§. 963. Idem etiam affirmandum est, de impunitate actionum quarundam, regulis honesti & amoris naturalibus alias repugnantium.

§. 964. Quod permittitur in republica, illud vel juri naturali conveniens est, vel minus, atque adeo vel bonum est vel malum (§. 412. E.).

§. 965. Si quis alteri aliquid permiserit, illud vel approbat, vel reprobat, vel de ejus moralitate judicium suspendit (§. 814. Spec. & 501. E.), atque adeo de permittente non statim affirmare possum, eum approbare id, quod permissum est, cum fieri possit, ut is illud mente improbet, vel de ejusdem moralitate judicium suspendat ob defectum cognitionis. Hæc applicari possunt ad imperantes, aliquid permittentes in republica.

§. 966. Lex præcipiens actionem repugnat legi, eandem prohibenti, & v. v. (§. 912. 811.).

§. 967. Leges civiles, præcipientes actionem, repugnant legibus naturalibus, eandem prohibentibus, & v. v. (§. 966.).

§. 968. Obligatio civilis nihil aliud est, quam nexus malorum, ab arbitrio imperantis pendentium, cum actionibus civium (§. 745.). Repræsentatio itaque malorum, ab arbitrio imperantis pendentium, copulata cum actionibus civium est solum motivum civile (§. 170. E.).

§. 969. Quibus casibus nulla datur repræsentatio malorum, ab arbitrio imperantis pendentium, copulata cum actionibus civium, ibi nullum datur motivum civile (§. 968.).

§. 970. Permissio non est coactio intuitu ejus, cui aliquid permittitur (§. 814.), nec ex consequenti ulla connexio mali cum actionibus ejusdem (§. 579. E.). Leges ergo civiles permissivæ nullam continent repræsentationem

nem malorum, ab arbitrio imperantis pendentium, copulatam cum actionibus civium subjectorum, quibus aliquid permittitur. Unde patet, quod eædem leges plane nullum contineat motivum civile respectu eorundem subjectorum (§. 969.), & ex consequenti non tollant motivum naturale, quod leges naturales prohibentes ea, quæ a legibus civilibus permissa sunt, complectuntur. Unde consequitur, ut *leges civiles permittentes aliquid, quod a legibus naturalibus prohibetur, non tollant obligationem earum naturalem* (§. 901.), neque adeo leges naturales ipsas. (§. 909.).

§. 971. Eodem modo demonstrari potest, leges civiles permittentes non tollere leges naturales præcipientes id, quod ab illis permissum est.

§. 972. Leges civiles permittentes non tollunt, neque adeo (§. 922.) abrogant leges naturales, quibus id, quod civiliter licitum est, vel præcipitur vel vetatur (§. 970. 971.).

§. 973. Sic si in bellis vitia tolerentur, ob id non tolluntur, neque adeo abrogantur leges naturales, quibus vitia prohibentur.

§. 974. Si lex naturalis, quæ hactenus stipata fuit pœna civili, ab eadem liberetur; lex naturalis desinit quidem esse civilis (§. 790.), sed ob id qua naturalis non tollitur (§. 970. 971.), neque adeo abrogatur (§. 972.).

§. 975. Nec minus clarum est, quod, si leges civiles non assistant quibusdam legibus naturalibus, easque sanctione pœnali non muniant, hae non tollantur.

§. 976. Contingere potest, ut liceant in statu civili, quæ non decent in sphæra juris naturalis interni (§. 867. E. 816. 962. 963.). Nec minus patet, id, quod civiliter licitum est, esse posse illicitum in foro interno.

§. 977. Sic vi §. 976. perferre debemus in statu civili, si quis violet justitiam internam (§. 867. 798. E.), cujus tamen cultus ad actionum decus respicit (§. 860. E.). Hinc

Hinc quædam in foro civili injusta non sunt, & tamen cum charitate pugnat.

§. 978. Sola voluntas summorum imperantium est causa legislationis (§. 928.). *Declaratur voluntas* vel verbis, vel factis, h. e., *vel expresse, vel tacite.* Ad posteriorem voluntatis declarationem ejusmodi facta requiruntur, a quibus ad voluntatem alterius secure concludere possimus, idque obnexum, qui factis ejusmodi cum voluntate alterius intercedit. Unde patet, quod dentur leges civiles, quæ vel expressa, vel tacita voluntate imperantium nituntur. Illæ vocantur *LL. scriptæ*, hæ vero *non scriptæ.*

§. 979. Habitus agendi ex determinatione præterita dicitur *consuetudo agendi* (§. 213. E.). Quæ adeo est promtitudo agendi acquisita crebriori actuum homogeneorum repetitione (§. 212. E.). Quinam sint actus homogenei, §. 209. E. docuimus.

§. 980. Ad actus habituales (§. 212. E.) & consequenter consuetudinarios requiritur crebrior & continua actuum homogeneorum seu uniformium reiteratio, atque adeo certus temporis tractus seu tempus sat diuturnum.

§. 981. In *imitatione* deprehendimus conatum efficiendi, ut aliis similes existamus. Hinc in imitatore & eo, quem is imitatur, conspicimus actus homogeneos seu similes. Unde patet, quod in consuetudine, quam plures sectantur, alii alios regulariter imitentur (§. 979.).

§. 982. Actus consuetudinarii dicuntur *mores.*

§. 983. Ad mores plurium (§. 982.) prævia actuum homogeneorum reiteratio crebrior & continua (§. 979.), tempus sat diuturnum (§. 980.) & imitatio (§. 981.) requiritur.

§. 984. In actibus consuetudinariis (§. 979.) deprehendimus normam agendi (§. 344. E.).

§. 985. Voluntas ex approbatione, noluntas ex reprobatione alicujus rei vel actionis oritur (§. 167. 501. E.). Hinc

Hinc si quis aliquam actionem approbaverit, ad ejus voluntatem, & si quis eandem reprobaverit, ad illius noluntatem inde secure concludimus.

§. 986. Durante vel evanescente approbatione alicujus actionis, durat vel evanescit voluntas. Id quod etiam de noluntate durante vel evanescente intelligendum, prout duret vel evanescat reprobatio actionis.

§. 987. Aliquis approbare vel reprobare potest aliquam actionem vel verbis vel factis. Hinc & *approbatio* & *reprobatio* vel *expressa* vel *tacita* esse potest. Conf. §. 978.

§. 988. Ab approbatione expressa ad voluntatem expressam, & ab approbatione tacita ad voluntatem tacitam, nec minus ab improbatione expressa ad noluntatem expressam & ab improbatione tacita ad noluntatem tacitam secure concludimus (§. 985. 987.).

§. 989. Si dentur facta imperantium summorum, unde ad eorum approbationem crebrioris actuum similium repetitionis, in subjectis deprehensæ, secure concludere possimus, exinde etiam ad eorum voluntatem tacitam intuitu consuetudinis valituræ (§. 979.) secure concludimus (§. 985. 987.).

§. 990. Si dentur facta imperantis, unde ad ejus permissionem crebrioris actuum similium repetitionis, in subjectis deprehensæ, secure concludere possimus, exinde etiam ad ejusdem permissionem consuetudinis valituræ (§. 979.) secure concludimus.

§. 991. Si dentur facta imperantis, unde ejus voluntatem tacitam, intuitu consuetudinis valituræ, tuto inferimus, ex iisdem etiam ad ejus voluntatem intuitu normæ cujusdam agendi, in subjectis deprehensæ & inter eos valituræ, secure concludimus (§. 984.). Enimvero normæ agendi sunt leges (§. 345. E.), eæque civiles, si ad voluntatem imperantis referantur (§. 928.); *si itaque dentur facta imperantis, unde voluntatem ejus tacitam, intuitu consuetudinis valituræ, tuto inferimus, ex iisdem etiam ad tacitam*

citam ejus voluntatem intuitu ejusdem consuetudinis, tanquam legis civilis valitura, secure concludimus.

§. 992. Dantur LL. civiles, quæ sunt consuetudines (§. 991.), & mores civium subjectorum (§. 982.). Nec minus concipimus, quod dentur consuetudines, quæ habitum legis civilis induunt (§. 991.).

§. 993. Quicquid competit LL. civilibus in genere, illud etiam est applicandum ad consuetudines civiles (§. 992.).

§. 994. Leges civiles non nisi cogentes sunt (§. 785.), atque adeo obligationem civilem semper producunt (§. 783.). Id quod applicandum est ad consuetudines inter cives valituras (§. 992.), & quæ adeo pollent virtute imperandi, vetandi, permittendi, puniendi (§. 788.).

§. 995. Ad consuetudines, quæ virtute pollent permittendi (§. 994.), applicandum est id, quod superius de legibus civilibus permittentibus diximus (§. 845. seqq.).

§. 996. Consuetudines, qua LL. civiles, non nisi ab imperantium voluntate auctoritatem consequuntur (§. 927.).

§. 997. *Promulgatio* (publicatio) *legis* est actus, quo efficitur, ut cives subjecti legem, qua valuturam cognoscant.

§. 998. Promulgatio legis præsupponit normam, subjectis hactenus incognitam & in futurum custodiendam. (§. 997.). Hinc si norma actionum civibus subjectis jamjam cognita & observata fuerit, non opus est, ut illa promulgetur.

§. 999. Consuetudines civiles sunt leges (§. 992.), quæ promulgatione non indigent (§. 998.). Huc accedit, quod auctoritas consuetudinum ex solo consensu imperantis tacito repetatur (§. 991. 996.).

§. 1000. Scripturam non mutare indolem legis, facile patet. Hinc licet consuetudines civiles in scripturam redigantur, earum natura non mutatur.

§. 1001.

§. 1001. *Valorem* seu *auctoritatem nanciscuntur leges*, quæ excitant in subjectis propositum eas exequendi.

§. 1002. Leges civiles sunt normæ, quibus subjecti cives actiones suas attemperare obligantur (§. 732.). Normæ sunt propositiones (§ 344. E.), quæ non nisi ope intellectus cognosci possunt.

§. 1003. Obligatio civilis sola coactione civium renitentium absolvitur (§. 783.). Sed coactio civilis requirit malorum (§. 579. E.), eorumque arbitrariorum (§. 745.) repræsentationem, ab imperante civibus refractariis factam. Quod aliter fieri non potest, nisi ut cognoscant subjecti illa mala. Id quod applicandum ad obligationem civilem.

§. 1004. Leges civiles civibus, qua obligandis, incognitæ permulgari debent (§. 1001. 1003.).

§. 1005. Quamdiu lex incognita non est promulgata, tamdiu illa cives civiliter non obligat; (§. 1004.). Leges, quæ nondum obligant, nondum sunt tales (§. 732.). Hinc lex incognita nondum promulgata, nondum est lex civilis.

§. 1006. Oritur lex civilis, si tribuatur normæ cuidam obligatio civilis (§. 905.). Hoc applicandum est & ad normas, civibus hactenus notas & frequentatas, & ad eas, quæ illis incognitæ & minus frequentatæ, sed in futurum custodiendæ sunt. Normas prioris generis promulgatione non indigere, §. 999. demonstravimus; normas vero posteriores non aliter fieri LL. civiles, nisi promulgatione, jam evincemus. Ponamus itaque normæ cuidam, hactenus civibus ignotæ & minus frequentatæ, tribui debere obligationem civilem; hæc requirit, ut cognoscant subjecti mala connexa cum actionibus, sibi imperatis (§. 1003.). Hoc itaque casu oritur lex civilis, si cognoscant subjecti mala connexa cum actionibus, sibi imperatis. Quæ malorum repræsentatio, tanquam motivum (§. 170. E.), cum in illis producere debeat propositum seu voluntatem efficacem exequendi normas præ-

scriptas

scriptas (§. 508. 509. E.); nostro casu non aliter *oriuntur leges*, ac si subjecti cognoscant eas valituras (§. 1001.), h. e., *si ea promulgentur* (§. 997.).

§. 1007. Legumlatio ab earum promulgatione separari nescit (§. 1006.).

§. 1008. Ad promulgationem requiri tempus, quo leges civibus innotescere possint, patet ex §. 997.

§. 1009. Altera ex legibus, sibi contradicentibus, alteram tollit (§. 920.). Si itaque posueris legem posteriorem, quæ contradicit priori; altera alteram tollit. Lex prior civilis dependet a voluntate superioris priori, & posterior ab ejus voluntate posteriori (§. 928.). Hoc itaque casu voluntas posterior imperantis contradicit voluntati ejus priori, & consequenter hanc tollit, cum voluntas prior evanescat. Hoc proinde casu *lex posterior civilis* tollit, & consequenter *abrogat priorem vel eidem derogat* (§. 922.).

§. 1010. Consuetudines abrogant leges priores, illis contradicentes, vel eisdem derogant (§. 1009. 992.).

§. 1011. Jus abrogandi consuetudines ex jure abrogandi leges, superius §. 991, seqq. tradito, dijudicandum venit (§. 992.).

§. 1012. Consuetudinem desuetudine contraria exolescere posse, facile est ad judicandum.

§. 1013. Ex indole consuetudinis clarum est, quænam ad illius probationem requirantur (§. 980.).

§. 1014. Civitas, ejusve imperans, jure gaudet non tolerandi eos, qui imperium civile respuunt & contemnunt, eorumque actiones, saluti publicæ repugnantes (§. 81. 492.)

§. 1015. Huc referas actiones, quas cives suscipere conantur contra finem civitatis conventum, contra remedia ei conformia, contra usum virium civitatis (§. 10.), contra impedimentorum remotionem, contra usum, vel suscitationem occasionis, qua salus publica promoveri possit, & contra usum exceptionis ad quam confugiunt imperan-

perantes in casu necessitatis. Injurii sunt ejusmodi cives in jura imperantium (§. 605. 683.).

§. 1016. Idem §. 1014. applicandus est ad omnia pacta civium, saluti communi conuentæ repugnantia. Referas huc pacta, a civibus inita de negotio, saluti publicæ nocituro, expediendo, & quæ dicuntur *factiones*.

§. 1017. Civitas jure gaudet non tolerandi fines, quos societas, ei subjecta, formare velit, & qui saluti communi contradicunt. (§. 1014.).

§. 1018. Hinc & civitati competit jus inspiciendi & examinandi fines societatum quarumcunque, in civitate nascentium, ut eorum respectum ad finem totius civitatis dijudicare, atque inde concludere possit, utrum societates ejusmodi tolerandæ sint, vel secus. Contingere potest, ut illæ sæpius monstrum alant, reipublicæ detrimentosum.

§. 1019. Vnde facile est ad judicandum, quod nulla societas in civitate conglutinari possit independenter ab imperio civili summo. (§. 1018. Spec. & 909. E.).

§. 1020. Nec minus patet, quod imperans jure gaudeat non tolerandi, vt societates aliæ *statum in statu* forment. (§. 1017.).

§. 1021. Civitas jure gaudet non tolerandi leges, quas societas, in illa vivens, condere velit, & quæ saluti publicæ conventæ repugnant. (§. 1014.).

§. 1022. Sola voluntas summorum imperantium est fons omnis legislationis civilis. (§. 928.). Hinc societas nulla, quæ in civitate vivit, jure gaudet condendi Leges, in sinu suo valituras, citra vel contra voluntatem summorum imperantium.

§. 1023. Hinc normæ, ad quas ejusmodi societates finem suum peculiarem promovere velint, & quæ earum *statuta* vocantur, non prius habitum legum induunt, quam accedente consensu imperantium. Quatenus imperans in leges ejusmodi societatum consentit, oritur *legum confirmatio*.

matio. Hinc imperantibus summis *jus confirmandi statuta* societatum, in civitate viventium, competit.

§. 1024. Cœtus, qui addictus est alicui religioni, vocatur *ecclesia*, quæ vel *vera* vel *falsa* est. (§. 837. E.).

§. 1025. Ecclesia est cœtus, qui addictus est cuidam cultui divino (§. 909. E. 1024. Spec.), ex judiciis de Deo, ejusque perfectionibus oriundo (§. 836.). E.).

§. 1026. Actus humani sunt vel illi, qui in anima coriuntur, vel motus corporis voluntarii, qui ad desiderium mentis consequuntur (§. 193. E.). *Actus* prioris generis *interni*, posterioris vero *externi* vocantur.

§. 1027. Ad actus humanos internos referuntur cogitationes & judicia de Deo, ejusque attributis, nec minus inde subnatæ inclinationes seu conatus mentis (§. 505. E.), & affectus (§. 506. E.), qui in actus externos (§. 1026.) erumpunt, nisi impedimentum adsit. (§. 507. E.).

§. 1028. Actus, quos homines non nisi intuitu Dei suscipiunt, dicuntur *cultus divinus*, qui est vel *internus* vel *externus*, prout illi actus vel interni, vel externi sunt. (§. 1026. 1027.).

§. 1029. Cultus divinus internus ita se habet, ut prolabatur ad cultum externum, nisi impedimentum obstet (§. 1028. 1027.), idque ob unionem & commercium, quod animæ cum corpore teste experientia intercedit. (§. 627. E.).

§. 1030. In ecclesia cultus divinus vel internus vel externus considerari potest. (§. 1025. 1028.).

§. 1031. Religio est imperii impatiens (§. 796.). Ecclesia est cœtus, qui addictus est alicui religioni (§. 1024.); *ecclesia* ergo *est* imperii impatiens, & consequenter *cœtus liber*. (§. 910. E.).

§. 1032. Hæc ecclesiæ libertas non solum ad cultum divinum internum, sed & ad externum, ob hujus cum illo nexum (§. 1029.), sese extendit. (§. 1030.).

§. 1033. Nec ipsa ecclesia, qua talis, in membra sua impe-

imperium ob eandem rationem exercere potest. Hinc & ejus membra libera permanent. (§. 910. E.). Multo minus ecclesiæ cuicunque, qua tali, jus imperii competit in alios, qui se illius membra non profitentur, cum omnes homines sint liberi intuitu religionis, nec præterea ullum in eos imperium, nisi ex pacto prævio, concipitur. (§. 571.).

§. 1034. Ex §. 1031. patet, quid habendum sit de *Houtyni* sententia, sub imperio absoluto jus in conscientias contineri statuentis.

§. 1035. Idem etiam indoli pactorum, vel expressorum, vel tacitorum, quibus nititur imperium civile (§. 572.); repugnat. Omnis enim obligatio, & consequenter pactitia, ad res, quæ sunt impossibiles, sese non extendit. (§. 487. E.). In potestate vero nostra non esse repræsentationes intellectus & ejus judicia, de quacunque re ad nudum arbitrium alterius formanda, per se patet. Hinc de veritate vel falsitate propositionum pacisci ἄτοπον est.

§. 1036. Superius §. 285. subindicavimus, religionem purissimam maxime proclives reddere ejus cultores ad cultum pacis externæ, eosque efficere alienissimos ab excitandis rixis & turbis. Id quod applicandum ad ecclesiam veram & purissimam (§. 1024.), quæ pacem & salutem publicam omni nisu colendam atque amplificandam & singulis civibus subjectis & universis civitatibus, ejusque rectoribus inculcat. Quæ dicta eo veriora sunt, quo magis perpendamus, ecclesiam veram eo contendere, ut floreat pietas & studium illustrandi gloriam summi Numinis (§. 838. E.), quod cum custodia legum naturalium (§. 823. E.), & consequenter cum religiosissimo cultu principiorum, ad securitatem & felicitatem societatum & integrorum populorum promovendam tendentium (§. 35. seqq. 547. seqq. 858. seqq.) arctissime copulatum est. Hinc & imprimis *vera ecclesia tribuit cæsari*, quæ *sunt cæsaris*, *& Deo*, *quæ sunt Dei*.

§. 1037. Et licet imperantes summi veræ religioni sint addicti, exercitio tamen ejus imperii legitimo illi non renituntur, qui religionem purissimam profitentur, cum jura imperii nitantur pactis, (§. 572.), quæ, utut cum hominibus diversæ religionis inita, violanda non sunt. (§. 1436. E.). Expendenda etiam hic veniunt, quæ §. 578. seqq. dicta sunt.

§. 1038. Habent itaque & hoc puriorum sacrorum cultores, ut venerentur majestatem, in imperantibus summis conspicuam (§. 1036. 1037.), & ut consequenter τὸ κύριον civile non respuant & contemnant proterve. Id quod & applicandum est ad integrum cœtum, h. e. ad ecclesiam veri nominis; quæ efficere non potest, ut cives desinant esse tales, sed quæ potius ejusmodi doctrinas fovet, ut civitates inde expectare possint cives optimos & apprime sociabiles.

§. 1039. Caveas tamen, ne habeas statim religionem ipsam & totum cœtum, ei addictum, pro insociabili, si nonnulla illius membra migrent officia boni civis & in jura majestatis sacratissimæ injuria sint. A vitio personarum individuarum ad vitium totius cœtus, ejusve, quam ille sectatur, religionis turpiter argumentamur. Neque adeo delicta socii imputari possunt universæ societati vel integro ordini, cum contingere possit, eum detestari delictum, a putido illius membro commissum, ejusque adeo voluntatem a scelere patrato alienissimam esse, quam tamen solam esse fontem imputabilitatis, §. 572. E. docuimus. Præterea notum est, homines sæpius a doctrinis religionis, quibus imbuti sunt, aberrare, & principiis prorsus aliis attemperare actiones suas.

§. 1040. Civitas, ejusve imperans, jure gaudet non tolerandi actiones civium, religioni cuidam addictorum, quæ saluti publicæ repugnant, & quæ eorum conatum respuendi & contemnendi imperium civile commonstrant, (§. 1014.). Hoc applicandum est ad integrum cœtum quemcunque in civitate viventem.

§. 1041.

§. 1041. Huc referas actiones, quas cives & integri coetus quicunque, & consequenter ecclesiæ (§. 1014.) sub obtentu religionis suscipere conantur contra finem civitatis conventum, contra remedia, ei conformia, contra usum virium civitatis & contra reliqua, quæ §. 1015. indicata sunt.

§. 1042. Caveas tamen, ne iis ejusmodi contemtum potestatis summæ civilis tribuas, qui se imperio non cogenti, sed dirigenti tantum subesse affirmant, jussa civitatis sponte explentes. Bene observavit B. BVDDEVS, quod hanc sententiam foveant *Quackeri*. Addas §. 87. c. 37. I. N. GVNDLINGII, & conf. §. 740. 896. 897. Spec.

§. 1043. Summi imperantes jure gaudent non tolerandi pacta civium, in ecclesiam coeuntium, quæ saluti publicæ conventæ repugnant. Idem affirmandum est de finibus ecclesiarum, bono publico adversantibus §. 1040).

§. 1044. Hinc & civitati ejusve imperanti summo competit jus inspiciendi & examinandi fines coetus & ecclesiæ cujuscunque, in civitate nascentis vel natæ, ut ejus respectum ad finem totius reipublicæ dijudicare, atque inde concludere possit, utrum coetus vel ecclesiæ ejusmodi tolerandæ sint, secusve. Contingere potest, ut talis coetus monstrum alat, publico egregio exitiosum. Nota sunt scelera, fraudes, factiones (§. 1016.), conjurationes, aliaque nefaria, quæ sub specioso religionis & pietatis obtentu patrata sunt.

§. 1045. Vnde & clarum est, nullam ecclesiam in civitate conglutinari posse independenter ab imperio civili summo. (. 909. E.).

§. 1046. Civitas jure gaudet non tolerandi leges, quas coetus ecclesiasticus quicunque condere velit in perniciem reipublicæ. (§. 1040.).

§. 1047. Ecclesiæ jure non gaudent condendi leges cogentes, in sinu suo valituras, citra vel contra voluntatem summorum imperantium. §. 1022.). Idem patet ex §. 1017.

§. 1048. Imperanti summo competit jus confirmandi leges ecclesiasticas. (§. 1047. 1023.).

§. 1049. Principi summo competit jus non tolerandi disseminationem doctrinarum, securitati & saluti publicæ adversantium (§. 1014.) & consequenter examinandique dogmata, eorumque indolem & respectum ad bonum civitatis commune.

§. 1050. Unde consequitur, ut non ferendi sint in principatu, qui Monarchas de solio posse dejici & interfici existimant, quoniam talis opinio, quæ facile in externos actus erumpere potest, isti civitatis formæ plane repugnat. Sunt verba *Gundlingii*.

§. 1051. Principem jure gaudere non tolerandi atheos multis rationibus evinci potest. Suffecerit provocasse ad §. 1463. E, unde necessitas homagiorum (§. 652.), aliorumque juramentorum, quæ religionem supponunt (§. 1441. E.), elucebit. Conf. WOLFFI *Pol.* §. 368. seqq. & GUNDLINGII §. 88. c. 36. I. N.

§. 1052. Sed hic probe notandum, quod & ii non sint ferendi in civitate, qui dissentientes sine convicio atque innocua ratione statuum persequendos. Hoc si observaretur, forte dilapsuri essent persecutores, horumque mancipia & instrumenta emoritura. Sunt verba *Gundlingii*.

§. 1053. Actiones, quas imperantes pro non tolerandis declarant, sunt actiones intermittendæ, & consequenter prohibitæ. (§. 811.). Principes itaque summi pollent jure prohibendi disseminationem doctrinarum, quas judicant esse saluti publicæ nocivas (§. 1049.).

§. 1054. Soli imperanti competit jus prohibendi doctrinas & libros in sua republica. (§. 1053. 928.).

§. 1055. Qui sibi arrogant jus prohibendi doctrinas & libros in republica citra contrave voluntatem imperantium, illi in eorum jura turpiter involant. (§. 1054.).

§. 1056. Ecclesia, qua talis, imperio cogente in civitatem non gaudet (§. 1033.). Hoc sensu respublica in ecclesia non esse dicitur.

§. 1057.

§. 1057. Quatenus vero ecclesia existimetur esse in republica, ex præcedentibus & præcipue ex §. 1044. patebit. Jura quippe principis circa ecclesiam a GVNDLINGIO §. CIII. C. 36. I. N. strictim & egregie, nec minus principiis nostris conformiter, repræsentantur hisce verbis: Imperantibus generalem in ecclesiam inspectionem, quemadmodum in alia collegia & societates fere concedendam esse, nec repugnare, ut doctores, contra pactum societatis, auctoritate sua, ad civium perniciem & infamiam, abutentes, coerceantur, vel moribus perditi temoveantur, seditiosa docentes puniantur, quid? quod inspectores peculiares constituantur, qui vitam sacerdotum observent, ne extra oleas vagentur, leges, quæ ecclesiasticos, cives & judices stringant, præscribantur, & locus aliquando & tempus publicorum sacrorum determinetur, ipseque suam religionem, sine vi, doceri curet: nisi pacta cum civibus obsistant, ejusque potestas hac in parte haud temere sit restricta.

§. 1058. Imperanti summo competit jus cogendi cives subjectos, ut normis, sibi præscriptis, h. e. legibus (§. 73 :.), actiones suas attemperent (§. 729.), ut ne lædant civitatem integram, a lædendisque civibus abstineant, & consequenter suum & civitati & civibus tribuant (§. 878.), ut damna, & civitati & civibus illata, reparent (§. 879.), ne cives alius reipublicæ, aliosque homines, extra civitatem viventes, lædant, eisque suum tribuant (§. 884.), damnaqne, illis illata, reparent. Sed hæc omnia fieri non possunt, nisi imperantes inspiciant actiones civium subjectorum singulares easque referant ad leges, & inde concludant, utrum eæ conveniant cum LL., an secus, & utrum eæ sint justæ, injustæve, civiliter tales, (§. 818.). Unde patet, quod imperantium jus obligandi & cogendi cives subjectos ad ea, quæ jam strictim commemoravimus, requirat, tanquam remedium (§. 511. E.), judicium ex applicatione legum ad facta collectum (§. 60. E.), & ferendum de justitia vel injustitia

actionum subjectorum. Qui habet jus ad finem, is jus habeat necesse est ad remedia (§. 601.); *imperantibus* ergo vi juris obligandi & cogendi *competit jus ferendi judicium coactivum de justitia* vel *injustitia actionum civium subjectorum*. Hoc jus dicitur POTESTAS CIVILIS IVDICIARIA. Huc referas *jus administrandi justitiam* in republica.

§. 1059. Nec perspectu difficile est, quod jus puniendi, cum imperio civili summo conjunctum (§. 780.), ejusmodi potestatem judiciariam requirat. Demonstrationem, quæ cum præcedenti ferme eadem est, addere nolumus.

§. 1060. Cum jus puniendi fluat ex jure connectendi mala arbitraria cum actionibus civium subjectorum (§. 780.), & consequenter cum jure obligandi subjectos (§. 745.); etiam potestas judiciaria; quam exigit jus puniendi (§. 1059.), ex jure imperantium obligandi & cogendi subjectos derivanda est.

§. 1061. *Hæc potestas judiciaria*, cum ex jure obligandi derivetur (§. 1058. 1060.), hoc vero solis imperantibus summis competat (§. 800.), etiam *iisdem solis tribuenda venit*.

§. 1062. *Eandem potestatem esse summam in civitate*, *facile patet*. Illam enim intelleximus ex jure imperantis obligandi cives. (§. 1058.). Enimvero cum hoc fluat ex imperio civili summo (§. 731. 730. 729.); potestas illa judiciaria summa est. Ob quam imperantes summi appellantur IVDICES SVMMI, eisque IVDICIVM CIVILE SVMMVM tribuitur, quo quippe in terris superius non datur (§. 527.), seu, quod judicio superiori humano subjectum non est. Probe notemus notionem *summitatis*, majestatis, ejusque juribus inhærentis. Illius usus ex inferius dicendis magis adhuc elucebit.

§. 1063. Potestati illi judiciariæ supremæ, quæ est in imperantibus (§. 1062.), respondet in civibus subjectis obligatio submittendi se suasque actiones & controversias judicio eorum summo, in eoque acquiescendi, (§. 226.).

Nec

Nec minus inde patet, quod obligentur subjecti reddere rationes actionum suarum (§. 237.).

§. 1064. Civis non potest esse judex in propria caussa. (§ 1063.).

§. 1065. Cum potestas judiciaria concipiatur ex jure obligandi cives (§. 1058. 1060.), ea eousque patet, quousque se extendit jus obligandi & cogendi. Hujus juris limites § 804. indicavimus.

§. 1066. Oriuntur *controversiæ* seu *disceptationes* inter homines, si incidant in contradictorium. Hoc subnascitur, ubi alter affirmat, quod ab altero negatur (§. 37. E.). Ad controversiam itaque requiritur, ut alter neget, quod unus affirmat. Sed quæritur, de quibusnam rebus in sphæra juris externi naturalis vel civilis, subnasci possint disceptationes?

§. 1067. In sphæra juris externi, & naturalis & civilis, omnia redeunt ad SVVM CVIQVE, quod est illius principium (§. 755. E. 36. 38. 39. 548. 550. 552. 858. seqq. Spec.). In hac itaque juris sphæra controversiæ & lites oriuntur, si homines incidant in contradictorium intuitu custodiæ vel violationis τȣ̃ SVVM CVIQVE, h. e. si unus neget, alterum custodivisse suum cuique, & alter illud idem affirmet (§. 1066.), h. e. si unus asseveret, alterum violasse τὸ suum cuique, & consequenter se ab eo læsum esse (§. 767. E.), quod tamen alter negat. Unde patet, quod *sola læsio sit in sphæra juris externi, & naturalis & civilis, caussa, cur controversiæ, & disceptationes inter homines subnasci possint*, seu, quod *sola læsio* sit id. de *quo in eadem sphæra oriri possit controversiæ.*

§. 1068. Quo casu homines ad nullam læsionem reflectunt, eo etiam non occurrit in sphæra juris externi causa controversiæ & disceptationis justifica (§. 1067.). Hoc transferendum & ad statum naturalem & civilem, idque ob universalitatem propositionis.

§. 1069. Læsio est vel vera vel saltem apparens, qua

posterior nulla est. Tota ergo controversia in foro externo eo tendit, ut investigetur casu dato, utrum adsit læsio veri nominis, quæ qualis & quanta? Absurdum esset, movere alteri controversiam in foro externo, vel naturali, vel civili, & simul fateri, nolle se ad nullam læsionem, sibi ab altero illatam vel inferendam, reflectere.

§. 1070. Si oriatur controversia de aliquo facto, quod non est læsio, illud tamen ab altera parte habetur pro injuria.

§. 1071. Et cum sola læsio etiam sit causa coactionis & belli justifica (§. 1092. E. 261. 262. Sp.); ea, quæ §. 1201. seqq. E. ad causas belli justificas & minus tales relata sunt, & quæ in exercitationibus de jure pactitio & dominiorum, nec minus in hisce speciminibus læsionibus recte vel perperam annumeranda esse demonstravimus, etiam causis disceptationis & controversiarum justificis, vel minus talibus, accensentur. (§. 1067.).

§. 1072. Nec minus clarum est, quam necessaria sit doctrina de læsionibus, in judicio sano de controversiis hominum, sociorum, civium & integrarum gentium ferendo.

§. 1073. *Homines*, qui ob levissimas læsiones aliis litem vel controversiam movent, vocantur *rixosi*, (zanckfüchtige). (§. 1166. 1282. E.). Quæ sit læsio levis, ex conditione læsi vel lædendi dijudicandum est. Unde patet, quod tale elogium multo magis mereantur, qui pruritum ostendunt aliis movendi litem vel controversiam, cum nullam tamen illius causam justificam habeant. Inter quos dantur multi, qui vel læsionem levem pro gravi habent, vel qui injuriis cerebrinis se ipsos torquent misere, & de illis anxie conqueruntur, sibique datam occasionem arripiunt insultandi alios, a quibus se offensos esse judicant insulse. Sola denegatio officiorum humanitatis, sola infidelitas, solus dissensus sine convicio, quid? quod solus non-consensus, quæ stultitia & protervia! eis inter causas disceptationis,

tionis, belli & persecutionis justificas sunt. Invenies haud exiguum numerum causarum ejusmodi spuriarum in §. 1205. E., qui longe auctior fiet, si addideris læsiones imaginarias, quas complures sibi in statu & naturali & civili fingunt intuitu promissionum & dominiorum. Cum itaque inscitia doctrinarum de læsionibus, proprie sic dictis, transversum ita rapiantur tam multi mortales, ut rixosi vincula societatis humanæ & pacem externam rumpant, atque ita ad actus pudendos ruant, perspicimus non solum effectus funestos ignorationis juris externi, & naturalis & civilis, sed & simul necessitatem indispensabilem Iurisconsultorum veri nominis, quorum est id, quod justum, injustumve, stupidioribus clarius ante oculos constituere.

§ 1074. Demonstravimus §. 1067., quod in sphæra juris externi, & naturalis & civilis, sola læsio sit causa controversiæ, alteri movendæ, justifica. Sed cum læsio sit violatio τῦ SVVM CVIQVE (§. 767.E.), læsiones & consequenter causæ disceptationis justificæ variant pro diversitate SVI.

§. 1075. Læsiones etiam variare pro diversitate officiorum perfectorum, vel legum, stricte dictarum, seu cogentium, manifestum est ex §§. 764. 765. E. Id quod etiam de diversitate causarum disceptandi justificarum tenendum est. (§. 1067.).

§. 1076. SVVM CIVILE est, quod nanciscitur civis, qua talis. Illud contra distinguitur SVO, quod tribuitur homini, vel extra omnem societatem, vel in societate, minus tamen civili, considerato, hoc est, quod homo nanciscitur in statu naturali. (§. 889. E.).

§. 1077. Si cives, qua tales, & consequenter tam imperantes, quam subjecti (§. 492. 530.), nanciscantur certas res & jura, idque vi pacti (§. 571.); ea referuntur ad suum civile (§. 786. E. 1076.), quod adeo est species SVI QVAESITI PACTITII. (§. 1309. 1310. E.). Hinc & ipsa jura civium & imperantium & subjectorum e numero jurium acquisito-

quisitorum sunt (§. 1328. E.), quorsum in primis jus liciti civilis referendum est (§. 833.). Conferas, quæ jamjam de juribus imperantium §. 628. demonstravimus.

§. 1078. Ad suum connatum seu congenitum cum Grotio referuntur vita, non ad perdendum, sed ad custodiendum corpus, membra (§. 1188. E.), fama seu existimatio simplex (§. 1050.), virginitas (§. 1070. E.), ad quæ omnia defendenda homini competunt jura connata (§. 781. 1190. 1192. 1199. 1204. E.). Quibus speciebus SVI CONNATI, quibus juribus connatis homines, cives facti, non renunciant (§. 1419. E.), idque ob securitatem, sibi in civitate stipulatam (§. 492. 513. 571.).

§. 1079. Datur itaque suum connatum, quod in civitatibus adeo non tollitur, ut illud potius LL. civilibus ad securitatem communem custodiendam tendentibus (§. 803) magis in tuto collocetur, cum illud pœnis severioribus, in aggressores constituendis, validius circumvalletur. Ex quo consequitur, *dari suum connatum, quod simul est suum civile* (§. 1076.).

§. 1080. Dantur jura connata, §. 1078. indicata, quæ etiam *civilia* sunt, & quæ civibus, qua talibus, competunt. Leges enim naturales cogentes, ex quibus illa jura congenita coorjuntur, degenerare solent in civiles (§. 789.); cum notum sit, quod homicidia, vulnerationes, calumniæ, contemtus externus, compressiones fœminarum, (violentæ), in civitatibus pœnis coerceri soleant & debeant. Idem valebit de obligationibus connatis, quæ iisdem juribus respondent (§. 226.), quæ vel a jure naturali cogenti prohibentur, & quæ simul in civiles degenerare possunt.

§. 1081. Unde clarum est, cur homines e. g. in defensione sui ad jura connata, divina (§. 827. E.) & humana, qualia civilia sunt, simul provocent.

§. 1082. Æqualitas & paritas externa ratione imperii non minus quam τῆς προεδρίας (§. 906. E.), & libertas naturalis (§. 944. E.) ad SVVM connatum pertinent, & nobis compe-

competunt in statu naturali jura connata ad utramque defendendam (§. 1201. E.) contra quoscunque, qui eandem vel tollere, vel circumscribere non erubescunt. Sed in civitatibus æqualitas ob statum imperii, qui status inæqualitatis est (§. 896. 892. E.), in subjectis tollitur, & libertas naturalis circumscribitur, h. e. ex parte tollitur (§. 772. 776.) Datur itaque species JURI connati, quod simul suum civile fieri nunquam potest (§. 1076.). Sed & simul patet, quod dentur jura connata, quæ civibus, qua talibus, tribui non possunt. Id quod etiam ad obligationes connatas, juribus eisdem connatis respondentes (§. 226.), applicandum erit.

§. 1083. Dantur etiam innumera, quæ ad suum civile specta. (§. 1076.); & quæ ad suum connatum referri nesciunt. Obveniunt etiam jura civium, quæ homini, in statu naturali viventi, non tribuuntur e. g. jus προεδρίας, dignitates, honores. Id quod etiam de obligationibus nonnullis civilibus intelligendum. Porro contingere potest, ut maritus in civitate imperium in uxorem nanciscatur, quod ei in statu naturali non nisi ob pactum tribuitur (§. 191.), ut soli patri concedatur potestas in liberos, quæ utrique parentum in statu naturali communis est (§. 212.), & quæ sunt infinita alia.

§. 1084. Læsiones sunt actiones, officiis erga alios, stricte dictis, repugnantes (§. 764. E.). LAESIONES CIVILES sunt actiones, officiis civium, qua talium, stricte dictis, repugnantes. Dari ejusmodi officia civium perfecta & consequenter ejusmodi læsiones, patet ex §. 787. Hæ læsiones contradistinguuntur *læsionibus naturalibus*, quæ actiones sunt, quibus officia naturalia perfecta violantur.

§. 1085. Læsiones in genere sunt actiones, legibus, stricte dictis, repugnantes (§. 765. E.) Leges civiles non nisi stricte dictæ tales sunt (§. 785.). Hinc LAESIONES CIVILES sunt actiones, LL. civilibus repugnantes. Quæ contradistinguuntur *læsionibus naturalibus*, quæ sunt actiones LL. naturalibus, stricte dictis, contradicentes.

§. 1086.

§. 1086. Actiones, quæ legibus civilibus non repugnant, læsiones civiles non sunt (§. 1085.).

§. 1087. Actiones, quæ officiis civium, stricte dictis, non repugnant, læsiones civiles non sunt (§. 1084.).

§. 1088. Læsio est violatio τῦ suum cuique (§. 767. E.). LAESIO CIVILIS est violatio SVI, civiliter talis. Dari ejusmodi SVVM, & consequenter ejusmodi læsiones, ex §. 1076. 1077. 1083. perspicimus. Hæ contra distinguuntur *læsionibus naturalibus*, quæ sunt actiones, quibus violatur SVVM, nobis a lege naturali tribui solitum (§. 1076. Sp. & 754. Ex.).

§. 1089. Actiones quibus quis SVVM, civiliter tale, non violat, læsiones civiles non sunt (§. 1088.).

§. 1090. Actiones, quibus violatur suum, a lege naturali externa nobis tributum, sunt læsiones naturales (§. 1088.). Sed datur suum, quod nobis a jure naturali externo tribuitur, & quod simul est suum civile (§. 1079.); dantur ergo *læsiones naturales, quæ simul sunt læsiones civiles.* (§. 1088.).

§. 1091. Iura, nobis competentia, pertinent ad id, quod nostrum est (§. 786. E.); id quod applicandum ad jura naturalia & civilia, tanquam species. Hinc jura connata pertinent ad suum, quod tribuitur homini, in statu naturali, (§. 889. E. 1076.), & jura civilia ad suum civile (§. 1076.). Violatio ergo juris naturalis est læsio naturalis & violatio juris civilis est læsio civilis (§. 1088.). Enimvero dantur jura naturalia, quæ simul civilia sunt (§. 1080.); occurrunt itaque *læsiones naturales, quæ simul civiles sunt.*

§. 1092. Dantur leges naturales cogentes & inde descendentia officia stricta naturalia (§. 751. E.), quæ eo tendunt, ut ne alteri vitam eripiamus, ne vulneremus alterum (§. 1189. E.), ne alterum externe contemnamus (§. 1026. E.), ne alterius famam violemus (§. 1050. 768. E.) Dantur etiam LL. civiles & inde descendentia officia civilia (§. 1080. Spec. 761. Ex.), quibus eadem prohibentur. (§. 1079.).

(§. 1079. Obveniunt ergo LL. naturales cogentes, & inde descendentia officia stricte dicta, quæ abeunt in leges civiles & inde descendentia officia civilia. Qui violat leges naturales, & inde descendentia officia stricta naturalia, lædit alterum naturaliter (§.1084. 1085.), & qui violat LL. civiles & inde oriunda officia civilia, alios civiliter lædit (§. §. cit.); *dantur* itaque *læsiones naturales, quæ simul sunt civiles.*

§. 1093. Dantur læsiones civiles, quæ naturales non sunt. (§. 1083. 1088.).

§. 1094. Si inveniantur LL. naturales cogentes, quæ habitum LL. civilium non induunt (§. 961.); si ex consequenti inveniantur officia perfecta naturalia (§. 761. E.), quæ in officia perfecta civilia non abeunt (§. 787.); *dantur* etiam *læsiones naturales, quæ civiles non sunt.* (§. 1084. 1085.).

§. 1095. Nec minus patet, quod, si dentur leges civiles, quæ mere naturales non sunt, etiam dentur læsiones civiles, quæ naturales non sunt. (§. 1084. 1085.).

§. 1096. Causæ, cur in civitate oriri possit controversia (§. 1067.), sunt solæ actiones, officiis civium, qua talium, stricte dictis (§. 1084), vel legibus civilibus repugnantes (§. 1085.), vel SUUM, civiliter tale, violantes. (§. 1088.).

§. 1097. Dantur causæ justificæ, cur oriatur in statu & naturali & civili disceptatio & controversia. (§. 1067. 1090. 1091. 1092.).

§. 1098. Dantur causæ justificæ, ob quas oriri possit disceptatio & controversia in statu quidem civili, minus tamen naturali. (§. 1067. 1065.). Idem patet ex §. 1095.

§. 1099. Dantur causæ disceptationis justificæ in statu naturali, quæ tales non sunt in statu civili. (§. 1067. 1094.).

§. 1100. Potestas civilis judiciaria est jus ferendi judicium coactivum de justitia vel injustitia actionum civium subjectorum (§. 1058.), & consequenter de eorum violatione τȣ̃ suum cuique (§. 797. E. & per schol. §. 39.), de

eorum læsionibus (§. 767. E.), atque adeo de eorum controversiis (§. 1067.).

§. 1101. Potestas civilis judiciaria est jus ferendi judicium coactivum de subjectorum controversiis (§. 1100.), & ex consequenti easdem decidendi. Idem jus competit soli imperanti summo (§. 1061.).

§. 1102. Dari potestatem judiciariam, quæ tribuitur summis imperantibus ob jus puniendi, sibi competens, §. 1059. indicavimus. Incidimus itaque in *doctrinam de pœnis civilibus generalem*, quam sibi vindicat disciplina nostra.

§. 1103. Jus puniendi tendit ad promovendam securitatem & felicitatem publicam, idque vi pacti (§. 804.). Pœnæ itaque civiles sunt mala arbitraria, quæ tanquam motiva ab imperante summo copulantur cum actionibus civium; idque ob conservationem securitatis & felicitatis publicæ (§. 780.).

§. 1104. Mala ejusmodi sunt jactura facultatum, jurium, honorum, famæ, membrorum corporis & vitæ, dolores, exclusio a muneribus, & similia alia.

§. 1105. Pœnæ civiles sunt remedia, quibus utuntur summi imperantes ad conservationem boni publici (§. 511, E. 509. 1103.).

§. 1106. Notemus finem pœnarum civilium, cui in hac materia inhærendum nobis erit, & præter quem nullum alium propiorem in republica cognoscimus (§. 509.).

§. 1107. Actiones civium, securitatem & felicitatem publicam turbantes, dicuntur *delicta*. Quæ eo majora sunt, quo magis bonum publicum illis turbatur.

§. 1108. Delicta sunt actiones civium, quibus vel civitas integra, ejusve imperantes, vel cives, nec minus aliæ civitates, earumve cives læduntur & violantur. (§. 513. 1107.).

§. 1109. Pœnæ sunt remedia, quibus uti possunt summi imperantes ad delicta civium coercenda. (§. 1103, 1105. 1107.).

§. 1110.

§. 1110. Remedium est causa finis, tanquam effectus (§. 511. 202. E.). Et quicquid causa finis, tanquam effectus, non est, illud pro remedio haberi non meretur.

§. 1111. *Causa adaequata* dicitur, quae nec plus, nec minus in se continet, quam quod ad producendum effectum requiritur. Appellatur etiam *causa effectui aequalis* seu *proportionata*. *Causa inadaequata est*, quae vel plus, vel minus in se continet, quam quod ad producendum effectum requiritur. Dici etiam potest *causa effectui inaequalis minus, proportionata*. *Causam inadaequatam* esse *effectu* vel *majorem* vel *minorem*, facile patet. Prioris pars est effectui aequalis seu proportionata; posterior est aequalis parti causae, quae proportionata est effectui.

§. 1112. *Remedium fini proportionatum* est causa finis adaequata. *Remedium fini minus proportionatum* est causa finis inadaequata.

§. 1113. Remedium fini proportionatum nec plus, nec minus in se continet, quam quod ad consequendum finem requiritur. (§. 1112. 1111.)

§. 1114. Remedium fini minus proportionatum vel plus, vel minus in se continet, quam quod ad consequendum finem requiritur. (§. 1112. 1111.). *Ejusmodi remedia fini minus proportionata sunt fine consequendo* vel *majora*, vel *minora*. (§§. cit.).

§. 1115. Remedia, fine consequendo minora, nomen remediorum non mereri, patet ex §. 511. E. 1114.

§. 1116. Poenae civiles sunt remedia, quibus utuntur summi imperantes ad conservationem boni publici. (§. 1105.). Poenae ergo civiles sunt remedia conservando bono publico proportionata, quae nec plus, nec minus in se continent, quam quod ad conservationem salutis publicae requiritur. (§. 1113.).

§. 1117. Poenae civiles sunt mala, ab arbitrio imperantium pendentia (§. 780.). Illud itaque, quod continetur in poenis, est malum arbitrarium. Poenae itaque, quae nec

plus, nec minus in se continent, quam quod ad conservationem salutis publicæ requiritur, sunt illæ, quæ nec plura, nec minora mala in se continent, quam quæ ad conservationem boni publici requiruntur. *Pœnas* prioris generis *acerbiores seu duriores*, posterioris vero *mitiores seu leniores conservatione boni publici* vocabimus. Quæ divisio de quocunque fine pœnarum, cum conservatione boni publici connexo, adnotanda est. Pœnas fini obtinendo minus proportionatas esse eo vel acerbiores, vel minores, perspectu facile est.

§. 1118. Pœnæ civiles sunt remedia proportionata conservando bono publico, quæ nec acerbiores, nec mitiores sunt conservatione salutis publicæ. (§. 1116. 1117.).

§. 1119. Conservatur bonum publicum, si avertantur ea, quibus illud interturbatur. Pœnæ ergo civiles sunt remedia conservando bono publico proportionata, quæ nec acerbiores, nec mitiores sunt, quam propulsatio eorum, quæ illud interturbant, (§ 1118.).

§. 1120. Pœnæ civiles sunt proportionatæ conservando bono publico, quæ nec duriores nec mitiores sunt, quam quæ ad coërcenda delicta civium requiruntur. (§. 1119. 1107.).

§. 1121. Pœnæ civiles sunt remedia saluti publicæ conservandæ minus proportionata, quæ vel acerbiores, vel mitiores sunt conservatione boni communis (§. 1105, 1114. 1117.).

§. 1122. Pœnæ, quæ coercitione delictorum civium nec acerbiores, nec mitiores sunt, nec plura, nec minora mala in se continent, quam quæ ad coercitionem delictorum requiruntur, & consequenter nec plus, nec minus in se continent, quam quod ad compescenda crimina requiritur, atque adeo sunt remedia proportionata coercendis delictis (§. 1113.).

§. 1123. Pœnæ civiles sunt proportionatæ conservando bono publico, quæ proportionatæ sunt compescendis delictis. (§. 1120. 1122.).

§. 1124. Thesin eandem etiam sic demonstramus. Quæ pœna

pœnæ sunt proportionatæ conservando bono publico, eæ etiam sunt proportionatæ reprimendis iis actionibus civium, quæ turbant bonum publicum, h. e. compescendis delictis civium (§. 1107.).

§. 1125. Propositio præcedens potest converti. Pœnæ, quæ proportionatæ sunt compescendis delictis, etiam proportionatæ sunt compescendis actionibus civium, securitatem & salutem publicam turbantibus (§. 1107.), & consequenter ipsi bono publico conservando.

§. 1126. Pœnæ, quæ delictis compescendis proportionatæ non sunt, nec sunt proportionatæ conservando bono publico (§. 1123.).

§. 1127. Pœnæ, bono publico conservando mitiores, nomen pœnarum non merentur. (§. 1115. 1117. 1105.). Id quod facili negotio ad pœnas, coercitione delictorum leniores, applicandum est.

§. 1128. Ex repræsentatione malorum oritur reclinatio mentis seu aversatio, (§. 155. 175. E.). Pœnæ itaque civiles eo tendunt, ut ex earum repræsentatione in animis civium subjectorum excitetur reclinatio a committendis actionibus securitatem & felicitatem publicam turbantibus (§. 1103.).

§. 1129. Ex repræsentatione malorum futurorum, oritur *metus, timor*, &, pro ratione acerbitatis eorum, *terror*. Pœnæ itaque civiles eo tendunt, ut illæ in subjectis civibus, qua bonum publicum turbaturis, excitent metum & terrorem, ad eum effectum, ut a conatu conturbandi salutem publicam refrenentur. (§. 1103.).

§. 1130. Pœnæ civiles sunt remedia, quibus cives subjecti reclinari & deterreri debent a conatu conturbandi securitatem & felicitatem publicam. (§. 511. E. 1128. 1129.).

§. 1131. Finis pœnarum civilium est suscitatio metus, in animis subjectorum civium oriundi (§. 1130.), eosque a turbatione salutis communis refrenantis.

§. 1132. Mala, quæ metum & terrorem non incutiunt civibus, conatum turbandi bonum publicum habentibus, pro

pro pœnis civilibus, intuitu deficientis effectus, haberi non possunt. (§. 1130. 1131. 1115.).

§. 1133. Si pœnæ civiles hominibus facinorosis non infligantur, alii ad similia facinora grassantes, saltem de certitudine inflictionis pœnarum dubitare incipiunt. Quo facto cum metus & terror, quem tamen pœnæ in animis civium malorum producere debent (§. 1131.), vel nimium quantum minuatur, vel plane evanescat; hoc casu etiam pœnæ civiles tales non sunt, intuitu deficientis effectus. (§. 1132.).

§. 1134. Pœnæ civiles ita comparatæ esse debent, ut iis, tanquam remediis (§. 511. E.), cives subjecti a lædenda civitate sua, a lædendisque summis imperantibus & civibus, nec minus ab injuriis, societatibus & civitatibus aliis, earumque civibus inferendis, refrenentur. (§. 513. 1103.).

§. 1135. Eædem sunt remedia proportionata reprimendis civibus subjectis a lædenda civitate, a lædendisque summis imperantibus & civibus, nec minus ab injuriis, societatibus & civitatibus aliis, earumque civibus inferendis, quæ nec acerbiores, nec mitiores sunt, quam obtentio horum finium id requirat. (§. 1113. 1117. 1134.).

§. 1136. Quibus casibus pœnæ civiles sint remedia minus proportionata finibus, jamjam commemoratis, & quandonam in eodem scopo obtinendo sint vel duriores, vel mitiores, ex §. 1134. 1114. 1117. clarum est.

§. 1137. Justitia civium externa consistit in eorum actionum convenientia cum LL. civilibus. (§ 818.). Sed LL. civiles eo tendunt, ut cives abstineant a lædenda civitate integra, a lædendisque imperantibus summis, aliisque civibus, nec minus a læsionibus, societatibus & civitatibus aliis, earumque civibus, inferendis (§. 803. 513.); justitia ergo civium subjectorum externa in abstinentia ab hisce læsionibus omnibus consistit. Enimvero pœnæ civiles sunt remedia, quibus cives subjecti ad eandem abstinentiam læsionum compelli debeant (§. 1134.); *pœna* itaque *civiles*

civiles sunt remedia, quibus cives subjecti ad cultum justitiæ saltem externæ adigi possint.

§. 1138. Quænam pœnæ sint remedia huic fini consequendo vel proportionata vel minus talia, eaque eodem scopo vel acerbiora, vel leniora, ex §. 1134. 1114. 1117. dijudicandum erit.

§. 1139. Pœnæ, quæ remedia sunt eodem fine consequendo mitiora, nomen pœnarum civilium non merentur. (§. 115. 1138. 1117.).

§. 1140. Actiones, quæ securitatem & felicitatem publicam non turbant, pœnis civilibus dignæ non censentur. (§. 1103. 1119.).

§. 1141. Actiones subjectorum, quibus nec civitas integra, nec ejus imperantes, aliique cives, nec societates & civitates aliæ, earumque cives læduntur, nec alias felicitas publica interturbatur, pœnis civilibus dignæ non judicantur. (§. 1140. 1134.).

§. 1142. Status, ubi alicui mala haud levia metuenda sunt, dicitur *periculum*.

§. 1143. *Periculum, in quod conjicitur respublica*, est status, ubi mala haud levia illi metuenda veniunt. (§. 1142.).

§. 1144. Damna haud levia (§. 749. E. 1143.), & consequenter læsiones haud leves (§. 749. E.), reipublicæ metuendæ, conjiciunt eam in periculum.

§. 1145. Violatio securitatis publicæ, civitati metuenda, eamque in periculum conjicit. (§. 1143. 513.).

§. 1146. Delicta sunt actiones, quibus respublica conjicitur in periculum. (§. 1107. 1145.).

§. 1147. Quo majores læsiones, & quo graviora damna civitati metuenda sunt, eo majus periculum est, in quod illa conjicitur. (§. 1144).

§. 1148. Quo major securitatis publicæ violatio civitati metuenda est, eo majus periculum est, in quod ea conjicitur. (§. 1147. 513.).

§. 1149. Pœnæ civiles sunt remedia, quibus cives sub-

jecti refrenantur ab actionibus, quæ rempublicam in periculum conjiciunt. (§. 1134. 1144.). Idem etiam patet ex (§. 1105. & 1145.).

§. 1150. Quibus casibus pœnæ civiles sint remedia, avertendo periculo, cui subjicitur respublica, minus proportionata, ex §. 1114. 1149. perspicitur.

§. 1151. Pœnæ civiles sunt remedia periculo, a republica avertendo, proportionata, quæ nec acerbiores, nec mitiores sunt averruncatione ejusdem periculi. (§. 1149. 1113. 1117.).

§. 1152. Pœnas, periculo, in quod actionibus civium conjicitur respublica avertendo mitiores, nomen pœnarum civilium non mereri, ex §. 1149. 1115. 1117. cognoscimus.

§. 1153. Jus puniendi eousque se extendit, quousque patet securitas & felicitas publica. (§. 804.). Hinc idem jus porrigitur ad ejusmodi pœnas, quæ nec duriores, nec mitiores sunt, quam id a securitate & felicitate publica requiratur. (§. 1117.). Vnde certum est, quod summi imperantes gaudeant jure confugiendi ad ejusmodi pœnas, quæ proportionatæ sunt securitati & felicitati publicæ conservandæ. (§ 1118.).

§. 1154. Principes summi gaudent jure utendi pœnis, quæ proportionatæ sunt reprimendis civibus subjectis a lædenda civitate, a lædendisque imperantibus & civibus, nec minus ab injuriis, societatibus aliis, earumque civibus inferendis. (§. 513. 1153.).

§. 1155. Imperantes jure pollent abhibendi ejusmodi pœnas, quæ proportionatæ sunt compellendis civibus subjectis ad justitiam actionum externam colendam (§. 1137. 1154.).

§ 1156. Imperantes jure gaudent recurrendi ad ejusmodi pœnas, quæ proportionatæ sunt periculo, in quod læsiones civium subjectorum rempublicam conjicere possint. (§. 1154. 1144.).

§. 1157. Imperantes jure gaudent adhibendi, pœnas quæ proportionatæ sunt delictis. (§. 1153. 1123.).

§. 1158.

1158. Cum pœnæ, coercitione delictorum mitiores, pœnarum nomen non mereantur (§. 1127.), nec eæ debeant esse obtentione ejusdem finis acerbiores (§. 593.); pœnas civiles delictis minus proportionatas non esse debere, patet ex §. 1117.

§. 1159. Pœnæ civiles sunt vel delictis minus proportionatæ, vel proportionatæ (§. 1109. 1112.). Ad priores jus puniendi sese non extendit (§. 1158.); ergo tantum ad posteriores illud porrigitur. Vnde concipimus brocardicum: *pœna debent esse proportionata delictis.*

§. 1160. Crescentibus, decrescentibus, cessantibus, reviviscentibus delictis, jure crescunt, decrescunt, cessant, reviviscunt pœnæ. (§. 1159.).

§. 1161. Obligantur imperantes & Deo (§. 578.) & reipublicæ, idque ad mensuram conventionis, promovere bonum publicum (§ 597.), quod est finis communis reipublicæ. (§ 486.). Vnde & Deo & reipublicæ obstringuntur imperantes arripere remedia, quibus bonum publicum obtineri possit, & removere ea omnia, quibus salus publica interturbetur § 599.).

§. 1162. Deo & reip. obligatur imperans ad usum remediorum, quibus actiones civium, securitatem & felicitatem publicam turbantes, coerceri possint. (§. 1161.). Ejusmodi remedia sunt pœnæ. (§. 1109.). Hinc deficientibus aliis remediis mitioribus, imperantes Deo & reipublicæ idque vi pacti obstringuntur recurrere ad pœnas, quibus civium actiones, securitatem publicam turbantes, coerceri possint, & quæ consequenter conservando bono publico proportionatæ sunt. (§. 1115.).

§. 1163. Imperantes obligantur ad civium delicta pœnis, bono publico conservando proportionatis, ipso actu coercenda. (§. 1162. 1107. 1133.).

§. 1164. Ex imperantium obligatione vi pacti promovendi bonum publicum intelleximus eorum obligationem arripiendi remedia, quibus illud promoveri possit. (§. 597. 599.)

§. 1165. Quousque itaque patet imperantium obligatio bonum publicum vi pacti promovendi, eousque etiam extendenda est eorum obligatio ad usum remediorum, quibus bonum publicum obtineri possit. (§. 1164.). Quousque patet principium, eousque etiam porrigitur inde dependens principiatum.

§. 1166. Quousque non patet imperantium obligatio bonum publicum vi pacti promovendi, eousque etiam non extendenda est obligatio arripiendi remedia, quibus bonum publicum promoveri possit. (§. 1164.), Quousque non patet principium, eousque etiam non extendendum est inde dependens principiatum.

§. 1167. In cognoscendis obligationum & jurium socialium limitibus probe reflectendum est non solum ad finem sociorum conventum (§. 66.), sed & ad earum, eorumve dependentiam a se invicem, idque juxta doctrinam de principio & principiato (§. 42. E.), nec minus de iis, quae a se invicem dependent (§. 909. E.). Id quod praecipue tenendum est de imperantis officiorum & jurium limitibus introspiciendis.

§. 1168. Ex principum obligatione arripiendi remedia, quibus bonum publicum promoveri possit, cognoscimus eorum officium adhibendi remedia, quibus actiones civium, securitatem & felicitatem publicam turbantes, coerceri possint. Porro ex hocce officio derivatur imperantium obligatio puniendi delicta civilia (§. 1163. 1162.). Ex principum ergo obligatione arripiendi remedia, quibus bonum publicum promoveri possit, perspicimus eorum obligationem puniendi delicta civilia.

§. 1169. Ex imperantium obligatione vi pacti promovendi bonum publicum concipitur eorum obligatio puniendi delicta civilia. (§. 1164. 1168.).

§. 1170. Quousque patet imperantis officium arripiendi remedia, quibus bonum publicum promoveri possit, eousque etiam se extendit eorum obligatio puniendi delicta. (§. 1168.).

§. 1171.

§. 1171. Quousque porrigitur imperantis obligatio promovendi bonum publicum vi pacti, eousque se extendit ejusdem officium puniendi delicta civilia (§. 1170. 1165.).

§. 1172. Principes ad contradictoria (§. 306. E.), & consequenter ad promovendum & non promovendum bonum publicum simul non obligantur. Hinc si principes ad alterum ex contradictoriis obligentur, ad alterum obstricti esse nequeunt. Enimvero imperantes obligantur vi pacti ad promovendam salutem publicam (§. 597.), iidem ergo ad suscipiendos actus, quibus non promovetur bonum publicum, obligati esse non possunt. Id quod multo magis ad actus reipublicæ detrimentosos & nocivos applicandum est.

1173. Interest reipublicæ, ut cumprimis ratio habeatur eorum, qui de eadem optime promeriti sunt, vel a quibus civitas adhuc multa præclare expectare possit. Publici egregii maximopere refert, ut conserventur, neque adeo e medio tollantur ejusmodi viri, merito ratiori & delicti demeritum longe superanti, insignes.

§. 1174. Imperantis officium puniendi delicta civilia extendi non potest ad pœnæ inflictionem, qua bonum publicum non promoveretur, vel quæ eidem detrimentosa & nociva esse possit (§. 1172.).

§. 1175. Principis obligatio puniendi delicta civilia extendi non potest ad homines delinquentes, qui de republica præclare promeriti sunt, vel quorum opera civitas non facile carere potest, pœna e medio tollendos (§. 1173. 1174.)

§. 1176. *Venia conceditur delinquentibus*, qui a perpessione pœnæ exemti declarantur, seu quorum peccatum commissum impune pronunciatur.

§. 1177. Imperantes jure gaudent eo despiciendi, ne respublica detrimentum capiat, neve bono præstantiori privetur (§. 597.). Unde & ipsis jus tribuendum est veniam concedendi delinquentibus, de se & republica insigniter promeritis vel merentibus (§. 1176. 1173.). Idem jus etiam intelligitur ex jure principis utendi exceptione a regula, si

salus reip. id exegerit (§. 683.). Principi in exercitio juris puniendi obversantur ob oculos duæ regulæ, quarum altera ad conservationem boni publici, altera vero ad delictorum commissorum actualem coercitionem redit. Ponas quod observatio regulæ posterioris casu dato salutis publicæ conservationi vel incremento contradicat, recurrendum erit imperanti ad exceptionem a regula posteriori. Ex ejusmodi usu exceptionis a regula elucere justitiam imperantis, perspicies ex §§. 690. 691., si cum hypothesi, ibi proposita, eam, de qua nobis jam sermo est, commutaveris. Nec minus heic loci perpendi merentur, quæ §§. 692. 693. intuitu justitiæ principis internæ indicavimus.

§. 1178. Imperantium juri puniendi delicta respondet obligatio, quæ subnascitur in toto populo, non solum concedendi iisdem liberum illius juris exercitium (§. 226.), sed & ad illud conferendi robur suum (§. 562.).

§. 1179. A populi consensu in boni publici conservationem & amplificationem, vi conventionis imperanti commissam, ad illius consensum in jus turbatores salutis publicæ puniendi, in illiusque exercitium recte concluditur. (§. 606. 1105.).

§. 1180. Repugnantia cum jure alterius est læsio. (§. 787. E.). Quicunque itaque impedit imperantes summos, quo minus illi jus puniendi exercere possint, is eos lædit. Hoc applicandum & ad populum, quem gubernet princeps, & ad alios populos.

§. 1181. Obligatio civilis, active sumta (§. 320. E.), sola civium renitentium coactione absolvitur (§. 783.). Hinc obligatio civilis, pro qualitate passiva accepta (§. 320. E.), in sola coactionis civilis perpessione consistit.

§. 1182. Cum jure puniendi copulatum est jus actu infligendi pœnas civibus facinorosis (§. 1133.), & cum hoc jure connexum est jus cogendi delinquentes, ut sibi pœnam promeritam actu infligi patiantur (§. 775. E.). Id quod applicandum est ad actus, qui pœnæ inflictioni antecedunt vel

eam

eam comitantur. Huic juri cogendi respondet in delinquentibus obligatio civilis perferendi, ut ad pœnam promeritam sibi infligendam cogantur (§. 226.), quæ adeo est perpessio coactionis civilis, eo tendentis, ut pœna eis actu infligatur.

SCHOLIVM. Si consideres §§. 535.537. Exerc. & indolem legum civilium, nova ratione obligationem delinquentium ad perferendam pœnam intelliges. Priorem demonstrationem eam ob causam urgere voluimus, ut simul nancisceremur occasionem obviam eundi objectionibus, ob quas universalitatem argumentationis a jure unius ad obligationem alterius viri quidam doctissimi admittere dubitaverunt.

§. 1183. Vnde perspicimus non solum, dari in delinquentibus obligationem perfectam, quæ imperantis juri cogendi eos ad perferendam pœnam, & consequenter ejusdem juri puniendi respondet, sed & simul ex §. 1181. patet, eandem obligationem perfectam in nulla re alia consistere posse, quam in perpessione jam memorata.

§. 1184. Cum obligatio perfecta, quæ subnascitur in delinquentibus ad perferendam pœnam, sola perpessione coactionis civilis, eo tendentis, ut perferant pœnam, absolvatur (§. 1183.); in eadem obligatione non nisi ad coactam pœnæ promeritæ perpessionem reflectitur. Spontanea perpessio non est perpessio coacta (§. 186. lit. c. & 579. E.). Vnde patet, quod in eadem in obligatione non quæratur de spontanea pœnæ promeritæ perpessione, neque adeo de illius possibilitate vel impossibilitate.

§. 1185. Ponas itaque, quod spontanea pœnæ promeritæ perpessio, & consequenter ejusmodi delinquentis obligatio ad perferendam poenam stimulo se conservandi repugnet, atque ita naturaliter impossibilis sit, (§. 307. E.), exinde non sequeretur, ut juri principum puniendi plane nulla responderet in delinquentibus obligatio ad perferendam pœnam, quippe quæ non spontanea, sed coactæ pœnæ perpessione absolvitur (§. 1184.). §. 1186.

§. 1186. In obligatione delinquentium ad pœnam promeritam luendam, in §. 1182. demonstrata, inhæsi argumentationi a jure unius ad obligationem alterius perfectam. Quæ argumentatio inconcussa manet, quamdiu in principiis, demonstrationem ingredientibus, & eorum nexu nihil desiderari possit. Eadem argumentatione in nostra materia usus est THOMASIUS *in Ipr. div.* L. III. c. VII. §. 67. Verba ejus hæc sunt: *si superior habet jus erga delinquentem ei inferendi pœnam, necesse esse, ut huic juri in delinquente correspondeat obligatio, quia jus & obligatio sunt correlata, quorum unum sine altero existere nequit.*

§. 1187. Nec erit, cur deseramus perpetuam hanc juris & obligationis correlationem, ex principiis disciplinæ nostræ satis demonstratam, licet ei objiciantur casus, qui universalitatem theseos nostræ videntur infringere. Certum est; quod thesin aliquam, juxta leges demonstrationis evictam, jure habeamus & debeamus habere pro vera, licet nesciamus, nec resolvere valeamus omnia dubia, quæ ejusmodi thesi, sat demonstratæ, opponi possint. Veritas alicujus thesios & convictio de eadem veritate a demonstratione illius & a nostra perspicientia principiorum certorum & nexus eorundem legitimi dependet, minus vero ab enodatione objectionum possibilium, quarum numerus nobis ne cognitus quidem esse potest, originem trahit. Ponas, quod veritas alicujus propositionis & nostra de eadem convictio etiam a resolutione omnium dubiorum dependeat; omnis veritas, omnisque convictio nostra de eadem non nisi provisionalis esset, cum impossibile sit, ut omnes objectiones possibiles, quæ contra propositionem aliquam demonstratam formari possunt, nobis innotescant. Sufficit, quod thesis aliqua veritatem suam nanciscatur a demonstratione legitima & inconcussa, & quod omnes objectiones, contra veritatem demonstratam subortæ, excogitatu possibiles, in se etiam enodatu possibiles sint. Sic Theologi, sic JCti, sic Medici, sic Mathematici, sic Philosophi de thesi sufficien-

ter probata convicti sunt, licet non omnes objectiones, contra eam formatu possibiles, quas ne nosse quidem possunt, resolverint. Probe hic notandum, quod ea, quæ jam dicta sunt, de veritate, in systemate jamjam satis demonstrata, sint intelligenda. Nam si propositionem aliquam ex principiis non concipiamus, objectiones omnino dubios nos reddere possunt de illius veritate & universalitate.

§. 1188. Quæ in §§. 1186. 1187. monuimus, ea perpendenda sunt iis, quos dubia, contra thesin aliquam, utut demonstratam, prolata, de illius veritate dubios efficiunt, & qui eam ob rem statim deserunt vadimonium.

§. 1189. Cum argumentatio illimitata & perpetua a jure unius ad obligationem alterius sit maximi momenti in concipiendo Jure Naturali & Gentium, etiam iis, qui urgent enodationem dubiorum, satisfaciendum esse existimavimus, ut eo securiores fiant de correlatione juris & obligationis perfectæ, superius licet ope demonstrationis satis corroborata. Objectio, qua universalitas correlationis, de qua loquimur, premi visa est, & quam jus necessitatis progeneravit, §. 229. enodata est. Jus puniendi, imperantibus vindicandum, jus defensionis & jus cogendi, utrique belligerantium tribui solitum, progenuere nova dubia, ad quæ GUNDLINGIUM etiam reflexisse, ex §. LVII. c. 1. I. N. G. constat. *Ubi obligatio*, inquit, *ibi ab altera parte jus est: non autem ubi jus, ibi* SEMPER *obligatio. Postremum intelliges, si hominem in statu bellico consideres, aut saltem periculo, ubi de sua solum conservatione est sollicitus. Ita in bello unicuique belligeranti competit jus cogendi alterum; neuter autem obstrictum se sentit, cogi ut se patiatur, aut indefensus pereat.* Quibus jungatur §. XLIII. c. XXXVI, ubi de obligatione delinquentis ad pœnam ita disserit: *Si ita explicentur verba,* AD POENAM OBLIGARI, *peccantem mereri pœnam, consentio. Sin ea ratione, ac si peccans sit obstrictus, ut ipse sese reum profiteatur, nec*

trahen-

trahentibus ad pœnam repugnet, subsiste: cum nemo sit obligatus ad id, quod fieri per naturæ humanæ conditionem nequit: ad quod argumentum nondum respondit BARBEYRACIUS, contrariam opinionem amplectens. Hucusque GUNDLINGIUS, cujus cogitata expensu digna sunt. Ex loco altero perspicimus, eum tantum negasse obligationem delinquentis ad pœnam, si ea per spontaneam pœnæ perpessionem explicetur. De qua cum nostro casu nulla sit quæstio, neque adeo heic loci disputandum sit de illius possibilitate vel impossibilitate (§. 1184.); cum nobis hac in re contrarium non fuisse per se patet, licet ei intercesserit contradictorium cum BARBEYRACIO.

§. 1190. Si sumseris sententiam GUNDLINGII, consideres §. 1185.; sin vero cum BARBEYRACIO posueris obligationem, de qua sermo est, in spontanea pœnæ perpessione, illa pro correlato juris puniendi haberi non potest (§. 1183.), licet ei concedere velimus possibilitatem spontaneæ pœnarum perpessionis; cum dentur homines, quos instinctus se conservandi stimulare possit, ut ob fugam cruciatuum æternorum, tanquam malorum maximorum, ad pœnæ perpessionem spontaneam, tanquam malum minus, confugiant. Notum est, quod ab actu ad possibilitatem secure concludere possimus. Utrum in foro poli vera detur obligatio sponte se offerendi pœnæ, hoc doctoribus theologiæ moralis, in partes contrarias scissis, discutiendum relinquimus.

§. 1191. In expendenda sententia BARBEYRACII in genere probe considerandum, quod obligatio non nisi perfecta & externa, juri perfecto, tanquam correlato respondeat, & quod ex consequenti obligatio interna non debeat haberi pro correlato ejusdem juris.

§. 1192. Quod attinet ad delinquentium obligationem se ipsos profitendi reos, quam naturaliter impossibilem GUNDLINGIUS pronunciat, de eadem tenendum est, quod de obligatione ad pœnam diximus. Ponas ejusmodi obli-

gatio-

gationem perfectam, ei respondet imperantium jus cogendi delinquentes, ut confiteantur delicta. (§. 780. E.). Huic juri cogendi respondet in delinquentibus *obligatio civilis* perferendi, ut *ad confessionem delicti* cogantur (§. 226.), quæ adeo est perpessio coactionis civilis, eo tendentis, ut confiteantur delictum. Eandem obligationam esse solam ejusmodi perpessionem, ex §. 1181. patet. Hinc in eadem obligatione non nisi ad coactam delicti confessionem reflectitur. Spontanea confessio non est confessio coacta. (§. 186. lit. c. & 579. E.). Vnde clarum est, quod in eadem obligatione non quæratur de spontanea delicti confessione, neque adeo de illius possibilitate vel impossibilitate.

§. 1193. Ponas itaque quod spontanea delicti confessio & consequentet ejusmodi delinquentis obligatio ad confessionem delicti stimulo se conservandi repugnet, atque ita naturaliter impossibilis sit (§. 307. E.); exinde non sequetur, ut juri principum adigendi delinquentes ad confessionem delicti, & consequenter juri puniendi nulla plane respondeat obligatio ad confessionem sceleris, quippe quæ non spontanea, sed coacta delicti confessione absolvitur (§. 1192.), quatenus quippe delinquens a magistratu cogatur ad dicendam veritatem quæstione, quam appellitamus *torturam*, & quatenus convincatur per testes. Conf. §. 44. c. XXXVI. I. N. GVNDLINGII. Notus est modus negantem ita constringendi argumentis, ut plane habeat nihil, quod respondeat amplius cum ratione, licet rem sponte fateri nolit.

§. 1194. Si sumseris sententiam GVNDLINGII, consideres §. 1193.; sin vero cum BARBEYRACIO collocaveris obligationem, de qua loquimur, in spontanea criminis confessione, illa pro correlato juris puniendi reputari nescit (§. 1192.).

§. 1195. Ex jure puniendi patebit, quod principi competat jus cogendi delinquentes ad confessionem delicti, unde & simul obligatio, illi in delinquente respondens, intelligetur,

getur. Hoc loco de canone nostro, ab objectione liberando, solliciti fuimus.

§. 1196. *Existimavit* GUNDLINGIUS, *primum falsum* BARBEYRACII *aliorumque in eo cubare, quod juri magistratus obligationem delinquentis respondere contendant: cum tamen supra a nobis sit ostensum, fallere canonem: ubi jus, ibi ex altera parte obligatio. Finge enim, pergit, tres quatuorve in tabula salutem ex naufragio quaerere. Habet unusquisque, si tabula tot sessores non ferat, jus propellendi alterum, sed neuter vero, ut se patiatur propelli, obligatus erit naturaliter.* Hucusque GUNDLINGIUS in §. XLIV. c. XXXVI. I. N. G. Hoc loco infringit vir, merito alias suo insignis, canonem ex jure necessitatis; sed §. 229. demonstratum est, neutrum hoc casu extremae necessitatis habere jus propellendi alterum. Et recte quidem V. C. BARBEIRACIUS aliique ad illum canonem provocant in affirmanda obligatione delinquentis ad confessionem delicti & ad poenam luendam, dummodo eadem obligatio non per spontaneam, sed per coactam delicti confessionem & poenae promeritae perpessionem explicetur, ceu a nobis ante ostensum est.

§. 1197. In liberando canone nostro a dubiis viri ingeniosissimi restant ea, quae in loco, §. 1189. allegato, a jure defensionis & a jure, utrique belligerantium tribui solito, desumsit, & quae esse enodatu possibilia, ex indole obligationis perfectae, quae sola est correlatum juris, manifesto commonstrabimus.

§. 1198. Quatenus quis ad actionem suscipiendam, vel omittendam juxta leges stricte dictas ab aliis cogi possit, externe & perfecte is obligatus esse dicitur (§. 762. E.). Hinc obligatio perfecta eo tantum tendit, ut, si quis ejusmodi actionem suscipiendam omittere, vel omittendam suscipere velit, is juxta leges stricte dictas, h. e. jure, pati debeat coactionem vel secundum quid, vel simpliciter sumtam. (§. 579. E.).

§. 1199.

§. 1199. Unde patet, quod obligatio externa, generatim sumta, in sola alterius eventuali & coacta legitimæ coactionis perpessione consistat, si quippe alter vel omittendam actionem suscipere, vel suscipiendam omittere velit (§ 1198.).

§. 1200. Ponas ergo, quod alter actionem omittendam actu suscipere, vel suscipiendam actu omittere velit, tunc existit conditio, sub qua alter, qui jure suo uti velit, ad legitimam coactionem actu recurrere possit, & sub qua alter eandem coactionem legitimam actu pati debeat.

§. 1201. Existente casu, quo alter, qui jure suo uti velit, ad legitimam coactionem actu recurrere possit, obligatio externa & perfecta, illi juri respondens, in sola alterius actuali & coacta coactionis legitimæ perpessione consistit (§. 1199. 1200.).

§. 1202. Hoc attributum proprium obligationis externæ cum ex ea, generatim sumta, derivetur (§. 1198.), ad obligationem perfectam & naturalem & civilem, & consequenter ad obligationem delinquentis ad confessionem delicti & ad pœnam applicari potest. Idem attributum competere obligationi civili, ex ejus natura §. 1181. speciatim jamjam evicimus.

§. 1203. Coacta perpessio non est spontanea perpessio (§. 186. lit. c. & 579. E.). Unde patet, quod existente casu, quo alter in exercitio juris sui ad legitimam coactionem actu recurrere possit, obligatio alterius externa, illi juri respondens, non in spontanea coactionis legitimæ perpessione consistat (§. 1201.).

§. 1204. Uti eventualis perpessio coactionis incussione metus, ex malis, alteri repræsentatis, subnascendi, absolvitur (§. 583. E.); ita actualis perpessio coactionis in actuali malorum externorum perpessione consistit, quorsum jacturam bonorum, famæ, vulnera, amissionem membrorum corporis, & mortem, doloribus plenissimam, referre debemus.

§. 1205. Defensor jure gaudet aggressoris corpus vel

vulnerandi, vel mutilandi, vel interficiendi, si ei quidem nullum suppetat aliud remedium, periculo, in quod conjectum se sentit ab invasore, a se avertendo proportionatum. (1190. E.). Cui juri defensoris respondet in invasore obligatio perfecta, quæ in sola ejus actuali & coacta vel vulnerum, vel mutilationis membrorum corporis, vel interfectionis legitimæ perpessione consistit. (§. 1201. 1204.).

§. 1206. Ex §. procedenti patet, quod obligatio aggressoris non in spontanea vel vulnerationis, vel mutilationis, vel interfectionis perpessione collocari debeat.

§. 1207. Quantum ad ultimum dubium, a statu hominum bellico desumtum, attinet; ponamus in bello unicuique belligerantium jus competere cogendi alterum; hujus obligatio externa in sola extorta coactionis bellicæ legitimæ perpessione consistit. (§. 1201.). Coactio bellica expugnationem urbium, devastationem terrarum hostilium, debilitationem vel deletionem copiarum, & alia remedia coactiva complectitur. Vnde manifestum erit, obligationem belligerantium non in spontanea ejusmodi malorum perpessione collocandam, neque adeo eo extendendam esse, ut illi *indefensi* expectent interitum & patiantur. Quorsum redire dubium GVNDLINGII, ex ejus verbis, §. 1189. allegatis, perspicimus.

§. 1208. Correlationem juris obligationis perpetuam satis vindicatam esse existimo a dubiis ingeniosis, quorum enodationem, quæ nobis præbuit occasionem propius inspiciendi obligationis externæ indolem, declinare nolui.

§. 1209. Actiones, quæ pœnis civilibus dignæ habentur, præsupponunt DEMERITVM (§. 418. E.) CIVILE dictum, & consequenter imputabiles esse debent (§. 423. E.), idque ad sustinendam pœnam civilem.

§. 1210. Actionem, pœna civili coercendam, esse meritoriam, admittendum est, sive illam ipsam, sive ejus consequens, pœnam quippe cum ea ab imperante copulatam, pro merito sumseris. (§. 418. E.).

§. 1211.

§. 1211. Demeritum civile præsupponit actus pravitatem (§. 418. E.) & consequenter non solum illius moralitatem, civiliter talem, sed etiam pugnantiam cum LL. civilibus. (§. 818.).

§. 1212. Quicunque actus civium civiliter mali non sunt, neque adeo pugnant cum LL. civilibus, illis non tribuitur demeritum civile (§. 1211.).

§. 1213. Unde & cognoscimus demeriti civilis terminos. Nec minus patet, pro diversitate LL. civilium, etiam variare demeritum ejusdem generis. Hinc contingere potest, ut actus, qui in una civitate demeritorii sunt, in alia pro talibus non habeantur.

§. 1214. Actiones per se bonæ vel per se malæ (§. 327. E.), stipantur præmiis vel pœnis mere naturalibus, iisque divinis (§. 366. E.). Datur itaque actionum meritum vel demeritum mere naturale. §. 418. E. Nec minus usu rationis concipimus pœnas & præmia divina positiva (§. 1450. E.), quibus sanctissimum & justissimum Numen homines commovere voluit ad fugienda prave facta & ad bonas actiones expediendas.

§. 1215. Actiones per se malæ sunt demeritoriæ in foro interno. (§. 1214. Sp. & 738. 421. E.). Actiones per se malæ sunt eæ, quibus violatur jus Naturæ (§. 352. E); unde patet, quod actiones, quibus LL. naturales violantur, sint demeritoriæ in eodem foro.

§. 1216. Si leges naturales in civitate sanctione pœnali arbitraria communiantur, actiones, quibus illæ violantur, in foro & interno (§. 1215.) & externo civili demeritoriæ sunt. (§. 1209.).

§. 1217. Si LL. naturales in civiles abierint, actiones, quibus illæ violantur, in foro & interno & externo civili demeritoriæ sunt. (§. 1216. 789.).

§. 1218. Si LL. naturales in civitate sanctione pœnali arbitraria non communiantur, actiones, quibus illæ

violantur, in foro quidem interno (§. 1215.), minus tamen externo civili demeritoriæ sunt (§. 1209.).

§. 1219. Idem est applicandum ad actiones, quibus LL. naturales, quæ in civiles non abiere, violantur (§ 1218. 789)

§. 1220. Unde perspicimus, demeritum actionum, in sphæra legis naturalis generaliter sumtæ, seu coram tribunali rationis consideratarum, latius patere quam demeritum civile (§. 1218. 1219.). Hinc demeritum in civitatibus strictius sumitur, quippe quod præsupponit actuum pugnantium cum LL. civilibus (§. 1211.), quæ sunt species LL. stricte dictarum (§. 785.). Conf. §. 419. 420. E.

§. 1221. Idem assertum magis confirmatur, si consideraveris, dari LL. permittentes civiles, quæ LL. naturales vel præceptivæ, vel prohibitivæ sunt (§. 960. 961. 962. 963.) dari licitum civile, quod illicitum est in sphæra juris Naturalis (§. 976. 977.); dari læsiones naturales, quæ in statu civili pro læsionibus non habentur (§. 1094.).

§. 1222. Quicquid hactenus de demerito actionum diximus, illud etiam tenendum est de imputabilitate actionum ad pœnam (§. 423. E.), quippe quæ est judicium ferendum de earum demerito (§. 423. E.).

§. 1223. Cum pœnæ sint remedia, quibus uti possunt & debent imperantes ad coercenda delicta civium (§. 1109. 1157. 1163. seqq.); delicta pro actionibus demeritoriis, & consequenter imputabilibus recte habentur (§. 1209. 1210.).

§. 1224. Delicta sunt actiones civium imputabiles, quibus securitas & felicitas publica turbatur (§. 1107. 1223.).

§. 1225. Quicquid concipitur de merito, nec minus de imputabilitate in genere, illud etiam de demerito & imputabilitate actionum civili, tanquam specie, valebit. Idem etiam est statuendum de delictis (§. 1223.). Hinc ea, quæ in Exercitatione III. Jur. Nat., generaliter de merito & imputativitate demonstrata sunt, etiam huc applicanda veniunt.

§. 1226. Cui rei non competit genus, de eodem non prædicari potest species. Hinc actus, qui non sunt imputabiles

tabiles in genere ad pœnam, illi etiam civiliter tales esse nequeunt. Id quod applicandum ad delicta civilia (§. 1223.).

§. 1227. Actiones civium, pœna civili dignæ, debent esse morales (§. 415. E. 1209.). Id quod applicandum ad delicta civilia (§. 1109.).

§. 1228. Quicunque actus moralitatem respuit, pro eo, qui pœna civili dignus sit, & consequenter pro delicto civili haberi non potest (§. 1227.).

§. 1229. In res meræ fortunæ non cadit meritum civile, neque adeo pœna civilis (§. 439. E. 1225.), nec ex consequenti in iisdem delictum civile concipitur (§. 1109.). Hinc *delictum fortunæ implicat.*

§. 1230. Quicunque actus obligationem civilem respuunt, illi civiliter nec imputari, neque adeo delictis annumerari possunt (§. 478. E. 1225.).

§. 1231. Religio est coactionis impatiens (§. 896. E.). Quicquid coactionem non patitur, illud obligationem civilem respuit (§. 783.). Religio itaque civiliter ad pœnam imputari nescit, neque adeo datur delictum religionis (§. 1230.).

§. 1232. Nulla locum habet ad pœnam imputabilitas, neque adeo ullum delictum civile (§. 1109.) concipitur in rebus absolute impossibilibus; in actionibus, quæ physice & naturaliter impossibiles sunt, & quæ moraliter in potestate nostra non existunt; in actionibus mere naturalibus; in actionibus hominis, qui intellectus & voluntatis usu destitutus est; in rebus absolute necessariis (§. 492. E. 1230.).

§. 1233. Sola voluntas efficax, ad legem relata, est causa & fons omnis imputabilitatis actionum (§. 572. E.). Delicta sunt actiones imputabiles (§. 1223.); in delinquente igitur, civiliter tali, requiritur ejusmodi voluntas, ad legem civilem relata. Vere dixit LIVIUS L. I. c. 58. *mentem peccare, non corpus: & unde consilium abfuerit, culpam abesse.*

§. 1234. In quo non conspicitur voluntas, ad legem relata, ejus actus non potest annumerari delictis (§. 1233.).

§. 1235. Delicta sunt ejusmodi actus, qui requirunt, ut is, qui ea commisit, debeat haberi pro eorum autore seu causa (§. 1223. Spec. 569. E.). Quinam sint con-autores seu concausæ delictorum, ex §. 571. E. patet.

§. 1236. Qui pro autore & causa alicujus actus reputari non potest, is pro delinquente haberi nescit. (§. 1235.).

§. 1237. Pro diversitate causarum variant delinquentes, (§. 573. E. 1235.). Præcipue notandi sunt, qui causæ delictorum morales censentur. (§. 574. E.). Nolo repetere ea, quæ §. cit. jamjam in medium attuli.

§. 1238. Facta aliena, qua talia, h. e. ad quæ qua causæ non concurrimus, pro nostris delictis non habentur, (§. 1236.).

§. 1239. *Voluntas efficax* (§. 508. E.) est vel *efficiens*, vel *inefficiens*. Prior ad actum pertingit, licet impedimentum, naturaliter tamen superatu possibile (§. 307. E.), adsit; posterior vero extrorsum erumpere non potest ob impedimentum minus superabile. Hinc ab alicujus voluntate inefficienti ad illius voluntatem inefficacem concludere non licet. Divisio voluntatis efficaciæ etiam de conatu efficaci valet. (§. 508. E.).

§. 1240. Dari *crimen* seu *delictum conatus*, ex §. 586. E. satis clarum est. Interest reipublicæ, vt crimina graviora in conatu puniantur. Sed probe notandum, quod conatus delinquendi efficax (§. 508. E.) intelligatur, licet sit præpeditus seu minus efficiens. (§. 1239.). Et cum a continua repræsentatione finis maligni, ab indagatione & usu remediorum, a cura removendi obstacula, ab expectatione occasionis, ab ejusque suscitandæ sollicitudine ad conatum mentis seu voluntatem efficacem secure concludere liceat (§. 528. E); sat manifestum est, quibus casibus alicui conatus delinquendi jure tribui possit. Sed ponas, quod ejusmodi data seu indicia deficiant, nulla ratio adest, cur aliquis ejusmodi conatu oneretur. (§. 530. E.).

§. 1241. Actiones metu coactas esse imputabiles in

se,

se, §§ 580, 581, 582. E. evicimus: sed an ad pœnam? quæstio est, quam in prælectionibus enodabimus. Vtrum quis in violatione LL. civilium possit provocare ad habitum & consvetudinem, & inde descendentem necessitatem peccandi moralem (§. 184. 439. E.), ex §. 587. E. 1223. dijudicandum? Quibus casibus affectus liberare aliquem possint a pœna, ex §. 597. E., quibus vero minus, ex §. 588. 595. E. 1223. perspicimus. Quo casu aliquis in se a delicto liberando possit provocare ad infirmitatem humanam, ex §§. 591. 592. E. 1223, clarum est. Vtrum mors alterius, ex nostra illius vulneratione injusta citra nostram intentionem subsecuta, nobis imputari possit ad pœnam, ex §. 594. E. 1223. perspicuum est. Vtrum effectus, ex nostris actibus injustis præter nostram opinionem suborti, in genere imputabiles sint ad pœnam, ex §. 593. E. & 1223. intelligitur.

§. 1242. Furiosos, mente captos, summe ebrios, quorum ebrietas involuntaria est, ad iram ab aliis concitatos, infantes, homines a brutis nutritos & educatos ad delinquendum inhabiles esse, ex §. 1236. comprehendimus.

§. 1243. Dantur officia civium, qua talium, quæ sunt stricte dicta & perfecta (§. 787.). Hinc datur diligentia debita, quam respublica civibus, qua talibus, exigit (§. 947. E). Nec minus inde patet, quod cives possint committere culpam, stricte dictam, & dolum, stricte sumtum (§. 949. E.), in foro civili consideratum.

§. 1244. In civibus datur obligatio perfecta adimplendi leges civiles, sibi datas. (§. 747.). LL. civiles tendunt ad promovendam securitatem & salutem publicam, idque vi pacti (§. 803.); in civibus itaque datur officium perfectum promovendi & consequenter non turbandi securitatem & salutem publicam, idque vi pacti. Contra hoc officium civis peccare potest culpose non minus, quam dolose seu proæretice, si vel strictius sumseris hæc vocabula (§. 949. E.). Concipimus ergo actiones civium culposas non minus quam dolosas seu proæreticas, securitatem & felicitatem publicam

turbantes. Et cum culpæ æque ac doli actiones imputabiles sint & demeritoriæ (§. 551. 423. E.); dantur *delicta culposa* non minus, quam *dolosa* seu *proæretica* (§. 1224.).

§. 1245. Concipimus ergo demeritum civile culposum non minus, quam dolosum (§. 1244. 1223.). Applices huc §§. 1213. 1220. 1221.

§. 1246. Ex demonstratione, quam §. 1244. proposuimus, perspicies, quod nec delictum culposum, nec demeritum ejusdem generis conciperemus, nisi culpam in se esse imputabilem cognosceremus.

§. 1247. *Deliberatio* est commodorum & incommodorum pensitatio, quæ ex facto oriuntur, quod aggredimur. Quid sit *agere* vel *non agere* ex animo vel *deliberato* vel *indeliberato* facile est ad judicandum.

§. 1248. Commoda sunt bona; incommoda malis annumerantur. Hinc deliberatio est bonorum & malorum pensitatio, quæ ex facto, quod aggredimur, oriuntur (§. 1247.).

§. 1249. Qui agit vel non agit ex animo deliberato, is agit vel non agit ex bonorum vel malorum repræsentatione (§. 1247. 1248.). Repræsentatio bonorum voluntatem & repræsentatio malorum noluntatem agendi excitat (§. 175. E.). *Qui igitur agit vel non agit ex animo deliberato, is agit vel non agit id, quod vult*, si vocabulum voluntatis etiam noluntatem sub se comprehendat.

§. 1250. Qui agit vel non agit, quod voluit, ejus actio vel non actio oritur ex voluntate efficaci (§. 508. E.), seu ex proposito s. proæresi, generaliter sumta (§. 509. E.). Enimvero qui agit vel non agit ex animo deliberato, is agit vel non agit id, quod vult (§. 1249.); qui itaque agit vel non agit ex animo deliberato, ejus actio vel non-actio oritur ex voluntate efficaci seu ex proposito s. ex proæresi, generaliter sumta.

§. 1251. Ab actione vel non-actione, ex animo deliberato seu ex destinato consilio profecta, ad agentis voluntatem seu conatum agendi efficacem tuto concludimus (§. 1250.).

§. 1252.

§. 1252. Qui agit vel non agit ex animo indeliberato, is non agit vel agere non intermittit id, quod vult (§. 1247. 1248. Spec. 175. E.). Notes, quod demonstratio hæc eundem ordinem paucis mutatis servet, quem §. 1249. observavimus.

§. 1253. Qui agit vel non agit ex animo indeliberato, ejus factum vel non factum non oritur ex voluntate efficaci s. ex proposito s. ex proæresi, stricte dicta. (§. 508. 509. E. 1252.).

§. 1254. A facto vel non-facto, quod ex animo agentis vel non agentis deliberato minus profectum est, ad ejusdem voluntatem s. connatum agendi efficacem N. V. C. (§. 1253.).

§. 1255. In hominibus, culpose peccantibus, deprehenditur non-usus *indeliberatus* virium, explendo officio sufficientium (§. 547. E.). Hinc homines, culpose peccantes, ex animo indeliberato agunt contra officium, & consequenter contra LL. sibi præscriptas. (§. 476. E.).

§. 1256. Homines, culpose peccantes, agendo contra LL. non agunt id, quod volunt (§. 1255. 1252.).

§. 1257. Applices thesin præcedentem ad cives culpose delinquentes.

§. 1258. Facta vel non facta hominum, culpose peccantium, ex voluntate efficaci, seu ex proposito agendi non oriuntur. (§. 1255. 1253.).

§. 1259. Facta vel non-facta civium, culpose delinquentium, ex voluntate efficaci seu proposito delinquendi non oriuntur. (§. 1258.).

§. 1260. In hominibus, dolose peccantibus, deprehenditur non usus deliberatus virium, explendo officio sufficientium. Ad dolum s. proæresin malignam etiam referendus est usus deliberatus virium officio contrarius. (§. 547. E.). Hinc homines, dolose peccantes, ex animo deliberato agunt contra officium, & consequenter contra LL. sibi præscriptas (§. 476. E.).

§. 1261. Homines, dolose peccantes, agendo contra LL. agunt id, quod volunt (§. 1260. 1249.).

§. 1262. Applices thesin præcedentem ad cives, dolose delinquentes.

§. 1263. Facta vel non-facta hominum, dolose peccantium, ex voluntate efficaci s. ex proposito peccandi oriuntur (§. 1260. 1249.). Applices hoc ad facta vel non-facta civium, dolose delinquentium.

§. 1264. Ponas duos complices unius delicti, quorum alter dolose, alter culpose deliquit, prior agitatus est voluntate efficaci delinquendi (§. 1263.), & consequenter turbandi securitatem & salutem publicam (§. 1107.). Ejusmodi conatus tendit ad actum, nisi impediatur (§. 508. E.), & consequenter ad finem, securitati publicæ perniciosum, existentiæ reddendum (§. 513. E.), nec minus ad arripienda remedia, obtinendo scopo maligno velificantia (§. cit.), ad removenda impedimenta, quæ remediorum & finis funesti existentiam remorari possunt (§. 518. E.), ad amplectendam & suscitandam occasionem actu turbandi securitatem communem (§. 528. E.) & ad usum virium (§. 11. Spec); quæ omnia ob defectum voluntatis efficacis (§. 1259) in eo, qui culposi delicti reus est, in quo quippe voluntas saltim simplex (§. 508. E.) deprehenditur, non reperias. Vnde sat manifestum erit, quod cives, dolose delinquentes in longe majus periculum conjiciant rempublicam, quam culpose peccantes (§. 1147. 1148.). Conf. ea, quæ dicta sunt in §. 561. E.

§. 1265. In delictis & culposis & dolosis gradus dantur & commensuratio locum habet (§. 554. E.). Unde cum oriantur gradus periculi intuitu civitatis & eorum, qui in ea vivunt (§. 1264.); ejusmodi gradibus etiam gradus pœnarum attemperandi veniunt.

§. 1266. Imperantes jure gaudent recurrendi ad ejusmodi pœnas, quæ proportionatæ sunt periculo, in quod læsiones civium subjectorum rempublicam conjicere possint.

sint (§. 1156.). Hinc & imperantes jure pollent constituendi pœnas acerbiores in delicta dolosa, quam in culposa (§. 1264.), nec minus gradibus proæresios & culpæ attemperandi gradus pœnarum (§. 1265.).

§. 1267. Pœnæ proportionatæ esse debent delictis civium reprimendis (§. 1159.), & consequenter periculo, reipublicæ in delinquentibus metuendo (§. 1146.), & refrenandæ violationi securitatis & felicitatis publicæ (§. 1145.).

§. 1268. Ponas malum passionis, quod est æquale seu proportionatum propulsando periculo, cui subjectam se sentit civitas, sed inæquale malo actionis alicujus delinquentis; ponas aliud malum passionis, quod quidem est æquale malo actionis peccantium, sed minus proportionatum propulsando eidem periculo; jure gaudent imperantes arripiendi prius malum passionis, quod est proportionatum propulsando periculo reipublicæ, licet illud malis actionum, a delinquentibus profectarum, sit minus proportionatum (§. 1267.).

§. 1269. Hinc pœnæ, quæ infliguntur delinquentibus, non cum malis seu læsionibus, a delinquentibus profectis & in se spectatis, comparandæ veniunt (§. 1267.). Si crescant in civibus subjectis furta & furandi consuetudo, crescit etiam periculum reipublicæ ad eorum, qui in ea securitatis gratia degunt. Quo casu furtum e. g. viginti joachimicorum non cum jactura vitæ, quæ, in se spectata, longe pluris æstimatur quam summa exigui æris ablati, sed cum communi civium securitate ab ejusmodi læsionibus, & cum periculo, cui iliam subjicit perversa plurium furandi consuetudo, comparandum venit.

§. 1270. Quæ proportio, quam jam intuitu pœnarum civilium determinavimus, probe pensitanda est, si judicium sanum & sincerum de pœnis alicujus civitatis datæ ferre velimus. Quam proportionem si quis introspexerit, justo duriores non habebit pœnas militares, quæ sunt species pœna-

pœnarum civilium, quatenus exercitus seu societas militaris subjecta sit imperio civili summo.

§. 1271. Hinc probe consideremus canonem: pœnas debere esse proportionatas delictis, quippe qui indigitat delicta, non in se spectata, sed ad periculum, reipublicæ inde subnascendum, relata (§. 1146.).

§. 1272. Nec possunt cives delinquentes conqueri de injuria pœnarum, periculo reipublicæ acerbiores, si illæ ipsis innotuerint, cum actiones, in quas ejusmodi pœnæ atroces sunt constitutæ; & consequenter ipsæ pœnæ, cum illis copulatæ, sibi evitatu possibiles sint, licet hoc casu civitas peccet contra prudentiam legislatoriam, quæ a prudentia ejus, quod justum est, de qua nobis sermo est, curate distinguenda est. Conf. §. 733. Heic loci ventilari potest quæstio, utrum justum sit inquirere in delicta occulta & quasi sepulta, eaque in lucem protrahere?

§. 1273. Cum aversio periculorum, civitati ab hominibus pejoris notæ metuendorum, sit mensura pœnarum civilium (§. 1267.), & consequenter gradus gravitatis pœnarum ex gradibus periculi reipublicæ æstimentur; perspicimus, cur delicta in principem, qui est anima suæ civitatis, vel in conatu puniri possint (§. 1272.); cur delicta alia, toti systemati civili (§. 508.) interitum vel confusionem insignem & funestam minitantia, violationes ministrorum publicorum, latrocinia, proditio patriæ & castellorum, spoliationes æratiorum, delicta culposa nec minus quam dolosa ministrorum publicorum, ductorum belli, adulteratorum monetæ & similia facinora asperioribus pœnis digna censeantur.

§. 1274. Nec intellectu difficile est, cur respublica ad pœnas vel capitales, delinquentibus infligendas, confugere possit, si aliæ pœnæ fini obtinendo impares fuerint.

§. 1275. Reparatur læso damnum, si is a lædente vel ab alio ejus nomine recipit tantum, quantum sibi ab eo, quod ejus est, subtractum esse intelligitur (§. 990. E.). Hinc reparatio

paratio damni nec plus, nec minus in se continere debet, quam damnum ipsum & consequenter proportionata seu æqualis sit damno ipsi necesse est, idque vi definitionis proportionati, §. 1111. applicatæ, & vi notionis æqualitatis, §. 892. E. traditæ. Sed cum pœnæ debeant esse proportionatæ periculo, respecta pruritu delinquendi metuendo (§. 1267.), neque adeo cum læsionibus, a delinquentibus profectis & in se spectatis, comparandæ veniant (§. 1269.); satisfactio ad pœnam est probe discernenda a satisfactione ad reparandum damnum. Prior satisfactio respicit *interesse publicum civile*, altera vero *interesse civium privatum*. Hinc & *satisfactio in publicam & privatam* dispescitur.

§. 1276. Civitas, ejusve imperans jure, hoc est, juste, adhibet pœnas, quæ proportionatæ sunt periculo, in quod læsiones civium subjectorum rempublicam conjicere possint (§. 1156.). Unde elucet justitia pœnarum, periculo, a republ. avertendo, proportionatarum.

§. 1277. Imperans summus utendo hoc puniendi jure nemini, adeoque nec populo suo, nec aliis populis, nec ipsis delinquentibus, injuriam facit (§. 784. E.), & consequenter suum cuique non violat (§. 767. E.). Unde justitia pœnarum legitimarum nova vice elucet.

§. 1278. Si princeps summus civium delicta pœnis ejusmodi proportionatis actu coerceat, obligationi erga populum pactitiæ satisfacit (§. 1169.), & suum pactitium populo suo integro tribuit (§. 1310. E.), atque adeo justus est intuitu populi sui (§. 659.).

§. 1279. Si consideraveris finem pœnarum, is tendit ad felicitatem populi conservandam (§. 1106.). Princeps in conatu obtinendi hunc finem commonstrat & benignitatem erga populum (§. 794. E.) & sapientiam (§. 789. E.); & consequenter justitiam internam (§. 798. E.). Hinc imperantes summi in usu pœnarum, bono publico promovendo proportionatarum, justitiam internam colere & amorem erga populum suum oculatum ostendere possunt, (§. 672.).

(§. 672.). Nec minus iidem exercendo jure puniendi sublimem finem divinum promovent & amplificant (§. 578.).

§. 1280. Jus puniendi ex jure imperii civilis summi descendere, ex §. 799. patet. Quousque extentendum sit idem jus, §. 802. demonstratum est. Nec minus soli imperanti tribuendum jus pnniendi (§. 800.), & aliis non nisi communicative, ex §§. 801. 888. manifestum est.

§. 1281. Pœnæ sunt remedia, quibus utitur imperans ad coercenda delicta (§. 1109.). Ergo ubi nullum delictum, ibi nulla pœna locum habet. Ponas quod pater deliquerit, minus tamen filius, vel quod filius commiserit crimen, minus tamen pater; nec filius pro patre, nec pater pro filio puniendi, etiam ubi delictum atrocissimum committitur.

§. 1282. Et licet ob delictum, quod confiscationem post se trahit, patris delinquentis bona fisco addicantur, liberi tamen nullam inde nanciscuntur causam conquerendi. Hoc enim casu nullum concipitur damnum, liberis illatum, nec hi affirmare possunt, se punitos esse innocentes. Nam viventis nulla hæreditas, atque adeo vivente patre in liberos nihil juris in bona paterna translatum censetur. Quod quis vivente patre non habet, seu, quod sub eadem hypothesi non est suum liberorum (§. 747. E.), illud ipsis auferri non potest. Hoc itaque casu nulla datur læsio perfecta (§. 767. E.), nec ex consequenti damnum (§. 769. E.), quod inferretur liberis. Damnum ejusmodi in consequentiam venire *Grotio* dicitur, quod est improprie tale. (§. 983. E.). Non nisi bonum speratum, ad quod eis adhuc nullum jus competit, sibi intercipitur, qualis tamen interceptio damnum non est (§. 977. E.). Porro cum liberis nihil eripiatur, quod *suum* esset, illi ejusmodi confiscatione imperfectiores non efficiantur, & consequenter illis plane nihil mali (§. 145. E.), neque adeo ulla pœna (§. 780.) infertur.

§. 1283. Imperantium jus puniendi requirit eorundem

potesta-

potestatem summam judiciariam civilem (§. 1059.). Quæ cum exigat jus inquirendi in hominum facinorosorum facta (§. 1058.), & consequenter in circumstantias singulares, pro ratione legum necessarias, sub quibus delinquentium actiones considerantur (§. 383. E.); imperantium jus puniendi cum eodem jure inquirendi in delicta civium copulatum est.

§. 1284. Dantur & alia jura annexa juri puniendi, quæ legitima argumentatione erui possunt.

§. 1285. Qui in rebus controversis dijudicandis & dirimendis *Suum Cuique* observat, JUDEX JUSTUS, isque EXTERNE TALIS, dicitur (§. 797. E.). Hoc applicandum est ad summos imperantes, qua judices summos, eosdemque justos in decisione controversiarum, inter cives subjectos subnascentium.

§. 1286. Justitia principum spectatur intuitu vel totius populi sui (§. 669. 1277. 1278. 1279.), vel civium subjectorum (§. 1285. 1276. 1277.), vel aliorum populorum (§. 548.). De hac justitia postrema in jure Gentium, inter se consideratarum, agendi locus erit.

§. 1287. Nemo in civitate præter imperantem summam juris dicendi potestatem habet (§. 1061.). Quam proinde si quis sibi citra contrave ejus voluntatem sumserit, is fine jure agit, & consequenter eum violat (§. 225.). Nemo itaque citra contrave voluntatem imperantis summi facultatem dicendi juris in civitate sibi sumere potest (§. 768. E.). Hoc est applicandum & ad cives, & ad alios civitates.

§. 1288. Hinc integrum non esse subditis, invito imperante aliunde judicium rei controversæ decisorium petere, aut jurisdictionem prorogare extra territorii in primis fines, per se patet.

§. 1289. Controversiis tam innumeris, quæ inter cives subjectos suboriri possint, examinandis dirimendisque solos imperantes pares non esse, in propatulo est. Id quod etiam de dijudicandis actionibus, pœnam promerentibus, affirman-

affirmandum venit. Unde patet necessitas constituendi magistratus, judicia superiora & inferiora.

§. 1290. A sola eorum, in quibus residet τὸ κύριον, voluntate constitutio judiciorum superiorum & inferiorum in republica repetenda est (§. 1061.).

§. 1291. *Jus eminens extraordinarium* dicitur id, quod rei publicæ competit in res communes, & quod eidem tribuit potestatem rebus, quæ singulorum civium sunt, ad communem civitatis utilitatem utendi, idque in casu necessitatis. Quid sentiendum sit de hoc jure, ex §. 690. 691. lectori dijudicandum relinquo.

§. 1292. Si consideres definitionem summitatis imperii civilis, quam §. 527. attulimus, imperantes summi imperio nulli humano, neque adeo civili cuicunque subesse possunt.

§. 1293. Ponas, quod reliqui, a quibus imperium civile summum translatum est in alios, etiam habere velint in eos imperium; hoc casu daretur in republica imperium adhuc superius imperio summo translato. Quod est contra definitionem imperii civilis summi (§. 527.). Præterea semel translato imperio civili summo reliqui nihil imperii civilis jamjam translati retinent (§. 629.). Imperantes itaque summi imperio reliquorum, a quibus τὸ κύριον in eos derivatum est, subesse non possunt.

§. 1294. Ponas porro, quod alia civitas, ejusve imperans, polleat imperio in imperantes summos reipubl. datæ; hoc casu iterum existeret in republica imperium adhuc superius imperio summo, ipsis competente. Hoc iterum repugnat summitati imperii (§. 527.).

§. 1295. Imperium terrenum, cui subjicere velimus imperantes summos, vel in eorum republica, vel extra illam existeret. Neutrum admittendum est (§. 1293. 1294.); ergo imperantes summi nullius hominis imperio subesse possunt.

§. 1296. Si volueris imperium civile summum definire per illud, quo non datur in civitate quæsita superius; eodem modo, quo id factum est §. 1295. admittere deberemus, quod

quod eo in terris imperium superius non detur, & quod adeo nulli imperio civili subesse posfit.

§. 1297. Imperantes summi ab omni imperio civili sunt independentes (§. 1296. 1292.), & consequenter omnis subjectionis civilis impatientes (§. 751.). Superius §. 538. evici, quod licet principes vivant in statu civili, in statu tamen subjectionis eos vivere inde minus inferendum sit. Sed heic loci τὸ κύριον omnis subjectionis expers esse, demonstrandum fuit.

§. 1298. Cum imperantes summi gaudeant independentia ab omni imperio humano (§. 1296.) eos in libertata naturali vivere jure affirmamus (§. 912. E.), licet illi, qua cives eminentissimi, vivant in statu civili. (§. 530. 535.).

§. 1299. Unde patet, quod a libertate naturali ad statum naturalem, statui civili contradistinctum (§ 889. E.), consequentia non valeat, licet ab hoc ad illam secure concludamus. (§. 916. E.).

§. 1300. Licet vivant imperantes summi in libertate naturali (§. 1298.), eam ob caussam illi non vivunt in statu licentiæ. (§. 920. E. 548. 859. n. 2. Spec.)

§. 1301. Probe notes, quod libertas, principi summo tribuenda, & quæ naturalis est (§. 1298.), sit discriminanda a libertate civili, quæ civibus subjectis competit, & quæ libertas naturalis limitata est. (§. 776.).

§. 1302. Imperium civile summum est caussa unica omnis coactionis, obligationis, legislationis & sanctionis pœnalis civilis. (§. 799.) Enimvero imperantes summi subjecti non sunt imperio civili (§. 1296. 1292.); hinc & iidem ab omni coactione civili, ab obligatione ejusdem generis quacunque, a legibus & pœnis civilibus soluti sunt.

§. 1303. Notemus in genere, quod eis omnibus, quæ ab imperio civili, qua tali, & tanquam caussa, descendunt ceu caussata, summi imperantes minus subjecti sint.

§. 1304. Leges sunt (§. 349. E.) vel divinæ vel humanæ. Priores sunt vel naturales (§. 361. E.), vel positivæ. Cum principes summi soluti sint a legibus humanis (§. 1302.), non nisi LL. divinæ & naturales & positivæ remanent, quibus illi actiones suas attemperare teneantur. Idem etiam est sentiendum de obligatione, quæ cadere possit in imperantes. (§ 318 333. E.). Hoc tenendum est in genere de obligationibus & officiis, quæ imperanti summo tribuuntur. Eundem vero Legibus naturalibus & divinis non esse solutum, in eumque cadere omnino obligationem naturalem & divinam, patet ex §. 1300., dummodo ad differentiam obligationis externæ & perfectæ ab interna semper reflectas.

SHOLION. Si in demonstratione prævia, qua imperantes LL. naturalibus & divinis teneri evicimus, usque ad principia retrogrediaris, incides in propositionem, quæ indicat, quemlibet hominem qualis esse princeps non desinit, naturaliter obligari iisdem legibus attemperare actiones suas. Ad hanc rationem reflexit Cel. EVERARDVS OTTO in not. ad §. 3. c. IX. L. II. PVFFEND. *de O. H. & C.* Conf. B. BVDDEI Diss. de *Principe legibus humanis, sed non divinis soluto.* Ex eadem principis obligatione naturali fluit obligatio custodiendi pacta & consequenter adimplendi LL. fundamentales & capitulationes, de quibus in Specimine sequenti.

§. 1305. Cum imperantes summi sint soluti LL. civilibus (§. 1302.); ad eorum actiones nec licitum nec illicitum civile, nec honestas nec justitia, nec injustitia actionum civilis applicari potest (§. 821.).

§. 1306. Imperantes summi sunt soluti a LL. civilibus (§. 1302.). Hinc licitum, illicitumve, nec minus honestas, justitia & injustitia, quæ tribuuntur eorum actionibus, non ex LL. civilibus, sed ex Jure Nat. & Gent. (§. 1304.) dijudicanda sunt.

§. 1307. Si dentur actiones principum, quæ ad normam

mam LL. civilium exiguntur, illi non qua imperantes, sed qua privati, considerantur.

§. 1308. Licitum, summo imperanti tribuendum, ex Jure Nat. & Gent. dijudicandum venit. (§. 1306.). Id quod præcipue applicandum ad id, quod licitum est principi in foro externo. Enimvero cum licitum in foro externo generatim dicatur id, quod legibus strictè dictis non repugnat (§. 861. E.); illud, quod principi licitum est in eodem foro, complectitur omnia, quæ Juri Nat. externo seu cogendi non repugnant. Hinc idem licitum naturaliter tale est. (§. 812.).

§. 1309. Jus naturæ externum est limes ejus, quod principi in foro externo licitum est (§. 1308.). Male itaque subducunt rationes, qui arbitrantur, quod ejusmodi LICITUM efficiat, ut principes redigantur in statum licentiæ. (§. 921. E.). Ponas principes, qui suum cuique, & consequenter populo suo, aliisque populis, eorumve rectoribus summis non tribuunt, illorum actiones juri naturali repugnarent (§. 457. E.), & ad quas jus liciti sese non extendit. (§. 1308.).

§. 1310. Actiones principum, quæ non conjunctæ sunt cum violatione τῦ suum cuique, eis licitæ sunt (§. 1308. 945.).

§. 1311. Actiones, principi in foro externo licitæ, non sunt læsiones. (§. 830.).

§. 1312. Mala & incommoda, aliis ex ejusmodi actionibus, principi licitis, subnata, nec pro damnis & injuriis reputari, neque adeo causas disceptationis & conquerendi justificas subministrare possunt. (§. 831. 832.).

§. 1313. Et id suum principis est, quod sibi licet (§. 835.).

§. 1314. Qui conturbat principes in usu liciti, is eos perfecte lædit. (§. 837. 838.). Idem locum habet eo casu, ubi quis principes velit vi compellere ad expediendum id, quod sibi licitum est. (§. 839)

§. 1315. Mala, imperantibus subnata ex alterius turba-

tione ejus, quod eis licitum est, damna sunt, ad quæ reparanda turbatores tenentur (§. 840.).

§. 1316. Justitia vel injustitia summi imperantis non nisi ex jure naturali æstimanda est (§. 1306.). Hinc justitia actionum principis non nisi convenientia earum cum LL. naturalibus, injustitia vero deflexione ejus actionum ab iisdem normis absolvitur. Hoc applicandum est ad justitiam, injustitiamve principis & externam & internam intuitu populi sui. (§. 669. seqq.).

§. 1317. Unde clarum est, justitiam & injustitiam externam, quam imperantibus intuitu populi sui tribuimus, probe discriminandam esse ab justitia & injustitia civili, quæ non nisi in subjectorum actiones cadit. (§. 818.). Cavendum quippe est, ne attributa, actionibus civium subjectorum adscribenda, cum attributis, quæ actionibus magistratus summi tribuenda veniunt, confundamus. Et quicquid in genere de justitia actionum qrincipis externa jam diximus, illud etiam apprime tenendum est de justitia, quam principes, qua judices summi, & in decidendis controversiis subjectorum (§. 1285.), & in pœna, delinquentibus infligenda, agitare solent.

§. 1318. Imperantes summi suo (§. 628.), nec ex consequenti alterius jure, exercent jura imperii. Hinc nec populo, sibi subjecto, nec alii cuicunque ad reddendas rationes obligantur (§. 237.). Facile demonstrari potest, pactum de transferendo imperio civili & simul de imperantis obligatione ad rationes imperii gesti reddendas, esse contradictorium. Hoc enim casu imperans suo & alterius jure simul imperium gessisse diceretur, quod implicaret. (§. 37. E.).

SCHOLION. Hunc effectum summitatis imperii negant Monarchomachi, quorum theses potiores in Specimine sequenti expendemus. Imperium summum esse ἀνυπεύθυνον, seu nemini mortalium obstrictum ad reddendas rationes, hunc debet habere effectum, ut si eas alteri non approbaverit,

haverit, pœnis humanis aut coercitioni, velut a SVPERIORE profectis, eo nomine sit obnoxium. Sunt verba PUFENDORFII de O. H. C. L. II. c. IX. §. 2.

§. 1319. Imperantium summorum actiones, judicio civili superiori subjecti non sunt (§. 1062.). Hinc populus subjectus haberi non potest pro judice summorum imperantium, neque adeo in civilibus, nec criminalibus, præcipue etiam cum principes ejusmodi sint ab omni pœna civili exemti (§. 1287.).

§. 1320. An populus, ejusve imperans punire possit alium populum, sibi non subjectum, ejusve imperantem, inferius patebit.

§. 1321. Quatenus aliquis nec judicem hominem agnoscat, nec ab homine quocunque puniri possit, is *inviolabilis* dicitur. Vocabulum hic sumitur in significatu strictiori, distinguendo ab acceptatione illius latiori, juxta quam omnes omnino homines inviolabiles existimantur, quatenus non sint lædendi (§. 768. E.).

§. 1322. Imperantes summos esse inviolabiles intuitu populi, sibi subjecti, patet ex §§. 1321. 1319. 1287. Inviolabilitatem ejusmodi majestatis intuitu aliorum populorum, eorumve principum, in Jure Gent. demonstrabimus. Eosdem inviolabiles esse, si vocabulum latius sumatur, per se patet.

§. 1323. Populum, imperanti alicui, vel alii populo subjectum, ejusmodi inviolabilitate non gaudere intuitu imperantis summi aliusve populi, cui is subjectus est, facile ad intelligendum est, licet eum juxta significatum vocabuli ampliorem pro inviolabili recte habeamus (§. 1321.).

§. 1324. Delicta civilia sunt actiones civium, pœnis coercendæ (§. 1109.). Enimvero principes a pœnis civilibus exemti sunt (§. 1302.); eorum itaque actio nulla pro delicto civili reputari potest. Neque adeo iidem ceu delinquentes tractari possunt. Unde patet, cur regicidia defensionem prorsus nullam mereantur. Et licet princeps

evaserit in tyrannum exercitio, is tamen hoc casu in statum naturalem recidit (§. 710.), ubi nec populus, qui illi subjectus erat, nec alius jure pollet eum puniendi (§. 619. E.). Id quod intuitu aliorum populorum ex Jure Gent. magis patebit.

SCHOLION Loquimur hic de inviolabilitate & sanctitate, quæ imperanti summo, qua tali, peculiariter tribuenda est. Negant illam *Monarchomachi*, ut *Stephanus Junius Brutus*, sive, qui sub eo titulo latet, *Hubertus Languetus*, *in vindiciis contra tyrannos*, *Buchananus*, *Hotmanus*, *Pareus*, *Milton*, *Sidney*, & *Mariana*: sed omnes, post decantatas libertatis laudes, & exaggerata tyrannidis facinora, in fatale carmen desinunt, reges esse magistratus, & eum, a quo aliquis constituitur, esse superiorem constituto. Sunt verba Cel. EVERARDI OTTONIS in not. ad §. 4. c. IX. L. II. PVFENDORF. de O. H. C. Qui error fatalis ex doctrinis prævijs sat refellitur, & de quo removendo in Specimine VI. nova vice solliciti erimus. Conf. GROT. L. 1. c. 3. §. 8. n. 13. 14. HERTII Dissert. *an summa rerum semper sit penes populum* & *Obs. Halens. tom. VI. obs. l.* ubi historia Machiavellistarum & Monarchomachorum exponitur, scripta vero Monarchomachorum B. BVDDEVS *in Hist. Jur. Nat.* §. 52. recensuit. Expendi simul merentur Cel. TREVERI notæ ad §. 4. c. IX. L. II. PVFEND. de O. H. C.

§. 1325. Cum actiones principum summorum nullis pœnis civilibus subsint (§. 1302.), illis demeritum civile tribui nequit. (§. 1209.) Id quod etiam patet ex §§. 1212. 1306., licet eæ demeritoriæ esse possint in foro interno. (§. 1215. 1300.).

§. 1326. Cum actiones principis omnem pœnam civilem respuant (§. 1302.), nec ejus bonorum confiscatio admittenda est.

SCHOLION. In expendendis & deducendis affectionibus imperii civilis summi inhæsimus ejus notioni, ad quam §. 1292. provocavimus. PVFENDORFFIVS L. II. c. IX. §. 1. impe-

imperium civile SUMMUM appellat, quatenus illud 1) in sui exercitio a nullo homine, tanquam superiore, dependet, sed 2) ex proprio judicio & arbitrio sese exerit, sic ut 3) ejusdem actus a nemine tanquam superiore queant irriti reddi. Tertium fluit ex primo & vi regularum definiendi ex summitatis definitione, quæ notio determinata esse debet, exulet necesse est. Primum ad constituendum characterem suprematus perpetuum & consequenter ad ejus definitionem formandam sufficit. Sed secundum, cujus in notione Pufendorfiana fit mentio, ad characterem imperii civilis absoluti, quod imperii summi non nisi species est, pertinet. In specimine sequenti evincemus, imperium civile limitatum æque summum esse ac absolutum. Cel. TREVERUS in nota ad §. cit. ita se explicat: Nec hic, inquit, misceri debet id, quod summum & quod vulgo absolutum est: summum est imperium, licet limitatum sit pactis fundamentalibus; nec is superiorem nanciscitur princeps, qui utilitati civium se adstringit, &c, Hucusque TREVERUS. Uti cum *Leibnitio* non omne imperium pro limitato, ita cum HOBBIO non omne pro absoluto habere possum. De quibus in Specimine sequenti explicatius agemus.

§. 1327. Quod ad tyrannum titulo seu invasorem regni, nec minus ejus usurpatorem, qui cum tyranno exercitio non est confundendus (§. 664.); attinet, distinctione opus est. Rebellio est delictum civile. (§. 647. 1108.). Si itaque tyrannus titulo sit rebellis, is jure habetur pro delinquente, pœnisque civilibus subjicitur. Sed si invasor regni sit princeps extraneus, qui jus armorum habet, is non nisi pro hoste haberi potest. Conf. §. 649.

§. 1328. *Jura majestatica immanentia* dicuntur, quorum exercitium terminatur intra sinum civitatis. De hisce in hoc specimine egimus; sed restant *jura majestatica transeuntia*, quæ imperanti summo competunt intuitu aliarum rerump., a se independentium. Huc spectat jus repressaliarum, jus

belli & pacis, jus mittendi legatos, jus fœderum, & alia, de quibus in Jure rerumpublicarum, inter se consideratarum, edisseremus.

§. 1329. Vi §. 521. civitati competit jus læsi vel lædendi in lædentem, & omnia jura, cum illo connexa competunt. Hinc & eidem tribuendum est jus redigendi se in statum plenariæ securitatis (§. 1081. E.), nec minus jus belli vel ad læsionem imminentem a se avertendam, vel ad quærendam satisfactionem ob læsionem jamjam illatam (§. 1092. E.) quæ loco convenienti curatius indagabimus. Sed heic loci præcipue notandum, quod cum iis, in quibus residet τὸ κῦρος, jus competat conservandi securitatem & felicitatem publicam, iisdem etiam tribuendum sit jus belli, juribus majestaticis annumerandum (§. 555.). Id quod etiam intelligendum est de juribus, quæ ex jure belli & pacis consequa ratione deducuntur. Hinc & iisdem, qui fulgent imperio civili summo, jus represaliandi, jus conducendi milites, jus muniendi urbes, jus legationum, aliaque jura connexa tribuenda veniunt, de quibus tamen omnibus suo loco fusius agendum erit. Suffecerit heic loci adnotasse, jus belli & pacis cum reliquis juribus annexis esse jus majestaticum.

§. 1330. Quæ jura majestatica hactenus consideravimus ita sunt comparata, ut iisdem positis ponantur alia, quæ ex illis concipiuntur (§. 41. E.), & consequenter in iis rationem suam habent (§. 42. E.), atque adeo ob id *jura illis annexa* vocantur (§. 73. E.), quæ vero in hac tractatione generali omnia enumerari non possunt. Conf. GUNDLING. Jur. Natur. §. 229. cap. 36.

SPECI-

SPECIMEN VI.
DE
JURE DIVERSARUM REIPUBLICAE FORMARUM.

§. 1331.

Imperium civile summum exerceri potest vel a singulis patribus familias, in civitatem coeuntibus, vel a paucioribus seu a coetu, vel ab uno. Priori casu imperium *Democraticum* seu *Populare*, altero *Aristocraticum*, & tertio *Monarchicum* audit. Sic orti sunt diversi modi (§. 228. E.) exercendi imperium civile summum, qui dicuntur *formae rerump.*, quae sunt vel *simplices*, quales sunt jamjam commemoratae, vel *mixtae*, quae vel ex duabus, vel ex tribus formis simplicibus, inter se combinatis, constant.

§. 1332. Cum imperium civile summum sit majestas (§. 528.); patet etiam, cur diversae rerump. formae nihil aliud sint quam variae majestatis modificationes (§. 1331.).

§. 1333. Aliunde constat, quod modus rei non faciat, ut res sit aliud quid, sed ut sit aliter affecta; & propterea modis quae differunt, non sunt diversae essentiae. Notum est, quod modus & gradus non variet rem.

§. 1334. Modus exercendi imperium civile summum non efficit, ut illud sit aliud quiddam (§. 1333.). Hinc forma reip. quaecunque non efficit, ut imperium civile summum sit aliud quiddam, h. e. aliquid, ab imperio civili summo diversum (§. 51. E. & 1331. Spec.).

§. 1335. Cum imperium civile summum sit majestas (§. 528.); forma reip. quaecunque non efficit, ut majestas sit aliud quidpiam, h. e. aliquid, a majestate diversum (§. 1334.)

§. 1336. Forma reip. est modus exercendi imperium civile (§. 1331.). Exercitium imperii civilis summi est reme-

dium boni publici civilis obtinendi (§. 567.); forma itaque re p. est modus obtinendi bonum publicum.

§. 1337. Quicquid pro modo obtinendi bonum publicum haberi non potest, illud formis resump. non est annumerandum (§. 1336.).

§. 1338. Ab eorum, qui in civitatem coeunt, conventione dependet modus promovendi salutem publicam (§. 624), & consequenter forma reip. (§. 1336.), vel simplex, vel mixta, adeoque & vel aristocratica, vel democratica, vel monarchica, vel ex hisce duabus, tribusve quomodocunque coalita.

§. 1339. Imperium civile summum dicitur majestas (§. 528.). Majestas itaque in monarchia in uno, in aristocratia in toto coetu pauciorum, in democratia in toto populo residet (§. 1331.).

§. 1340. Majestas est imperium civile summum (§. 228) & consequenter jus (§. 526.). Jura in partes extra partes seu segreges dividi non possunt (§. 1544. E.). *Majestas* itaque in partes extra partes dividi nescit; & hoc sensu *physice indivisibilis* audit.

§. 1341. Ex Specimine V. patet, majestatem complecti complura jura, majestatica dici sueta. Quæ si dixeris partes majestatis, eæ partes extra partes esse non possunt (§. 1340.).

§ 1342. Subjectum majestatis in monarchia est unicum individuum; in aristocratia primores collective sumuntur, adeoque constituunt unum collectivum, quod in hac forma est subjectum majestatis; in democratia majestas in sinu totius populi, & consequenter itidem in uno collectivo (§. 1541. E.) residet (§. 1339.). Hinc in forma reip. simplici jura majestatica eidem subjecto competunt (§. 1331.). Vid. GRIEBNERI Jurispr. nat. L. II. c. V. §. 1. n. 2.

§. 1343. Forma reip. mixta est composita ex formis reip. simplicibus (§. 1331.). Sed in qualibet forma reip. simplici majestas eidem subjecto competit (§. 1342.), & subjecta majestatis, in democratia, in aristocratia & monarchia obvia, a

se

se invicem differunt (§. 1339.); *in rebusp. mixtis subjecta ma estatis diversa deprehenduntur.*

§. 1344. Resp. mixta dicitur, ubi omnia jura majestatica diversis subjectis competunt & ab illis exercentur.

§. 1345. Majestas divisionem in partes segreges non admittit (§. 1340.). Subjecta ergo majestatis diversa, quæ in resp. mixta obveniunt (§ 1343.), manere debent in nexu. Ejusmodi itaque nexus ex indivisibilitate majestatis reali concipitur.

§. 1346. Si quis in hoc argumento admiserit divisionem majestatis, tanquam totius intensi, in partes, juris tantum intellectu tales, non repugno, cum in hac divisione æque ac in divisione dominii, aliusve juris, nullam contradictionem videam. Sed & hoc respectu subjecta majestatis diversa, quæ in resp. mixta obveniunt (§. 1343.), in nexu permanent ratione majestatis divisæ (§. 1560. E.).

§. 1347. Homines, qui participes sunt jurium quorundam, sunt vel æqualiter vel inæqualiter tales. Ejusmodi inæqualitas, quæ modus est (§. 228. 892. E.), non efficit, ut aliquis haberi non possit pro eo, qui particeps est jurium, eorumque exercitii (§. 1333.).

§. 1348. Qui sunt participes jurium majestaticorum, possunt esse vel æqualiter, vel inæqualiter tales (§. 1347.).

DE IMPERIO DEMOCRATICO.

§. 1349. In democratia vi pacti (§. 577.) majestas non in uno vel quibusdam patrum-familias, populum totum constituentium, residet (§. 1339.). Si itaque unus vel quidam eorundam jura majestatica sibi privative arrogent, ille vel hi contra pacta agunt, & consequenter populum lædere connituntur (§. 1311. E.), eique dant causam disceptationis justificam (§. 1091. E.).

§. 1350. In societate civili democratica justum est, de quo inter populum est conventum (§. 588. 1331.).

§. 1351. In democratiis patresfamilias, collective sumti, pollent

pollent juribus majestaticis (§. 1342.), qua pactitiis (§. 572.). Collectio ejusmodi constituit numerum; *in imperiis ergo democraticis numerus patrumfamilias, qui, conjunctim sumti, pollent juribus majestaticis, a pacto dependet.*

§. 1352. Ejusmodi numerus potest esse vel definitus, vel indefinitus, id quod a pacto dependet (§. 1350.).

§. 1353. Ejusmodi numeri auctio vel diminutio a pacto dependet (§. 1351.).

§. 1354. Solum pactum justum est modus justus acquirendi locum in numero eorum, penes quos est regimen populare (§. 1351.).

§. 1355. Quicunque populum vi injusta (§. 1092. E.) cogere connititur, ut in numerum eorum recipiatur, penes quos est τὸ κύριον, is populum lædit (§. 971. E.).

§. 1356. Si CIVITAS dicatur DEMOCRATICA, ubi imperium summum est penes populum universum, POPULUS UNIVERSUS absolvitur numero patrumfamilias, qui, collective sumti (§. 1342.), pollent vi pacti exercitio jurium imperii (§. 1331. 1351.). Ad hanc notionem POPULI respiciemus, si loquendo de democratiis illo termino utamur. Nec minus eosdem patresfamilias compendii gratia indicabimus per patresfamilias, qui sunt intra numerum, seu intra populum, vel patres-familias, simpliciter positos, si de regimine populari sermo sit.

§. 1357. Civitas democratica est, ubi imperium summum est penes populum universum, qua imperantem, vi pacti (§. 1356.).

§. 1358. Si itaque dentur in civitate democratica patresfamilias, qui ex illo numero vi pacti non sunt, illi etiam ad populum universum, penes quem est τὸ κύριον, referendi non veniunt (§. 1356.).

§. 1359. In regimine populari imperium civile summum seu majestas (§. 528.) est penes universum populum seu penes integrum numerum patrum-familias, qui, collective sumti, pollent vi pacti exercitio jurium majestaticorum. (§. 1356.).

(§. 1356.). Hinc *patresfamilias, in eodem numero existentes, si sigillatim considerentur, majestate non gaudent.* Hinc crimen læsæ majestatis adversus unum vel alterum ex patribus-familias, qui sunt intra numerum, comitti non potest, nisi populiscito aliter fuerit, quo casu ad §. 1272. provocamus.

§. 1360. Civis, qui imperans non est, subjectus est imperio civili summo (§. 528. 530.). Patres-familias, intra numerum existentes, sunt cives (§. 1331. 530.), qui, sigillatim spectati, imperantes non sunt (§. 1351.), & consequenter eodem respectu subjecti sunt imperio civili summo, & ex consequenti numero reliquorum patrum-familias, in quibus, collective sumtis, τὸ κύριον residet (§. 1339.).

§. 1361. Universus populus imperans in Democratia vivit in statu civili (§. 535.), sed simul in libertate naturali (§. 1298.). E contrario quilibet pater-familias, intra numerum existens, si sigillatim spectatur, in statu & civili (§. 535.) & subjectionis civilis (§. 1360.), nec ex consequenti in libertate naturali omnimoda vivit (§. 751. 761.).

§. 1362. In genere notemus, ea omnia, quæ summis Imperantibus tribuenda in Specimine de imperio civili demonstravimus, ea etiam ad populum imperantem (§. 1356.) in democratiis esse applicanda.

§. 1363. Nec minus adnotandum, ea, quæ in Specimine de imperio civili, de cive subjecto in genere evicimus, in quemlibet patrem-familias, intra numerum licet existentem, sigillatim tamen spectatum, cadere debere, nisi consensu totius populi imperantis summi ab hac vel illa obligatione civili exemtus & jura quædam prærogativa nactus fuerit.

§. 1364. Inde facile patebit, quemlibet ex patribus-familias, in sinu quorum, collective sumtorum, summa potestas conspicua est, subesse LL. civilibus democraticis seu populiscitis, & civiliter obligari illis attemperare actiones suas, nec minus dependere a potestate universi populi regnantis judiciaria summa, & posse committere delicta civilia quæ-

cunque

cunque, atque ob ea subesse juri puniendi supremo totius populi, qua imperantis, quorsum casus in §. 1349. commemoratus referri potest, & quæ sunt ejusmodi alia.

§. 1365. In quacunque civitate jura imperii non exercentur a populo, illa democratica non est (§. 1331.). Unde patet, quod si nihil quam jus constituendi senatum & magistratus, etsi quotannis, sit penes populum, electi vero absolutam in suo tempore potestatem habeant, ejusmodi civitas pro democratica haberi non possit. Hoc enim casu non populus, sed electi jura majestatica exercent. Præterea ejusmodi electi jure proprio (§. 628.), nec ex consequenti nomine populi eligentis, jura majestatica administrant.

§. 1366. Democratia, quod ad modum administrandi attinet, ab *Hubero* in laxam & restrictam dividitur.

§. 1367. *Laxam* sive *resolutam democratiam* cum eodem autore dicimus, quando universus populus, ad concionem vocatus, omnia summæ potestatis jura saltem majora, secundum plurium sententias exercet atque disponit, ut *Athenis* in ecclesiis, *Romæ* in comitiis.

§. 1368. Hæc duabus, quasi anchoris teneri firmarique debet, senatu & magistratibus.

§. 1369. Ut per *Senatum* ea quæ populus decrevit, quæque adsiduo in republ. occurrunt, neque in universum a populo decerni possunt, expediantur.

§. 1370. *Magistratus*, ut functiones ordinariæ & inferiores, ad ordinem civitatis necessariæ per eos administrentur.

§. 1371. Restricta democratia hoc solo ab altera differt; quod rarius convocatur populus & plura senatui ac magistratibus committuntur.

§. 1372. *Negotia* dicuntur *publica*, quæ intuitu boni publici suscipiuntur.

§. 1373. Cura negotiorum publicorum ad conservandam securitatem & felicitatem publicam contendit (§. 1372. 509.).

§. 1374. Negotia publica intuitu boni publici suscipiuntur,

untur (§. 1372.). Enimvero promotio boni publici in exercitio imperii civilis summi suas rationes habet (§. 567.); cura ergo negotiornm publicorum ab exercitio imperii summi dependet (§. 909.).

§. 1375. Exercitium imperii summi in democratiis a patribusfam., qui sunt intra populum universum, qua imperantem, tribuendum est (§. 1331.1357.); cura itaque negotiorum publicorum in democratiis a patribusfam., qui sunt intra populum universum, qua imperantem, dependet.

§. 1376. Ejusmodi cura adhiberi non potest, nisi populus universus, qua imperans, conveniat, & de negotiis publicis deliberet atque concludat, quæ impedienda sint. Conventus populi universi, qua imperantis, ad negotia publica expedienda tendens, COMITIORUM nomine insignitur.

§. 1377. Populus exercet jura imperii summi seu majestatica in comitiis (§. 1376. 1374.).

§. 1378. Populo itaque universo in democratiis tribuendum est *jus comitiorum*, quod absolvitur jure conveniendi, & deliberandi de negotiis publicis atque concludendi, quænam expedienda veniant (§. 1375. 1376.).

§. 1379. In democratiis jus comitiorum tribuendum est patribusfamilias, qui sunt intra populum universum, qua imperantem (§. 1378.). Hinc & iisdem jus conveniendi & deliberandi de rebus gravissimis, nec non concurrendi ad conclusum competere debet (§. cit.). Quod jus quibuslibet, qui jus comitiorum habent, in quacunque rep. ubi comitia vigent, adscribendum est.

§. 1380. Deliberare de negotio significat pensitare commoda & incommoda, quæ ex eo suscipiendo vel omittendo suboriri possint (§. 1343. E.). Unde patet, quid sit *jus deliberandi* s. *consultandi*. Sed & simul clarum est, cum jure comitiorum, quo quis pollet, jus in conventu libere proponendi commoda vel incomoda, quæ sibi videntur subnascitura ex negotii susceptione vel intermissione (§. 1378.) copulatum

esse,

esse. Hoc applicandum ad patresfamilias, qui sunt intra populum universum, qua imperantem (§. 1379.).

§. 1381. Voluntas populi universi, qua imperantis, complectitur voluntates omnium patrumfam., qui sunt intra numerum, collective sumtas (§. 1356.). Eandem propositionem concipies, si consideraveris, ex voluntatibus omnium, qui sunt intra populum, enasci voluntatem populi universi.

§. 1382. Consensus populi universi, qua imperantis, complectitur consensus omnium patrumfam., qui sunt intra numerum (§. 1253. E. & 1381.). Ex paulo inferius dicendis patebit, hanc & præviam propositionem locum habere, licet vi pacti per plurima vota negotium decidendum veniat.

§. 1383. *Concludere* seu *decidere* seu *decernere negotium* est nihil aliud, quam declarare voluntatem decisoriam de negotio expediendo vel intermittendo. *Conclusum* seu *decretum populi universi, qua imperantis* est voluntas decisiva ejusdem populi mittendi aliquam rem ad actum. Sed populus universus, qua imperans, complectitur numerum patrumfam., qui, collective sumti, pollent vi pacti exercitio jurium imperii (§. 1356.); *conclusum* ergo *populi universi, qua imperantis, complectitur voluntates, populo declaratas ab omnibus patribusfamilias, qui, collective sumti, pollent vi pacti exercitio jurium imperii, de re aliqua, in actum mittenda.*

§. 1384. Voluntas, a socio societati declarata de negotio, quod in deliberationem cadit, expediendo, dicitur votum s. suffragium (§. 111.). Conclusum ergo populi universi, qua imperantis, complectitur vota omnium patrumfamilias, qui, collective sumti, pollent vi pacti exercitio jurium imperii (§. 1383.).

§. 1385. Conclusum populi universi, qua imperantis, est totum, quod ceu partes actuales complectitur vota omnium patrumfamilias, qui sunt intra numerum conventum (§. 1541. E. & 1384. S.).

§. 1386. Conclusum populi universi, qua imperantis, est aggrega-

aggregatum ex votis omnium patrumfamilias, qui sunt intra numerum conventum. (§. 1385.).

§. 1387. Partes actuales a toto separari nesciunt ob correlationem indivisam. Vota itaque patrumf., qui sunt intra numerum, a concluso totius populi, qua imperantis, divelli non possunt. (§. 1385.).

§. 1388. A jure concludendi, populo universo, qua imperanti, competente, jus ferendi suffragium, cuilibet patrumfamilias, qui sunt intra numerum, tribuendum separari nescit. (§. 1387.).

§. 1389. Conclusum populi universi, qua imperantis est conclusum omnium patrumfamilias, qui, collective sumti, jura imperii exercent (§. 1356), & consequenter decisum seu voluntas decisoria, collecta ex voluntatibus seu votis (§. 111.) omnium patrumfamilias, qui sunt intra numerum. Concipimus itaque voluntatem decisoriam populi universi, qua imperantis, ex collectis votis omnium patrumfamilias, qui sunt intra numerum conventum (§. 41. E.). Hinc ejusdem voluntatis populi decretoriæ rationem sufficientem in collectione votorum eorundem deprehendimus. (§. 43. E.). Unde patet, quod eadem vota, collective sumta, sint principium (§. 43. E.) & causa (§. 202. E.) voluntatis populi decisoriæ, tanquam effectus. (§. 202. E.).

§. 1390. Inter causam & effectum datur nexus(§. 203. E.). Ergo patrumfamilias, qui sunt intra numerum, vota, collective sumta, habent nexum cum voluntate populi decisoria (§. 1389.). Jus ergo voti, singulis patribusfam., qui sunt intra numerum, tribuendum, est inseparabile a populi totius jure declarandi voluntatem decisoriam.

§. 1391. *Concurrere ad conclusum* seu *decisum populi universi* significat esse e numero concludentium s. decidentium negotia publica, quæ in deliberationem cadunt.

§. 1392. Concurrere ad conclusum populi universi significat esse e numero eorum, qui declarant voluntatem suam

decisoriam de negotio publico expediendo vel intermittendo. (§. 1391. 1383.).

§. 1393. Declaratio voluntatis decisoriæ, a socio societati facta, de expediendo negotio proposito dicitur *votum decisivum* (§. 111.), quod contradistinguitur *voto deliberativo* s. *consultativo*, quod non nisi ad enumerationem commodorum vel incommodorum negotii, in medium prolati, tendit. (§. 1343. E.). Sed si dicendum, quod res est, votum deliberativum est improprie tale, cum definitio voti (§. 111.) ad illud applicari non possit.

§. 1394. Concurrere ad conclusum populi universi denotat esse e numero eorum, qui gaudent voto decisivo. (§. 1392. 1393.).

§. 1395. Jus concurrendi ad conclusum populi universi, qua imperantis, est copulatum cum jure ferendi votum decisivum. (§. 1394.).

§. 1396. Jus comitiorum, patribusfam. qui sunt intra populum universum, qua imperantem, tribuendum, copulatum est cum jure concurrendi ad conclusum populi (§.1379.) & consequenter cum jure ferendi votum decisivum intuitu negotiorum publicorum. (§. 1395.).

§. 1397. Obligatur populus admittere votum decisivum cujusque patrisfam. qui est intra numerum, & ad illud reflectere in ferendo concluso. (§.226. 1396.). Hinc & votum unius decisivum ita est comparatum, ut reliqui, qui sunt intra numerum, in ferendo decreto totius societatis vel collegii ad illud reflectere obligentur.

§. 1398. Ponas, dari patresfam. in aliqua democratia, qui jure non gaudent ferendi votum decisivum, illi non sunt intra populum imperantem. (§. 1396.).

§. 1399. Conclusum populi universi, qua imperantis, est aggregatum ex votis decisivis omnium patrumfam. qui sunt intra numerum conventum. (§. 1385. 1396.).

§. 1400. *Æstimari vota* dicuntur, si ad eorum qualitatem reflecta-

reflectatur. Quatenus eorum non nisi quantitatis ratio habeatur, ea *numerantur*. *Qualitas votorum* sub se comprehendit eorum bonitatem vel malignitatem.

§. 1401. Ponas, quod in æstimandis votis (§. 1400.) quædam eorum, tanquam maligna, rejicerentur, illa reliquis suffragiis non annumerarentur, & consequenter conclusum populi non esset aggregatum ex votis decisivis omnium patrumfam. qui sunt intra numerum. Quod cum contradicat §. 1399., vota patrum-familias in ferendo deciso populi æstimari non possunt.

§. 1402. In votis considerandis eorum vel qualitas vel quantitas spectanda,& consequenter ea vel æstimari,vel numerari possunt (§.1400.). Prius in ferendo decreto populi locum non habet (§ 1400.), ergo eodem casu ea non nisi numeranda esse certum est. Conf. B. HENR. de COCCEII Disp. de *Calculo Minervæ* Sect. I. §. 1. & 2.

§. 1403. Modus & ordo in conveniendo, in deliberando, in ferendis suffragiis & in concludendo, observandus, dependet a pacto expresso vel tacito. (§. 1350.).

§. 1404. A consensu totius populi dependet, quænam res non nisi unanimitate votorum expediri debeant,& quibusnam exequendis eorum pluralitas sufficiat. (§. 1350.). Casu posteriori major pars concludit & vi conventionis conclusum, numero votorum majori suffultum, æquiparatur concluso populi universi, qua imperantis (§. 115.), & consequenter concluso omnium patrum familias, qui sunt intra numerum (§. 1356.). Reflectatur simul ad §. 116. Per *partem majorem* intelligitur, quæ numero vincit (§ 1400.), seu cujus pars æqualis est numero dissentientium.

§. 1405. Civium subjectorum actiones dependent ab imperio civili summo (§. 751.) & consequenter a præscriptis imperantium (§. 526.). Quæ cum determinationem imperantium (§. 213.), ab eorum voluntate separari nesciam (§. 166. II.), præsupponant; civium subjectorum actiones a voluntate summorum imperantium dependent. Sed cum actiones

P 2 civium

civium ab eorum voluntate repetendæ sint (§.508. E.), voluntas civium a voluntate imperantium dependet. Hinc imperantium voluntas & intellectus (§. 168. E.) recte dicitur voluntas & intellectus populi, sibi subjecti.

§. 1406. Quousque vi pacti patet imperium civile summum, eousque voluntas imperantium est voluntas populi, sibi subjecti. (§. 1405.).

§. 1407. Populus, qua civitas, est societas (§.492.), eique adeo cum ratione sufficiente una voluntas tribuitur (§. 7.), cujus vestigia in imperantibus cumprimis conspicua sunt. (§. 1405.). Populus, qua imperans, constat ex patribus-familias, qui sunt intra numerum. (§. 1356.). Horum vota sunt eorum voluntates. (§. 112.). Enimvero voluntas præsupponit motiva (§. 174. E.), votum alicujus patrisfam. in democratiis, ceu unum motivum populi universi, qua imperantis considerari potest (§. 85. E.). Quot patresfam., qui sunt intra numerum, tot vota (§ 1396.), & quot vota, tot motiva populi universi. Uti teste experientia major pars motivorum in mente unius individui, obviorum, vincere solet minorem numerum motivorum, illis contrariorum, si homo singularis ad qualitatem eorum non reflectat; ita major pars votorum in sinu & senatu totius populi deprehensorum, congrue dicitur vincere minorem numerum votorum dissentientium, cum populus ad qualitatem votorum minus reflectat, nec pro ratione circumstantiarum reflectere possit. (§. 1401.). Et uti homo singularis, sub eadem hypothesi consideratus, majori motivorum numero feratur ad decernendam aliquam actionem, ita ex majori votorum parte subnasci conclusum totius populi recte affirmatur. Sufficientem itaque rationem conclusi populi universi ex pluralitate suffragiorum concipimus (§. 43. E.), si quippe negotium sit ex eorum genere, quorum decisio vi conventionis majori parti commissa fuit. (§. 1404.).

§. 1408. Rationi conveniens est, *nihil agi, si vota paria fuerint*. In §. præcedenti ostensum est sat luculenter, vota socio-

sociorum esse consideranda ceu motiva societatis integræ, individuo humano æquiparandæ. (§. 17.) Ponas in Titio numerum motivorum, quæ ad negotium aliquod omittendum eum commovent, æqualem esse numero motivorum, quæ illum stimulant, ad illud suscipiendum; ponas porro Titium minus reflectere ad qualitatem motivorum intrinsecam, nec extrinseci quidpiam accedere ad alterutram partem, quod eum ad hanc fortius commoveat; ponas itaque Titium non nisi numerum motivorum, ejus mentem inclinantium & reclinantium, respicere; hoc casu cum nulla adsit ratio sufficiens (§. 43. E.), cur Titii mens magis inclinetur, quam reclinetur, seu cur ad alterutram contradictionis partem magis inclinetur (§. 505. E.), mens quasi in æquilibrio est, & voluntas deficit. (§. 154. E.). *Tollitur appetitus animi, si neutram in partem semper propensior fit.* Sunt verba CICERONIS L. 5. Fin. c. 10. Eodem ergo casu nullum concipitur decretum voluntatis in Titio. In locum Titii substituas populum, & in vicem motivorum vota patrum familias, qui sunt intra numerum, conclusio nostra erit manifesta. Nam ponas in populo numerum votorum, quæ ad negotium aliquod omittendum contendunt, æqualem esse numero suffragiorum, quæ illius susceptionem urgent; ponas porro populum minus reflectere ad qualitatem votorum intrinsecam, saniora ea sint ac prudentiora, an secus, nec ad extrinsecum quidpiam, quod accederet ad alterutram contradictionis partem & quod eum ad hanc fortius commoveat; quæ omnia potiori ratione in populo supponenda sunt (§. 1401.); ponas itaque, populum non nisi numerum suffragiorum, quorum pars dimidia altera eum ad agendum, altera vero ad non agendum commovere connititur, respicere, id quod in populo iterum potiori modo supponendum est (§. 1402.); hoc casu cum nulla adsit ratio sufficiens, cur populus ad alteram contradictionis partem magis inclinetur, populus quasi in æquilibrio est, & ejus voluntas deficit, nec consequenter decretum s. conclusum illius concipitur. *Nihil* itaque *agi* recte adstruitur, *si vota paria fuerint.*

§. 1409. Palmaria quæstio, a qua decisio propositionis nostræ dependet, eo redit, utrum nostro casu adsit motivum ad agendum, & consequenter votum. (§. 1407.). Nullum motivum nostro casu adesse, etiam sic commonstrari potest. Cum heic loci non nisi numerus votorum in censum veniat (§. 1402.) & conclusum populi sit aggregatum votorum omnium patrumfam. (§. 1397.), nec minus vota affirmativa per quantitates positivas, negativa per privativas repræsentari possint & debeant; sumas 80. vota affirmativa & 80. vota negativa, & utraque ad unam summam referas, prodibit in aggregato cyphra s. nihil, de quo eo minus dubitabis, si sortem 50. florenorum debito 50. florenorum addideris, cum hoc debitum sortem absorbeat. Hoc itaque casu nullum adest motivum, & nullum consequenter votum (§. 1404. nec nullum adeo conclusum populi (§. 1387.). Usum insignem in nostro argumento nobis præstiterunt §§. 508. 509. 510. *Met. Germ.* & §. 931. *Psychologiæ Empiricæ Lat.* WOLFFII. Nec minus expensu apprime digna est HENR. COCCEII Dissert. de *Calculo Minervæ*, ubi evincitur, non eum esse CALCULUM MINERVAE, quando paribus punctis unum accedit, sed hunc demum quando paribus numero suffragiis, reus a pœna criminis liberatur. Addas Diss. BOECLERI de *calculo Minervæ*. Eundem vero calculum non solum in condemnatione reorum, sed aliis quoque rebus ac negotiis locum habere, COCCEIUS, nostro encomio major, & quem nominasse suffecerit, in cit. Diss. § 11. Sect. II. commonstravit.

§. 1410. Principia, quæ de jure comitiorum & suffragiorum in medium protulimus, non solum in regimine democratico, sed & in collegiis & corporibus mysticis locum habent. Et licet comitia a democratiis separari nesciant (§. 1377.), ab illis tamen ad has argumentari non licet.

§. 1411. Si negotium ita sit comparatum, ut illud vi pacti non aliter quam unanimi consensu expediri possit, major pars patrumfam. pactum violaret (§. 1404.), & læderet partem eorum minorem reliquam, si conclusum ad normam votorum plurium formare vellet (§. 1311.). §. 1412.

§. 1412. Si minor pars populi renitatur concluso, ex pluralitate votorum vi pacti collecto, pactum violaretur (§. 1404.), & pars populi major læderetur (§. 1311.) atque causam disceptationis justificam nancisceretur. (§. 1089. E.).

§. 1413. Eo casu, quo negotium vi pacti decidi potest per vota plurima, pars major populi pollet vi ejusdem jure decidendi & exequendi negotium. (§. 1329. E.). Huic juri respondet in parte populi reliqua compaciscente obligatio acquiescendi in concluso partis majoris (§. 1324. E.), suasque actiones ejusmodi populi scito attemperandi, ceu cives subjectos decet, (§. 1364.). Concipimus itaque hoc casu in parte populi minori duplicem obligationem, quarum altera est naturalis, ipsi, qua compaciscenti competens, seu quæ immediate ex pacto, cui regimen populare est superstructum (§. 1338.), descendit, altera vero civilis, ipsi, ex subjectione civili subnascens. (§. 1360.).

§. 1414. Inde multiplici ratione perspicitur jus, parti suffragantium majori competens, cogendi partem minorem reliquam renitentem ad obsequium & ad custodiam conclusi, ex pluralitate votorum prognati. (§. 775. E. 1198. seq.).

§. 1415. In casu, quo calculus Minervæ occurrit (§. 1409.), pars dimidia suffragantium altera alteram læderet, si ad conclusum progredi, illudque exequi connitatur. Cum enim hoc casu nullum adsit conclusum populi, altera pars sine jure ageret, & consequenter alteram læderet. (§. 215.).

§. 1416. A conventione populi dependet, utrum *comitia* debeant esse *stata*, statuto quotannis tempore habenda. (§. 1350.). Hoc casu jus conveniendi patribusfam., qui sunt intra numerum, ipso jure, ex pacto descendenti (§. 1328. E.), competit.

§. 1417. A conventione populi dependet, utrum velint eligere, qui habeant *jus convocandi populum*, h. e., indicendi comitia. (§. 1350.). Quo facto nemo præter electos eodem jure pollere potest. Sed & electi obligantur vi promissi, populo dati, ut convocent, si negotia publica id exegerint,

§. 1423. Ejusmodi numerus poteſt eſſe vel definitus, vel indefinitus; id quod a pacto dependet (§. 1421.).

§. 1424. Ejusdem numeri auctio vel diminutio a pacto dependet, quod eſt inter optimates & populum (§. 1422.).

§. 1425. Si itaque optimates numerum eundem augere vel minuere velint citra contrave pactum, auctio ejusmodi vel diminutio ad lædendum populum contenderet (§. 1311. E.).

§. 1426. Si numerus procerum vi pacti ſit indefinitus, eorum arbitrio relictum eſt ſibi aſciſcere ſocios.

§. 1427. Æqualitas vel inæqualitas optimatum; eorum diviſio in ordines; magiſtratus perpetui ſint, an temporarii annuique, pleno tamen & ſummo imperio exſplendeſcentes (§ 1311. 1319.); primores conſtituantur electione, an jure ſucceſſionis & hereditario poteſtatem ſummam nanciſcantur; utrum optimates ſibi ipſis ſucceſſores legant, an legantur a populo? Utrum in Ariſtocratia ſucceſſiva minores & fœminæ optimatibus annumerentur, an ſecus? hæc omnia a pacto dependent (§. 1421.).

§. 1428. Quod ad inæqualitatem procerum attinet, ad §. 1348. reflectas. Et ſi tibi electio procerum, a populo dependens, videatur repugnare imperio Ariſtocratico, §. 1365. conſideres. Nec eidem regimini magiſtratus temporarii contradicunt, dummodo penes illos ſit τὸ κύριον, eique ad rationes populo reddendas non obligati ſint (§. 1422. 1318.).

§. 1429. *Principatus* ea forma dicitur, ſi ex pluribus optimatibus uni quædam præcipua præ ceteris jura competant, reliqua communia omnibus ſint. Quam notionem attulit GRIBNERVS in Jurispr. Nat. L. II. c. VI. §. 2. not. 5. Principatum ejusmodi non tollere regimen Ariſtocraticum, ex inæqualitate, eidem imperio minus contraria, intelligitur (§. 1428.).

§. 1430. Solum pactum juſtum eſt modus juſtus acquirendi locum in numero optimatum (§. 1422.).

§. 1431. Quicunque optimates vi injuſta (§. 1092. E.) cogere connititur, ut in numerum eorum recipiatur, is eosdem lædit (§. 971. E.).

§. 1432. In regimine aristocratico imperium civile summum seu majestas (§. 528.) est penes optimates, collective sumtos (§. 1341.). Hinc optimates sigillatim considerati, majestate non gaudent. Proinde crimen læsæ majestatis adversus unum vel alterum ex primoribus committi non potest, nisi legibus aliter sancitum sit, quo casu ad §. 1272. provocamus.

§. 1433. Civis, qui imperans non est, subjectus est imperio civili summo (§ 528. 530.). Optimates in Aristocratiis sunt cives (§. 1331. 1422. 530.), qui, sigillatim spectati, imperantes non sunt (§. 1432.), & consequenter eodem respectu subjecti sunt imperio civili summo, adeoque & numero reliquorum optimatum, collective sumtorum (§. 1339.).

§. 1434. Optimates, universim sumti, sunt imperans summus in Aristocratia (§. 1339.), & vivunt in statu civili (§. 535.), sed simul in libertate naturali (§. 1298.). E contrario quilibet optimatum, sigillatim spectatus, in statu & civili (§. 535.) & subjectionis civilis (§. 1433.), nec ex consequenti in libertate naturali vivit (§. 751. 761.).

§. 1435. In genere notandum, ea omnia, quæ summis imperantibus in Specimine de imperio civili tribuenda demonstravimus, ea etiam ad optimates, copulative sumtos (§. 1339.), in Aristocratia esse applicanda.

§. 1436. Sed & facile liquet, ea, quæ in Specimine de imperio civili de cive subjecto in genere evicimus, in quemlibet ex optimatibus, separatim sumtum, cadere debere, nisi notatione legis ab hac vel illa obligatione civili exemtus & jura quædam prærogativa nactus fuerit.

§. 1437. Inde facile est ad judicandum, quemlibet ex primoribus, sigillatim sumtum, subesse LL. civilibus Aristocraticis, & civiliter obligari illis attemperare actiones suas, nec minus dependere a potestate collegii universi regnantis judiciaria summa, & posse committere delicta civilia quæcunque, atque ob ea subesse juri puniendi & gladii supremo totius cœtus primorum, & quæ sunt hisce similia alia,

§. 1438.

§. 1438. In §. 1365. adduxi regimen, quod quidem præ se fert speciem democratiæ, sed quod imperiis Aristocraticis jure annumerandum.

§. 1439. Cura negotiorum publicorum in Aristocratiis ab optimatibus, collective sumtis, dependet (§. 1357.).

§. 1440. Ejusmodi cura adhiberi non potest, nisi optimates conveniant, & de negotiis publicis deliberent, atque in senatu concludant expedienda.

§. 1441. Optimates in senatu exercent jura majestatica (§. 1374. 1440).

§. 1442. In Aristocratiis cuilibet ex primoribus jus conveniendi in senatu & deliberandi de rebus gravissimis, nec non concurrendi ad conclusum competere debet (§. 1440.).

§. 1443. Cum jure deliberandi de negotiis publicis, cuilibet optimatum tribuendo (§. 1442.), copulatum est jus in senatu libere proponendi commoda vel incommoda, quæ sibi videntur subnascitura ex negotio suscipiendo vel omittendo (§. 1380.).

§. 1444. Quod est monarcha in monarchia, totus populus, qua imperans, in democratia, id est senatus universus primorum in aristocratia (§. 1339.).

§. 1445. Quicquid de populo universo, qua imperante, in democratiis demonstravimus, illud etiam applicandum est ad senatum optimatum. (§. 1444.).

§. 1446. Si itaque pro populo universo, qua imperante substituas collegium primorum, pro patribusfamilias, qui sunt intra numerum, optimates, nec non pro comitiis senatum primorum, §§. 1381. 1382. 1383. 1384. 1385. 1386. 1387. 1388. 1389. 1390. 1395. 1396. 1397. 1398. 1399. 1401. 1402. 1403. 1404. 1408. 1409. 1411. 1412. 1413. 1414. 1415. ad collegium primorum & ad conclusa senatus Aristocratici applicari possunt.

§. 1447. Sic per principium reductionis complura, quæ de regimine democratico demonstrata sunt, vi similitudinis, non ultra tertium extensæ, ad imperium aristocraticum trans-

transferri possunt, licet eadem eodem, quo id factum est de democratiis, modo evinci possint de regimine aristocratico. Arripiamus jam viam reductionis, quæ compendiaria est, ne nimis excrescant specimina, quæ in usum prælectionum nostrarum Academicarum a nobis conscribuntur.

§. 1448. Voluntas concilii Aristocratici universi complectitur voluntates omnium optimatum, collective sumtas (§. 1446. 1381.).

§. 1449. Consensus concilii Aristocratici complectitur consensus omnium optimatum (§. 1446. 1382.).

§. 1450. *Conclusum* seu *decretum Senatus Aristocratici*, qua *imperantis summi*, est voluntas ejusdem decisiva mittendi aliquam rem in actum (§. 1446. 1383.).

§. 1451. Conclusum concilii Aristocratici universi complectitur voluntates collegio universo significatas ab omnibus optimatibus de re aliqua in actum mittenda (§. 1446. 1383.).

§. 1452. Conclusum concilii Aristocratici complectitur vota omnium optimatum (§. 1446. 1384.).

§. 1453. Vota optimatum a decreto totius collegii Aristocratici divelli nesciunt (§. 1446. 1387.).

§. 1454. A jure concludendi, senatui Aristocratico universo competenti, jus ferendi suffragia, cuilibet ex optimatibus tribuendum, separari nescit (§. 1446. 1388.).

§. 1455. Vota optimatum, collective sumta, sunt principium de causa voluntatis senatus Aristocratici decisoriæ, tanquam effectus (§. 1446. 1389.).

§. 1456. Jus voti, singulis optimatibus tribuendum, inseparabile est a senatus Aristocratici totius jure declarandi voluntatem decisoriam (§ 1446. 1390.).

§. 1457. Jus concurrendi ad conclusum senatus Aristocratici est copulatum cum jure ferendi votum decisivum (§. 1446. 1395.). Unde patet, quod cuilibet optimatum tribuendum sit jus ferendi votum decisivum intuitu negotiorum publicorum (§. 1442.).

§. 1458.

§. 1458. Obligatur senatus Aristocraticus admittere votum cujusque optimatum, & ad illud in ferendo concluso reflectere (§. 1446. 1396.).

§. 1459. Qui in Aristocratiis jure non gaudent ferendi votum decisivum in senatu, illi e numero primorum non sunt (§. 1457.).

§. 1460. Conclusum senatus Aristocratici universi est aggregatum ex votis decisivis omnium optimatium (§. 1446. 1399.).

§. 1461. In Aristocratiis modus & ordo, in conveniendo, in deliberando, in ferendis suffragiis & in concludendo observandus, dependet a pacto vel expresso vel tacito (§. 1421.).

§. 1462. Vi §. 1446. ad civitatem Aristocraticam applicanda sunt, quæ de unanimitate & pluralitate, nec minus de parilitate votorum seu de calculo Minervæ §. 1404. usque ad §. 1415. dicta sunt.

§. 1463. Eo casu, ubi vota optimatum æqualia sunt, populum non habere arbitrium litem decidendi, facile est ad judicandum. Pugnaret hoc cum summitate imperii, quæ collegio optimatum tribuenda est (§. 1339.), & quæ hominis nullius judicium decisivum supra se patitur.

DE IMPERIO ABSOLVTE MONARCHICO.

§. 1464. In imperio Monarchico justum est, de quo inter Monarcham & populum expresse vel tacite conventum est (§. 588. 1331.).

§. 1465. Monarcha vivit quidem in statu civili (§. 535. 1331.), sed simul in libertate naturali (§. 1298.).

§. 1466. In genere notemus, ea omnia quæ in Specimine de Imp. Civ. summis imperantibus tribuenda demonstravimus, ea etiam præcipue ad Monarcham applicanda esse (§. 1331.).

§. 1467.

§. 1467. *Rex*, *Imperator*, *Cæsar*, *Autocrator*, sunt tituli, quorum acquisitio a pactis dependet (§. 1464.). Dantur, quibus imperium summum sine Regis nomine datum fuit. Dantur etiam, quos populos regis nomine insignivit, quibus tamen suprema potestas delata non est. Exemplo sint *reguli Laconum*, *Carthaginensium &c.* Et licet princeps nactus fuerit titulum regium a populo suo, eundem tamen ab aliis populis stricto jure an postulare possit, ex jure rerumpubl., inter se consideratarum, patebit.

§. 1468. Si quid alicui vi pacti defertur, hoc fieri potest vel sub adjecta aliqua determinatione, in se mutabili, hoc est, sub *conditione extrinseca* vel sine illa (§. 1377. E.). Posteriori casu *aliquid alteri pure* seu *absolute* seu *simpliciter delatum* dicitur, priori vero *conditionate*.

§. 1469. Summa potestas civilis vi pacti vel sub conditionibus quibusdam, vel pure aliis deferri potest (§. 1468.).

§. 1470. Si cui jus delatum sit sub adjectis conditionibus, illius exercitium concipitur ex illis (§. 41. E.), & consequenter in iis rationes suas habet (§. 43. E.), atque adeo ab iisdem dependens est (§. 909. E.).

§. 1471. Si cui jus aliquod pure seu simpliciter delatum fuerit, illud sine ullis conditionibus in eum translatum censetur (§. 1468.).

§. 1472. Si cui potestas summa civilis delata sit sub adjectis conditionibus, illius exercitium ab iisdem dependens est (§. 1470.).

§. 1473. Si cui eadem potestas delata fuerit pure seu simpliciter, ea sine ullis conditionibus in eum translata (§. 1468.), censetur. Hoc casu exercitium ejusdem potestatis summæ non concipitur ex conditionibus (§. 41. E.), nec ex consequenti in iis rationes suas habet (§. 43. E.), adeoque ab iisdem independens recte dicitur (§. 909. E.).

§. 1474. Dependentia actionum a conditionibus, quibus illæ attemperandæ sunt, efficit, ut numerus earundem suscipiendarum vel omittendarum fiat minor, h. e., ut tot actio-

actiones suscipere nobis non liceat, quot suscipere potuissemus, nisi conditiones adfuissent. Dependentia itaque actionum nostrarum a conditionibus, quibus illæ accommodandæ veniunt, limitat actiones nostras (§. 767.).

§. 1475. Hinc & conditiones, quibus actiones attemperandæ sunt, easdem limitare & circumscribere dicuntur (§. 1474.), nec minus causæ limitationis & circumscriptionis actionum appellantur (§. 222. E.).

§. 1476. Variantibus, evanescentibus, existentibus novis conditionibus, quibus attemperandæ veniunt actiones nostræ, variant, evanescunt, existunt novæ limitationes actionum nostrarum (§. 1475.).

§. 1477. Si dentur actiones, quæ nullis conditionibus attemperandæ veniunt; nulla adest ratio, quæ efficiat, ut earum expediendarum numerus fiat minor, & consequenter nihil deprehenditur, quod easdem actiones limitet, & circumscribat (§. 764.).

§. 1478. Ponas conditiones, quibus attemperandæ veniunt actiones nostræ, causæ adsunt limitationis actionum nostrarum (§. 1475.). Tollas conditiones ejusmodi, nulla adest ratio limitationis earundem. Sola itaque conditiones ejusmodi sunt causa limitationis actionum nostrarum, seu conditiones ejusmodi sunt sola causa vel ratio sufficiens (§. 43. E.) limitationis actionum nostrarum.

§. 1479. Cum limitationes alicujus rei rem ipsam limitandam destruere non debeant, conditiones, de quibus hic sermo est, ita comparatæ esse non possunt, ut destruant & tollant rem limitandam, quæ nostro casu est exercitium jurium majestaticorum. Conditiones, quæ contradicunt exercitio summæ potestatis sunt incompossibiles (§. 38. E.), & consequenter nullæ.

§. 1480. Limitatum & non limitatum seu illimitatum sunt contradictorie opposita. Non limitatum dicitur *liberum*. Hoc sensu liberum & limitatum sunt contradictorie opposita. Hinc quod limitatum est, illud non est liberum, &

quod

quod liberum est, illud non est limitatum, eodem sensu, acceptis terminis.

§. 1481. Si *imperium civile summum* uni vel pluribus pure & simpliciter delatum sit, illud dicitur *purum & absolutum* (§. 1468.).

§. 1482. *Imperium civile summum pure & simpliciter delatum* sine conditione (§. 1468.), & consequenter non limitate (§. 1477.) translatum, adeoque *liberum recte dicitur* (§. 1480.).

§. 1483. Idem de omni jure, pure & simpliciter in alterum translato affirmandum est.

§. 1484. Nec minus patet, eum, in quem jus aliquod pure & simpliciter devolutum est, suo arbitrio illud exercere (§. 1483.). Id quod ad exercitium jurium majestaticorum, in unum vel plures pure devolutum, applicandum.

§. 1485. Quousque hoc arbitrium in exercendo jure, nobis concesso, pateat, indoles juris, de cujus exercitio quaeritur, commonstrat. Notum est aliunde, arbitrium non in rebus absolute necessariis, sed tantum in contingentibus dari (per Consect. 3. §. 187. E.). Et cum essentialia rerum, earumque attributa sint necessaria, in illis nullum concipitur arbitrium. E contrario cum modi rerum sint mutabiles, & consequenter contingentes (§. 179. E.), arbitrium in hisce locum habere recte adstruitur.

§. 1486. Notemus hanc libertatem, exercitio imperii civilis summi, qua pure translati, tribuendam (§. 1482.), sed distinguendam simul a libertate naturali summa, quae populis, in statu naturali viventibus, adscribitur (§. 525.). Dantur populi, qui sunt liberi, & inquibus imperium civile summum, ejusque exercitium limitatum, nec consequenter liberum deprehenditur (§. 1480.). Hinc licet regnum aliquod sit limitatum ratione exercitii jurium majestaticorum, populus tamen ejusque imperantes summi liberi permanent, intuitu libertatis naturalis summae, in qua vivunt. Limites enim, qui in exercitio τῦ κυρίυ obvii sunt, non efficiunt, ut aliquis populus desinat esse independens ab omni im-

perio

perio humano quocunque, & consequenter non tollunt libertatem ejus naturalem (§. 913. E.).

§. 1487. Quicquid tribuitur exercitio imperii limitato, illud removendum est ab exercitio illius libero (§. 1480.). Sic ex definitione negativa imperii liberi nanciscimur conclusiones negativas. Sed non deest methodus, cujus ope ex eadem notione privativa in propositiones affirmativas incidimus, & ad quam in ipsis prælectionibus reflectemus.

§. 1488. Dantur *Monarchiæ*, ubi imperanti τὸ κῦρος pure & simpliciter delatum est, & quæ *pura*, *libera* & *absoluta* dicuntur. Monarcham absolutum jura majestatica suo arbitrio exercere, ex §. 1484. facile patet.

§. 1489. Horror, qui in nonnullis ex repræsentatione Monarchæ absoluti subnatus est, ex prædicatis, quibus eum onerant, inconcinnis & spuriis originem duxit, cum putent a Monarchia absoluta tyrannidem, exercitio talem, ejusque gradum majorem, & despotismum funestum separari non posse. Sed imperium absolute Monarchicum, nec tyrannicum, nec despoticum esse, ex sequentibus patebit. Abusum Monarchiæ absolutæ ab illius usu legitimo discernere debemus. Non desunt Monarchæ absoluti, qui fuerunt deliciæ populi sui, licet ad normam ideæ potestatis illimitatæ actiones suas attemperaverint. Suffecerit nominasse *Petrum I.* Moscorum Autocratora & imperatorem, &, quæ ei successerunt, Imperatrices.

§. 1490. Monarcha, absolute regnans, exercet arbitrio suo jura majestatica (§. 1488.), & consequenter jura, quæ ex jure præscribendi ea, quibus commune civitatis bonum (§. 557.), h. e. securitas & sufficientia major (§. 509.), obtinetur.

§. 1491. Arbitrium Monarchæ, absolute imperantis, cum securitatis & felicitatis publicæ conservatione nexu indivulso copulatum est, & ab ea divelli nescit (§. 1490.).

§. 1492. Jura, monarchæ absoluto tribuenda, ad securitatem & felicitatem publicam obtinendam (§. 1490.), nec

consequenter ad perniciem & calamitatem populi sui promovendam contendunt.

§. 1493. Acquiruntur jura majestatica non nisi per pactum (§. 572.), id quod applicandum ad Monarcham, absolute imperantem (§. 1488.). Sed pactum ab eo cum populo pure initum (§. cit.), eo tendit, ut suo arbitrio non calamitatem, sed salutem publicam promoveat (§. 1492.).

SCHOLION. Jura majestatica non nisi per pactum acquiri; ex §. 572. sat manifestum erit. Nec desunt, alii, qui idem sentiunt, e quorum numero GUNDLINGIUS est, qui in J. N. G c. 37. §. 24. adstruit, *nullam sine pactis rempublicam concipi*, a qua thesi §. 23. ne civitates quidem, quibus, violentia ortum dedit, excipiendas esse existimat.

§. 1494. Vi pacti in monarcha, absolute regnanti, exigitur conatus efficax pro arbitrio promovendi salutem publicam (§. 508. E. & §. 1493. Spec.). Sed tyrannus exercitio fertur conatu, qui bono civitatis communi contrarius est (§. 700.), ergo monarcha, qua absolute regnans, pro tyranno haberi non potest. Idea itaque tyranni cum idea Monarchæ absoluti consistere non potest. Id quod est notandum contra monarchomachos.

§. 1495. Hic non quæritur, an monarcha, absolute talis, degenerare possit, in tyrannum exercitio, quo casu plane aliam speciem induit. Notum est, quod monarchæ limitati, optimates in Aristocratiis, patresfamilias, qui sunt intra populum regnantem, in democratiis, &, ut breviter me expediam, omnes imperantes in quacunque reip. forma degenerare possint in tyrannos, æque ac monarchæ absoluti.

§. 1496. Ad tyrannidem, casu dato demonstrandam, requiritur, ut evincatur, imperantem imperii, legitime quæsiti, exercitio pactum, secum a populo initum, haud leviter violasse (§. 658. 659. 660.). Quam difficilis in pluribus casibus sit justa tyrannidis demonstratio, præcipue in monarcha absoluto, facile est ad judicandum. Multi, cumprimis absolute regnantes, visi sunt & videntur tyranni, qui

qui non fuerunt, nec ſunt. Aſſertum hoc ex §§. cit. & ſeqq. patebit.

§. 1497. Monarchomachorum propoſitiones III. GRIBNERVS L. II. c. VII. §. 2. not. 2. recenſet ſequentes: 1) *ſummum imperium ſemper eſſe penes populum: 2) principem male imperantem ab eo in ordinem poſſe redigi: 3) populum univerſum principe eſſe majorem: 4) quemlibet principi poſſe reſiſtere, ſi injuſta petat: 5) inprimis proceres regni, magiſtratus inferiores Regi ſe poſſe opponere: 6) abſolutum monarcham eſſe tyrannum, &c.* Ex quibus propoſitionibus quædam principiis, de imperio civili ſummo ſatis evictis, aperte repugnant, quædam vero nimis laxe determinatæ & inconcinnæ ſunt. Aſſertum 6tum deſtructum eſt §. 1494. in primo & tertio πρῶτον ψεῦδος & anguis latet, & nititur diviſione majeſtatis in perſonalem & realem, quam poſteriorem hæc ſecta populo tribuit, & quam §. 631. evertimus. Prima theſis vi §. 630. 631. 632. & tertia vi §. 1292. ſeqq. corruit. Aſſerta reliqua, nimis laxe enunciata, adeoque funeſto abuſui expoſita, ex doctrina de tyrannide accuratas & rationi ſufficienti conformes determinationes nanciſcuntur. Si primam & tertiam theſin, quæ ſunt baſes totius ſyſtematis Monarchomachorum, conſideres, mirum tibi non videbitur, cur inciderint in concluſiones, ſecuritati imperantium pernicioſas. Inſiſtentes principiis, quæ arripuimus, ſperamus, nos Monarchomachiſmum & Machiavelliſmum, quæ in noſtro argumento extrema funeſta ſunt, evitaturos. Machiavelliſtæ principi plus juſto tribuunt eumque ab omni ferme obligatione liberant & monarcham deſpotice regnanti ſimilem efficiunt. Huc ſpectat GRIBNERI nota I. §. 4. c. 7. L. II. quæ ſic ſe habet: *Jura & poteſtas principis ita explicanda ſunt, ne aut ſeditionibus aut tyrannidi anſa detur, aut deſpoticum cum Monarchico confundatur.*

§. 1498. IMPERIVM DOMINICVM ſeu DESPOTICVM dicitur, in quo imperanti dominica in ſubjectos, tanquam ſervos (proprios), poteſtas competit. Appellatur etiam DOMINATVS.

§. 1499. Quæ de potestate dominica in Specimine tertio demonstrata sunt, ea facili negotio ad imperium despoticum applicanda veniunt. Potiora itaque commemorasse suffecerit.

§. 1500. Ejusmodi imperium nititur pacto (§. 311.), ex quo illius justitiam §. 377. 378. 379. 380. evicimus.

§. 1501. Despotice imperanti (§. 1499.) competit jus pro arbitrio suo injungendi populo servo & omnibus ex populo operas, quibus utilitas commoditasve sua promoveri possit, nec minus de eo eisve libere disponendi, eumque eosve vindicandi a quocunque detentore, & eum eosve alienandi ac vendendi & permutandi cum aliis rebus, eique eisve pretium pro arbitrio imponendi (§. 358.), illumque illosve in usumfructum dandi (§ 360.).

§. 1502. *Unio regnorum* datur, quæ *incorporativa* dicitur, qua illa in unum corpus coalescunt. Datur & *unio regnorum*, *fœderalis* appellari apta, quæ neutri aliquid detrahit. Scoti An. 1707. circa unionem Angliæ & Scotiæ hoc discrimine usi sunt, v. TREVERI not. ad §. 15. c. VIII. L. II. PUFEND. de O. H. C. Suffecerit adduxisse hosce terminos, quomodocunque sonantes, cum explicationem convenientem patiantur, & usum suum præstent. Unio jurium, societatum & minorum & majorum, nec minus integrarum civitatum & integrorum imperiorum est maximi momenti. De unione jurium & inde descendentibus juribus compositis & novis specimen dedi in materia de jure Familiarum.

§. 1503. In *unione incorporativa* alterum tanquam corpus, alterum vero tanquam pars, illi inserenda, considerari debet. e. gr. si princeps terras, bello acquisitas, ita copulet cum regno suo, ut illæ ceu partes hujus tanquam corporis, considerentur. Hoc casu regnum, quod tanquam pars cum altero regno, qua corpore, coalescit, amittit jura τῦ κυρίυ. Huc spectat etiam casus, ubi pars terrarum a regno divellitur & alii regno, tanquam pars, jungitur, nec minus ubi milites distribuuntur in supplementum.

§. 1504.

§. 1504. Si ex duobus corporibus e. g. duobus regnis, unitis neutrum in alterius partem degeneret, sed utrumque unum totum tertium distinctum seu novum corpus efforment; nulla inde oritur incorporatio (§. 1503.). Ejusmodi totum tertium in Magna Britannia conspicitur.

§. 1505. Ejusmodi uniones & divisiones præsupponunt in uniente vel dividente jus uniendi vel dividendi, quod casu dato demonstrandum. Id quod præcipue de unionibus incorporativis tenendum est. Hæc jam applicabimus ad regna dominica.

§. 1506. Vi juris liberrime disponendi de populo (§. 1501.) cum dominatu copulatum est jus dividendi regnum quomodocunque illudque uniendi cum alio regno, prout id regi despotæ libuerit, si is quidem jure simul gaudeat hoc cum illo copulandi. Licet enim Rex, qua dominus, jure gaudeat copulandi regnum dominicum cum alio regno; attamen si hoc alterum non sit dominicum, singulariter demonstrandum est, an jure gaudeat uniendi regnum non-dominicum cum dominico.

§. 1507. Quæ jura an pacto possint restringi, ex §. 362. patebit.

§. 1508. Despotice imperanti jus non competit absque causa, alias justifica, ad excisionem gentis servæ vel interfectionem subjectorum progrediendi (§. 358.), neque adeo iisdem abutendi (§. 363.). Unde patet, ejusmodi imperium despoticum, ad mensuram juris naturalis cogentis consideratum, tam durum & funestum non esse, quam quod quidem nonnullis videatur (§. 366. 367.). præcipue cum despota ab omni obligatione erga servos non sit solutus; neque adeo confundendus cum tortore barbaro (§. 382. 383.) Conf. Coroll. 1. 2. §. 325.

§. 1509. Ex quibus facile est ad judicandum, despotice imperanti competere jus non solum in res subjectorum, sed & in ipsas personas, ipso dominio eminenti (§. 1291.), eminentius, si jus subjectos ex arbitrio enecandi exceperis,

§. 1510. Imperium absolute monarchicum est species imperii civilis summi (§ 1458.).

§. 1511. Imperium civile summum non est imperium dominicum (§. 543.) Imperium absolute monarchicum est imperium civile summum (§. 1510.). Imperium ergo absolute monarchicum non est imperium despoticum. Hinc si imperium absolute monarchicum degeneraverit in despoticum, illud absolute monarchicum esse desinit. Conf. locum ex GRIBNERO allegatum §. 1497.

§. 1512. Ponas principem adspirare ad monarchiam absolutam, cum qua formam civitatis suae commutare connitatur, inde non sequitur, ut is despotice regnare cupiat.

§. 1513. Subjecti imperio absolute monarchico non sunt, mancipia seu servi proprii (§. 1511.).

§. 1514. Imperium dominicum non est imperium civile summum (§. 543.). Ubi nullum datur imperium civile summum, ibi non concipitur civitas (§. 526.). Hinc existimaverim eos recte subduxisse rationes, qui regna despotica esse e numero civitatum negarunt. Conf. §. 770. Nec minus patet, quod regnum despoticum peculiaris forma reip. non sit (§ 1331.). Conf. §. 1337.

SCHOLION. Licet quis regna herilia rebusp. annumerari, easque heriles nuncupare velit, ea tamen a *rebuspublicis civilibus* distinguenda veniunt, id quod fecit EVERARDVS OTTO in nota ad §. I. c. XV. L. II. PVF. de O. H. C.

§. 1515. Quae societas non est civitas, in illa nulli dantur cives subjecti (§. 530.). Regnum dominicum non est civitas (§. 1514), in illo itaque subjecti non sunt cives. Conf. §. 774

§. 1516. Quaecunque jura ex differentia specifica imperii despotici concipiuntur, ea tribui non possunt monarchae absolute tali (§. 1511.). Hinc jura, §. 1501. enumerata, monarchae, absolute tali, non competunt.

§. 1517. Attributa propria, quibus coruscat monarcha absolutus, toto coelo differunt ab attributis, Regi despotae propriis.

propriis. Hinc & jura, quibus exſplendeſcit Monarcha, qua abſolute regnans, tribui neſciunt Regi, qua deſpotice imperanti: Reduplicative loquor.

§. 1518. Nec deſpotice imperans confundendus eſt cum tyrannice regnante. Ille enim vi pacti regnat (§. 1500.); hic vero pactum enormiter violat (§ 658 659.660.). Ponas vero regem deſpotam ſubjectos pacatos ſine cauſa interficere & inſtar belluæ in eorum ſanguinem ſævire, hoc caſu pactum (§.1500.336.339. ſeq.) pedibus conculcat & tyrannum agit (§. 658.).

§. 1519. Notemus porro, imperium deſpoticum quidem ſummum eſſe (§. 527.), minus tamen civiliter tale (§. 543.). Utrum itaque deſpotice imperanti proprie tribui poſſit majeſtas (§. 528.), facile eſt ad judicandum. Etſi quis ejusmodi imperanti majeſtatem tribuere velit, majeſtas tamen monarchæ, vel abſolute vel limitate regnantis, longe major ea erit atque auguſtior. Majeſtas, politice conſiderata, ſub qua populorum felicitas ad longe majus faſtigium evecta conſpicitur, dubio procul longe illuſtrior & eminentior erit illa, quæ ſubjectos non niſi in triſti & calamitoſo ſervitutis jugo continet, licet reges deſpotæ, in ſtatu naturali viventes, cum monarchis quibuscunque Iure Gent. æqualia jura habeant (§. 904. E.). Conf. ſimul §. 901. E.).

DE IMPERIO LIMITATO.

§. 1520. Ut homines, in civitatem coeuntes, magis ſecuros de imperantium legitimo jurium majeſtaticorum exercitio ſe redderent, ad regna limitata & circumſcripta prolapſi ſunt. Eorum indolem jam indagemus.

§. 1521. Summa poteſtas civilis ope pacti ſub certis conditionibus alis deferri poteſt (§ 1469.). *Imperium civile ſummum*, cujus exercitium ſub certis conditionibus uni vel pluribus delatum, dicitur *limitatum, circumſcriptum, reſtrictum* (§. 1475.). Variantibus itaque conditionibus, ſub quibus τὸ κῦρος in alios devolvitur, variant etiam impe-

ria limitata. Sic inciderunt homines in Aristocratias & Monarchias limitatas.

§. 1522. Imperia limitata non aliter definiri posse, patet ex §. 1478. Cum translatio imperii non nisi ope pacti fieri possit (§. 571.), & modus paciscendi non nisi a paciscentium arbitrio repetendus sit (per Schol. §. 1377. Exerc.); ab arbitrio etiam civium paciscentium dependet, pure, an sub conditione cum imperante futuro pacisci, & consequenter utrum imperium illimitate, an limitate (§. 1482. 1521.) in principes devolvere velint. Sed hic tantum quæritur, an conditiones ejusmodi & limitationes dentur, quæ consistere possint cum summitate imperii.

§. 1523. Imperium civile summum limitatum est, cujus exercitium sub determinationibus, in se mutabilibus, alicui delatum est (§. 1521. 1468.). Enim vero ejusmodi determinationes, in se mutabiles, esse modos, ex §. 228. E. patet; imperium itaque civile summum limitatum est, cujus exercitium sub certis modis alteri est delatum.

§. 1524. Quod imperium civile summum sub certis modis alteri delatum non est illud non est limitatum (§. 1523.).

§. 1525. Limitationes imperii civilis summi in modis exercendi illud consistunt (§. 1523.). Hinc imperium civile summum limitatum nihil aliud est, quam imperium civile summum, modo quodam affectum, seu modificatum.

§. 1526. Hinc, si imperans promittat ea, quæ ad modos exercendi jura imperii referri possint, regnum pro limitato habendum (§. 1525.). Huc referas, si pollicitus fuerit, se sine consensu populi LL. non mutaturum, neve novas conditurum, vel fœdera cum aliis populis non initurum, vel tributa & onera subjectis non impositurum, vel certa munera publica in exteros non collaturum, & quæ sunt alia hujus generis.

§. 1527. Modi rerum non efficiunt, ut eæ sint aliud quiddam (§. 1333.). Hinc limitationes imperii civilis summi non efficiunt, ut illud sit aliud quiddam (§. 1525.).

§. 1528.

§. 1528. Imperium civile summum limitatum, quà summum, potest substitui in locum imperii civilis summi non limitati, quâ summi, ita ut perinde sit, ac si nulla substitutio facta sit (§. 1572.). Datur itaque identitas inter imperium civ. summum limitatum & non limitatum (§. 50. E.), seu imperium civile summum semper manet idem, sive illud limitetur, idque quomodocunque, sive secus.

§. 1529. Majestas semper eadem manet, limitata illa sit, nec ne (§. 1528. 528.). Hinc Regi in regno limitato majestas eodem jure tribuenda, quo ea monarchæ absoluto tribuitur.

§. 1530. Limitationes summitati imperii civilis non repugnant (§. 37. E. & §. 1527. Spec.). Imperia itaque civilia, eademque summa limitata & circumscripta non involvunt contradictionem, & consequenter possibilia sunt (§. 38. E.). Dantur itaque imperia civilia summa limitata.

§. 1531. Quamdiu imperans summus nulli imperio humano subjicitur, imperans permanet summus (§. 527.).

§. 1532. Simulac summus imperans imperio alicui terrenno subjicitur, summus esse definit (§. 527.).

§. 1533. Quæcunque conditiones pactitiæ non efficiunt, ut summus imperans subjiciatur imperio cuidam humano, illæ etiam eidem summitatem non eripiunt (§. 1531.).

§. 1534. E contrario quæcunque conditiones pactitiæ ita sunt comparatæ, ut imperantem reddant subjectum imperio humano, illæ etiam eidem summitatem adimunt (§. 1532.).

§. 1535. Dantur conditiones, quibus principi exercitium jurium majestaticorum vi pacti attemperandum est, & quarum observatio principem imperio cuidam humano non subjicit, quales §. 1526. adduximus. Unde nova ratione patet, quod dentur imperia civilia summa limitata (§. 1521. 1533.).

§. 1536. Ponas vero conditiones, e. g., principem velle esse obligatum ad rationes imperii gesti populo reddendas, eum velle esse subjectum judicio populi vel alius decisivo

criminali, velle se non nisi majestate personali gaudere, realem vero populo relictam esse debere; ejusmodi conditiones cum summitate imperii civilis plane consistere non possunt (§. 1318. 1319. 632.), & hoc casu nullum imperium civile summum, neque adeo idem imperium limitatum conciperetur.

§. 1537. Cum ejusmodi conditiones cum summitate imperii consistere non possint (§. 1535.), adeoque eidem suprematui contradicant (§. 37 E.), & eum tollant & destruant (§. cit.), eædem pro conditionibus, quibus exercitium imperii summi accommodari possit, haberi non merentur (§. 1479.), & consequenter efficiunt, ut hoc casu nullum cogitari possit imperium civile summum limitatum (§. 1524.).

§. 1538. Datur dependentia exercitii imperii civilis summi a conditionibus, quibus illud attemperandum veniat, quæ non producit dependentiam imperantis ab imperio humano superiori quocunque (§. 1526.), & quæ adeo ejus independentiam ab imperio terreno quocunque salvam & illæsam relinquit. Unde corruit absurdum, quod in imperio civili summo limitato latitare HOBBESIUS existimat. Positis enim limitationibus imperii summi princeps eodem respectu dependens & independens non est, qualis tamen respectus in vera contradictione requiritur (§. 37. E.). Nostro casu imperans est quidem dependens a conditionibus, sed independens manet ab imperio terreno. Si limitationes imperii civilis summi efficerent, ut illud ab imperio humano alio quocunque dependens & independens simul esset; absurditas esset manifesta (§. 37. E.). Sed antecedens est falsissimum per ante demonstrata.

§. 1539. Dantur monarchiæ limitatæ (§. 1331 1535. 1530.).

§. 1540. Monarchæ limitati (§. 1535.) nullius hominis imperio subsunt (§. 1295.), omnis subjectionis expertes sunt (§. 1297.), in libertate naturali omnimoda vivunt (§. 1298.) ab omni coactione civili, ab obligatione ejusdem generis quacunque, a LL. & pœnis civilibus soluti sunt (§. 1302.).

Appli-

Applices simul huc §. 1303. 1304. 1305. 1306. 1308. 1309. 1310. 1311. 1312. 1313. 1314. 1315. 1316. Nec monarchæ limitati populo, sibi subjecto, nec alii cuicunque ad reddendas rationes obligantur (§. 1318.), nec in civilibus nec criminalibus populum, sibi subjectum, pro suo judice agnoscunt (§. 1319.), nec sunt violabiles, in sensu etiam strictiori (§. 1321.), nec ceu delinquentes tractari possunt (§. 1324.), nec eis demeritum civile tribui potest (§. 1325.), nec contra eos confiscatio bonorum est admittenda (§. 1326.).

§. 1541. Populus æque subjectus est Regi limitato, qua imperanti summo, ac Regi absoluto, itidem qua imperanti summo. Subjectio populi in regno limitato non differt a subjectione populi in regno absoluto, si summitatem imperii spectaveris. Subjectionis prioris differentia a posteriori non est quærenda in minori gradu summitatis, quem videas a nonnullis perperam supponi in monarchis limitatis, sed in conditionibus, quibus ejusmodi imperanti exercitium jurium majestaticorum vi pacti attemperandum est (§. 1521.), & quæ ejus sum̃itatem imperii non minuunt (§. 1535.), neque eam adeo efficiunt depressiorem suprematu monarchæ absoluti. Rem urgeo, quæ maximi momenti est, & digna, quæ extricetur, qua fieri potest, accuratione. Non desunt, qui suprematum s. summitatem imperii confundunt cum imperio civili absoluto, quæ tamen ut genus & species a se invicem differunt, id quod ex præcedentibus satis patebit.

§. 1542. Imperium civile summum habet sua essentialia & attributa (§. 227. 228.). Priora continentur in ipsa illius definitione (§. 556.), posteriora vero sunt jura, illi inseparabiliter annexa, quæ in Spec. V. deducta sunt. Sed modi exercendi imperium civile summum sunt probe distinguendi ab illius essentialibus & attributis (§. 227. 228. E.); si itaque imperium civile summum juxta essentialia illius & attributa alteri delatum est, illud non est translatum in alterum sub certis modis, & consequenter limitatum non est (§. 1524.).

§. 1543. Hinc licet princeps solenniter promiserit, quæ

ad

ad essentialia, vel ad attributa propria & communia imperii civilis summi referenda sunt; imperium tamen summum limitatum non est, e. g., si promiserit, se bene administraturum rempubl., se populum ejusque jura tuiturum, se terras a regno avulsas & injuste ab aliis detentas recuperaturum, se non nisi in bene meritos munera publica collaturum, & quæ sunt hisce similia. Aut regnum est limitatum aut absolutum (§. 1481. 1521.). Hinc si princeps non nisi talia pollicitus fuerit, illud adhuc absolutum pronunciandum est, adstipulante III. GRIBNERO Conf. ejus Jpr. Nat. l. II. c. 8. §. 3.

§. 1544. Idem est sentiendum de juramento, in inaugurationibus a principe præstari solito, quo is ejusmodi promissa corroborat. Jusjurandum enim præponit obligationem promissoriam (§. 1458. E.) & consequenter ultra hanc non est extendendum.

§. 1545. Normæ pactitiæ, quibus imperans modum exercendi jura imperii summi attemperare obligatur, dicuntur LL. FUNDAMENTALES in regnis successivis, & CAPITULATIONES in electivis. Vocabulum *Leges* hic latius sumitur. Nec desunt, qui easdem nomine *pactorum fundamentalium* insignere malunt.

§. 1546. Leges fundamentales & capitulationes efficiunt, ut regna sint limitata (§. 1545. 1523.), neque adeo summitati imperantium aliquid detrahunt (§. 1528.).

COROLLARIUM. Si summitas imperii seu supremàtus Gallis dicatur *la souveraineté*, huic LL. fundamentales alicujus regni nihil detrahunt (§. 1546.). EVERARDUS OTTO in not. ad §. 1. c. 9. L. II. PUF. de O. H. C. habet summitatem imperii & *souveraineté* pro synonymis; id quod etiam ab omnibus admittendum est, qui tribuunt imperantibus SOUVERAINETE, quatenus hi non nisi imperio divino subsunt. Vi hujus ideæ Principes merentur dici *souverains*, qui nulli imperio humano subjecti sunt, seu, quorum imperium est independens ab imperio humano quocunque, h. e. summum (§. 527.). Enimvero cum Princeps per leges fundamentales vel capitulationes imperio nec populi, nec cujuscunque alius, subjiciatur

ciatur vi antea dictorum, neque adeo ejus potestas per easdem LL. fundamentales *ab ullo imperio terreno* limitari possit; salva & inconcussa manere debet in principe summitas imperii & consequenter *souveraineté*, licet is vi pacti exercitium imperii normis fundamentalibus attemperare obligetur.

SCHOLION I. In hac materia momentosa *absolutum* s. *illimitatum ab omni imperio humano* est probe discriminandum ab eo, quod *absolutum seu illimitatum* est *a LL. fundamentalibus vel capitulationibus*; id quod etiam tenendum de Germanorum voce *unumschränckt*. Porro eodem modo *limitatum a capitulationibus*, quæ principem imperio terreno nulli subjiciunt, curate distinguendum venit ab eo, quod *limitatum* seu circumscriptum est *ab imperio terreno*. Licet itaque summitas imperii civilis vi pacti limitetur a LL. fundamentalibus vel capitulationibus, illa tamen ob id non redditur limitata ab imperio terreno, & consequenter illimitata seu absoluta ab omni imperio humano permanet. Summitas ergo imperi, & consequenter *souveraineté*, per eandem definita, semper perdurat eadem, utut pactis fundamentalibus stipata & circumscripta.

SCHOLION II. Sed heic loci quæritur, utrum autores Gallici, qui fidem merentur, tam late sumant *souveraineté*, ut illa æque limitata ac absoluta a LL. fundamentalibus esse possit. LOISEAU in tr. *des Seigneuries* hanc in rem egregie ita se explicat: *il n'y a que trois choses qui bornent la puissance souveraine, les loix de Dieu, les loix fondamentales de l'Etat, & les loix naturelles de la justice.* Quem autorem citant *P. Richelet* & *Societas Trevoltiensis* in suis dictionariis. Ex mente itaque Gallorum datur *souveraineté bornée ou limitée*, a qua est distinguenda *souveraineté absolüe*, quæ LL. fundamentalibus adstricta non est. Unde patet, quod *souveraineté*, si mentem Autorum intelligentiorum spectaveris, non semper denotet τὸ κύριον, ab omnibus capitulationibus vel LL. fuudamentalibus absolutum. Hinc Monarchæ limitati æque ac absoluti stylo Gallico recte appellantur *Princes souverains*. Ponas,

scri-

ſcriptores, quibus in uſu terminorum judicium competens tribuendum ſit, adſtruere, quod *ſouveraineté* a nullis LL. regni fundamentalibus limitari poſſit, manifeſtum foret, quod *ſouveraineté* eodem ſtylo ſemper denotare debeat poteſtatem ſummam civilem ab omnibus LL. fundamentalibus prorſus ſolutam. Præterea annotemus, quod *Loiſeau*, in loco, a nobis adducto, tres limites diſtincte indigitet, quas recipit *ſouveraineté humaine*, leges quippe divinas, naturales & fundamentales. Limites primi & ſecundi generis ſunt eſſentiales & a quibus *ſouveraineté* ſeparari nunquam poteſt (§. 1300. 1304. 1309.). Sed LL. fundamentales ſunt limites, ab illa ſeparabiles, qui adeſſe vel abeſſe poſſunt ſalva illius ſubſtantia. Cum itaque locus citatus ſatis commonſtret, quod *ſouveraineté* admittat limitationes, a LL. fundamentalibus pendentes; illa ex mente Gallorum intelligentiorum ſummitatem imperii denotat, quæ quippe imperium humanum quodcunque reſpuit, limitata illa ſit, an abſoluta a LL. fundamentalibus. Ex eodem loco, quem autores dictionarii Trevoltienſis allegant, intelligenda eorum ſunt verba, quæ ita ſonant: *Souverain, à l'égard des hommes, ſe dit des Rois, ou des Princes, ou de ceux, qui n'ont perſonne au deſſus d'eux; qui ſont abſolus, & indépendans: qui ne relevent que de Dieu, & de leur épée.* Supremus, ſummus Rex, Princeps, Monarcha. *Hucusque Dictionarium*. In hoc loco occurrunt tria prædicata. Si abſolutum ſumatur pro abſoluto ab omni imperio terreno (Schol. I. h. §.); tria attributa omnia competunt *à la ſouveraineté*, quatenus ea ſolam ſummitatem imperii denotet, *per Coroll. h. §.* Sed ſi ſumatur abſolutum pro independenti a LL. fundamentalibus (Schol. I. h. §.); primum & tertium prædicatum ſunt attributa, quibus coruſcat in genere *la ſouveraineté*, medium vero prædicatum non niſi *à la ſouveraineté abſolüe* tribuendum venit.

Scholion III. Nec etymologia vocum *ſouverain* & *ſouveraineté* ſignificatui earundem latiori videtur repugnare. Non deſunt viri doctiſſimi, qui vocem *ſouverain* haud incongrue derivant a vocabulo Italico *ſovrano*, quod idem eſt

ac

ac *soprano*, & quod adeo descendit a Latino *supremus*, quod idem est ac *summus*. Sic *souveraineté* originem traxisse videtur ab italico *sovranità*, quod idem est ac *sopranità*, cui respondent vocabula latina *suprematus*, & *summitas imperii*. Si qui sint, qui vocem Gallicam *souverain* potius ex Latinæ linguæ, ceu matris communis, terminis *superior*, *supremus*, quam ex Italorum *sovrano* derivare velint, illi non minus scopo nostro velificantur. Hinc si, quamcunque sententiam amplectaris, etymologiam terminorum spectaveris, *souveraineté* nihil aliud exprimit nisi suprematum, summitatem imperii civilis, τὸ κύριον, majestatem, quæ vel absoluta vel limitata esse potest.

Scholion IV. Si sumatur Monarchia absoluta seu illimitata pro specie imperiorum civilium excellentiori, jure an injuria hoc fiat, de hoc heic loci disputare nolo; facile fieri potuit, an prædicatum *souveraineté* monarchæ, ab omnibus LL. fundamentalibus vel capitulationibus prorsus soluto, per excellentiam tributum fuerit (§. 347. E.). Ejusmodi tamen strictior vocabuli acceptio in nostra potissimum disciplina obstare non potest, quo minus illud latius sumatur, præcipue cum ab etymo vocis & ab illius usu amplior hæc acceptio non abhorreat.

Scholion V. Si sumatur *souveraineté* pro imperio civili summo, ea quæ in præcedentibus de imperantibus absolutis demonstrata sunt, etiam ad *souverains absolus*, & quæ de imperantibus summis limitatis evicta deprehenduntur, ad *souverains limités par des loix fondamentales de l'état* applicanda veniunt. Unde & simul patebit, quod *la souveraineté absolüe* non sit confundenda cum imperio despotico & multo minus cum tyrannico.

§. 1547. Obligatio custodiendi LL. fundamentales principem alicui imperio terreno non subjicit (§. 527.).

§. 1548. Leges fundamentales sunt normæ pactitiæ, a modo exercendi jura majestatica desumtæ (§. 1545.). Unde patet, quod, cum modi ab essentialibus & attributis rerum diffe-

differant (§. 227. 228.), normæ pactitiæ generales, non nisi ex essentialibus & attributis τῦ κυρίυ depromtæ, LL. fundamentales vel capitulationes non sint. Huc referas normas, quales §. 1543. adduximus. Idem est sentiendum de privilegiis, quæ ipse princeps subditis concessit.

§. 1549. Si violet princeps LL. fundamentales vel capitulationes contra illas aliquid suscipiendo negligendove easdem, pactum violare (§. 1545.), & populum lædere (§. 1311. E.) connititur.

§. 1550. Principi in regno limitato vi pacti competit jus exercendi jura majestatica juxta conditiones conventas (§. 1521. 597.) Huic juri respondet in populo obligatio perfecta attemperandi actiones præscriptis illius, quæ conditionibus stipulatis non repugnant (§. 597.).

§. 1551. Si populus principis ejusmodi præscriptis actiones accommodare nolit, is agit contra obligationem perfectam (§. 1550.), & princeps habet jus cogendi populum, ut expediat præscripta (§. 561.).

§. 1552. Si princeps in eodem regno citra contrave conditiones conventas aliquid præscribat, id facit contra intentionem compaciscentium mutuam & consequenter populum lædere connititur (per Consect. I. §. 1614. E.).

§. 1553. Imperans in eodem regno jure non gaudet suscipiendi aliquid citra contrave conditiones stipulatas (§. 768. E. 1552. Spec.). Si itaque susceperit vel præscripserit aliquid contra conditiones ejusmodi, hoc sine jure fecit.

§. 1554. Quo casu in uno non datur jus aliquid suscipiendi, eodem etiam in alio nulla datur obligatio perfecta concedendi, ut illud ab eo suscipiatur (§. 780. E.).

§. 1555. Quo casu in uno non datur obligatio perfecta ad præstandum alteri aliquid, eodem & in altero nullum datur jus perfectum illud ab eo exigendi (§. 216.).

§. 1556. In pactis conditionatis paciscentium intentio s. finis (§. 509. 513. E.) simul in conditionibus adjectis latitat. (§. 1378. E.)

(§. 1378. E). Jam cum obligationum & jurium pactitiorum termini ultra intentionem paciscentium non sint extendendi (§. 1613. E.); si pactum fuerit conditionatum, obligationum & jurium termini ultra conditiones conventas non sunt extendendi. Hoc itaque casu extra cancellos conditionum nullum jus, nec ulla obligatio pactitia concipitur. Hinc si princeps citra contrave conditiones aliquid præscripserit, vel susceperit quidpiam, populus non obligatur actiones præscriptis attemperare, vel in suscepta ejusmodi descendere.

§. 1557. Contingere potest, ut princeps ea conditione imperium accipiat, ut violatis LL. fundamentalibus princeps esse desinat, quod *pactum commissorium*, seu, *lex commissoria*, dicitur, vocabulo legis paulo laxius sumto. Cum modus paciscendi ab arbitrio compaciscentium dependeat (per Schol §. 1377. E.), nec injustum appellari possit ejusmodi pactum (§ 1298. E.); cur illud invalidum dicatur a nonnullis, non video (§. 1316. E.). Nec perspicio, idem pactum tacite contineri in capitulationibus principum, cum in imperantibus, sub conditionibus cum populo paciscentibus, nullum factum deprehendam, unde ad eorum voluntatem amittendi τὸ κύριον, si violaverint conditiones, secure concludere possim (§. 1347. E.). Conf. Illustr. GRIBNERI Jpr. Nat. L. II. c. 8. not. 2.

§. 1558. Cum principes pacto commissorio se imperio humano nulli subjiciant, eo minus dubitandum, illud summitati potestatis non repugnare (§. 1557. 1531.). Inhæreo ideæ summitatis imperii civilis.

§. 1559. Si oriatur controversia inter principem & populum de sensu legum fundamentalium, vel de factis, quæ a principe negantur, vel quibus is pacta violata non esse asserit; ejusmodi decisio cognitionem causæ præsupponit, quæ populo, & qua parti litiganti & qua nullam facultatem decisive judicandi de factis imperantium habenti (§. 1319.) minus competit.

§. 1560. Prudenter ergo egerunt populi, qui dum principum potestatem certis limitibus includendam censuerunt, ordines aut optimates quosdam, veluti inter imperantem & rempublicam arbitros, constituerunt, quibus fas esset, *quodammodo* de rebus a principe gestis cognoscere. Sunt verba Illustr. GRIBNERI. Quousque pateat eiusmodi iudicium, ex doctrina de arbitris, nec non ex indole suprematus, eiusque iuribus annexis, principi tribuendis diiudicandum est. Hoc certum est, quod eiusmodi ordinum facultas inquirendi in res, a principe gestas, non nisi a pacto repetenda sit (§. 588.), & quod ex consequenti illa eis in dubio neutiquam competat; quodque huiuscemodi arbitrorum iudicium civiliter coactivum non sit (§. 1302).

§. 1561. Accidere etiam potest, ut populus non aliter imperantibus delatum velit τὸ κύριον, nisi sub populi vel principis tertii GVARANTIA, de qua in iure populorum, inter se consideratorum, & quam esse fideiussionem pactorum notum est.

§. 1562. Si princeps dicatur violasse pacta fundamentalia, vel in legem commissoriam incidisse, hanc imputationem niti conventionum interpretatione & probatione factorum *liquidissima*, ex doctrina de imputatione repetendum est.

§. 1563. Quæ superius §. 658. seqq. de circumspectione in ferendo iudicio de tyrannide, exercitio tali, adhibenda diximus, ad ea heic loci cumprimis reflectendum erit.

SPECI-

SPECIMEN VII.
DE
JVRE GENTIVM.

§. 1564.

LEges naturales, quæ gentibus liberis inter se observandæ veniunt, JVS GENTIVM vocantur. Hæc sit definitio nominalis. Dari Gentium integrarum jura ex subsequentibus patebit.

§. 1565. Si quis in gente aliqua posuerit multitudinem hominum & familiarum, qui vel quæ dispersim in quodam terræ tractu viverent extra societatem; ejusmodi homines singulares, ejusmodi familiæ segreges in statu naturali degenerent (§. 889. E.), & consequenter actiones juri naturali singulorum, quod in Exercitationibus traditum est, & quod etiam cadit in societates (§. 34.) quales sunt familiæ (§. 393.) observare obligarentur. Jus itaque ejusmodi gentium a jure naturali singulorum non differt.

§. 1566. Sumas gentem, in statu naturali viventem, in qua deprehenditur systema Familiarum vel civitatum (§. 499. 500.). Quod cum sit societas fœderata (§§. cit. & 506. 510. 1.); ejusmodi gentium jus naturale est jus naturale societatum, in S. N. viventium, & consequenter jus naturale singulorum in eodem viventium, eisdem attemperatum (§. 34.).

§. 1567. Gens, in statu naturali vivens, si in civitatem coaluerit (§. 492.), consideratur tanquam civitas in eodem statu. Hoc sensu JVS GENTIVM idem est ac jus civitatum, in statu naturali viventium & inter se consideratatum. Jus itaque ejusmodi GENTIVM est ius societatum, in statu naturali viventium & inter se consideratarum, applicatum ad

7

civitates, in statu naturali viventes & inter se spectatas (§.519.). Nec minus patet, quod JUS ejusmodi GENTIUM, sit jus naturale hominum singularium, in statu naturali viventium, & ad integras civitates, in eodem statu existentes & inter se spectatas, applicatum (§. 519. 520.).

§. 1568. Jus Gentium ejusmodi *jus naturale civitatum* dici meretur.

§. 1569. Si gens sit serva, illam habes vel pro civitate vel pro nuda societate dominica (§. 1514.). Quicquid sumseris, etiam jus ejusmodi gentium a jure naturali singulorum non est diversum. (§. 1567. 34.).

§. 1570. Homines singulares, familiæ, civitates, gentem aliquam constituentes, vel vivunt extra societatem (§. 1565.), vel in societatem, e. g. fœderalem (§. 1566.), vel civilem (§. 1567.), coaluere. Casus tertius non datur. In primo (§. 1565.) & altero §. 34. 851.), & consequenter in omni casu JUS GENTIUM est jus naturale singulorum ad gentes applicatum.

§. 1571. Gentes, qua societates vel maxime compositas, natura obligari actiones suas juri naturali hominum singulorum accommodare, etiam exinde patet, quod homines, in societatem quamcunque coëuntes, homines esse non desinant. Perdurat adhuc natura eorum humana, quamcunque ingrediantur societatem, & perdurat adhuc finis, quem quærunt ductu naturæ. Si homines, in societates euntes, figuram leonum, ursorum, boum, nanciscerentur, si e. gr. despotæ in lupos voraces & servi in oves degenerarent; si naturam humanam commutarent cum belluina, si ponerent omnem rationis usum; res aliter se haberet.

§. 1572. Ex quibus omnibus conficitur, ut jus gentium intelligi non possit absque jure naturali hominum singulorum vel integratum societatum, in statu naturali & inter se considerataturm.

§. 1573. Gentes, inter se consideratæ, vel in statu per vim

vim certantium, qua talium, hoc est, in bello (§. 806. E.), vel in statu, qui a bello vacuus est, h. e., in pace (per Schol. I. §. cit.) vivunt. Hinc omnia gentium, inter se spectatarum, negotia vel ad bellum, vel ad pacem redeunt. Unde factum est, ut jus gentium etiam a GROTIO recte dictum sit JUS BELLI & PACIS.

§. 1574. *Principium juris gentium, latius sumti*, hoc est: Gens dirigat actiones suas in suam aliarumque gentium perfectionem. (§. 699. E. 1570.).

§. 1575. *Principium Juris Gentium, strictius sumti* seu cogentis hoc est: Gens suum cuique tribuat. (§. 754. E. 1570.).

§. 1576. Inde patet, quod gens suum cuique homini, societati, genti, ejusque principi, tribuere debeat.

§. 1577. Gentem, qua civitatem, ejusve imperantes, obligari ad suum cuique civi alius gentis, nec non cuique homini extero tribuendum, ex §§. 891. 892. intelligitur.

§. 1578. Eadem principia gentibus, quæ civitates sunt, earumque rectoribus, custodienda esse, peculiariter ex §. 547. 548. patet.

§. 1579. Imperans summus est pars princeps gentis, quam gubernat (§. 530. 531. 532.), nec a Legibus naturalibus & divinis solutus est. (§. 1300.). Hinc PRINCIPIA JURIS IMPERANTIUM, inter se consideratorum, a principiis juris gentium, inter se spectatarum, non differunt.

§. 1580. Hæc satis commonstrant, quod detur jus gentium, earumve principum summorum, inter se consideratorum, & in quibusnam legibus fundamentalibus consistat. Conf. §. 1564.

§. 1581. Ex §§. 1570. 1567. fluit, ea, quæ in exercitationibus de jure naturali cogente hominum singularium, nec minus in speciminibus de societatibus & civitatibus in genere, & in statu naturali consideratis, demonstrata sunt, ad integras gentes liberas applicari posse.

§. 1582. Hinc in hoc specimine jure provocare possu-

mus ad ea, quæ & in exercitationibus & in speciminibus evicta sunt. Nec opus erit, ut §. 1581. semper allegetur.

§. 1583. Principium juris Gent. strictius sumti, adæquatum esse, ex §. 755. Exercit & §. 1575. 1581. patet. Idem etiam esse sentiendum de principio Juris Gent. latius sumti, (§. 1574.), facile est ad judicandum.

§. 1584. Jus Gentium, & latius & strictius sumtum, est jus divinum (§. 760. 826. 829. 831. Exerc. & §. 1581.). Vnde & clarum est, quod idem jus non possit reputari pro jure humano, neque adeo cum jure civili, quod cuique civitati proprium est, neque cum institutis majorum alicujus gentis confundi debeat.

§. 1585. Custodia Juris Gentium est copulata cum illustratione gloriæ divinæ, & ejus violatio eidem amplificationi nominis divini repugnat. (§. 823. E. 1567. Spec.). Conf. dictum *Thomæ Aquinatis* in §. 1438. Ex. adductum.

§. 1586. Licet imperantes summi cum suis gentibus vivant in statu civili (§. 537.), iidem tamen vivunt cum aliis imperantibus summis, eorumque gentibus liberis in statu naturali (§. 889. E.).

§. 1587. Civitates, quæ cum aliis civitatibus in statu civili vivunt, degunt in statu naturali cum civitatibus, quibuscum non agnoscunt imperium civile commune (§. 889.). Idem est asserendum de principibus ejusmodi civitatum. Sic principes Germaniæ cum aliis civitatibus, ad Germaniam non pertinentibus, earumque rectoribus, vivunt in statu naturali.

§. 1588. Dantur gentium officia absoluta non minus quam hypothetica. Nec minus jura concipimus, eis non minus antequam post pacta tribuenda (§. 889. E. & 1570. Sp.). De quo inferius plura.

§. 1589. Status Gentium naturalis est status æqualitatis externæ (§. 894. E.), & respectu imperii (§. 898. E.), & ratione ordinis & dignitatis (§. 900. E.), nisi populus alter alteri jus prærogativæ vi pacti concesserit, de quo paulo post.

§. 1590.

§. 1590. Nullus populus in asserendo sibi imperio in alios populos, vel in jure præcedentiæ aut prærogativæ sibi vindicando provocare potest ad solam majorem fortunarum suarum copiam, ad solam insigniorem virtutis gradum, ad solam potentiam majorem s. *potentatum*, ad solam religionem suam puriorem, ad solam majorem regni amplitudinem remotioremve ejus antiquitatem, ad solam excellentiorem reip. formam, vel ad alia hujus generis. (§. 1589.).

Scholion. Per *jus præcedentiæ* intelligunt jus, vi cujus gens præ altera prioritatem loci & alia jura huic annexa sibi vindicat.

§. 1591. Ob easdem rationes idem est statuendum de sola regnorum & consequenter majestatum, quam dicunt, multiplicitate, de solo majori numero & splendore titulorum, de solo imperio absoluto, de sola majori dignitate & eminentia Vasallorum, qui cuidam majestati sunt subjecti, de sola antiquiori Christianismi receptione. Qui ex hisce solis rebus enumeratis causas præcedentiæ iustificas repetere voluerunt, ad quantum maius, imperanti ex eiusmodi conditione & περιςάσει subnatum, provocant. Posito vero, quod qualibet ex prævijs conditionibus tribuat imperanti quantum maius, ob id tamen solum iura præcedentiæ, quam vocant, ei vindicari non possunt, cum in statu naturali ab omni eiusmodi quanto præscindi debeat(§.890 E.) ex qua abstractione æqualitatem eorum, qui in statu naturali vivunt, omnimodam (§. 895. E.), & inde eorundem obligationes & iura æqualia (§. 904. E.) demonstravimus. Hinc & principes ipsi in proëdria sibi asserenda ad possessionem & consensum aliorum, saltem tacitum, provocarunt. Cuius rei causam paulo post indicabimus.

Scholion I. Dantur principes summi qui gubernant duo vel plura regna, & qui consequenter coruscant duabus vel pluribus maiestatibus, *majestas multiplicata* appellari suetis. Si principi ob maiestatis multiplicitatem maius

tribuatur quantum, quæritur, utrum illud in majori majestatis gradu ponendum sit? & utrum *majestas multiplicata* sit productum, ex majestate, aliquoties sumta, subnatum? atque ita quidem, ut aliqua majestas multiplicata ad aliam majestatem non multiplicatam se habeat ut 2. ad 1., vel ut 4. ad 1.? Hoc posito majestas principis, qui possidet quinque regna libera, se haberet ad majestatem alius imperantis, qui non nisi unicum regnum teneret, ut 5. ad 1. Sed gradus majestatis majores, quos aliter non concipies (§. 424. E.), contradicunt ideæ majestatis, quæ in summitate imperii civilis (§. 528.), & consequenter in ejusdem (imperii) independentia ab imperio humano quocunque, hoc est, omnimoda & summa (§ 527.) consistit. Enimvero cum ejusmodi independentia omnimoda & summa non esset talis, si illa ad gradum majorem evehi possit, summitas imperii civilis (§ 527.) & consequenter majestas (§. 528.) omnes gradus majores respuit, adeoque majestati alii terrenæ cuicunque æqualis est. Hinc si principi ob majestatis multiplicitatem majus quantum tribuatur, hoc non in majori majestatis gradu, sed in majore ejus potentia & autoritate ponendum est, quæ efficere facile possunt, ut gentes, potentia inferiores, imperantibus, multiplicata majestate exsplendescentibus, loco cedant & præcedentiam, quam vocant, relinquant, idque ob rationes prudentiæ, quæ inculcant, ut comiter habeantur illi, qui nobis prodesse & nocere data occasione possint.

SCHOLION II. In multiplicitate majestatis duos casus distinguimus, quorum alter est, ubi ob duorum vel plurium regnorum unionem in uno principe unio duarum vel plurium majestatum progignitur, quæ connexio jura peculiaria producit; alter vero, ubi regna libera, & consequenter majestates non uniuntur, licet illæ in uno subjecto conspiciantur. Exemplum prioris casus deprehenditur in Rege Magnæ Britanniæ, in quo majestas Angliæ cum majestate Scotiæ unita & copulata residet. Majestas regni,

regni, quod incorporatur alieri regno, evanescit, & consequenter ex unione incorporativa nulla oritur majestas multiplicata. Conf. §. 1502. seqq.

SCHOLION III. Ob æqualitatem omnium majestatum nec Regi absolute regnanti major majestatis gradus tribui potest, quam regi limitato. Idem assertum etiam ex §. 1529. perspicuum est. Hinc & distinguunt scriptores Jur. Gent. inter summitatem imperii, quæ majestas est (§. 528.), & plenitudinem imperii, quæ præter summitatem in Rege absoluto deprehenditur.

SCHOLION IV. Cur disceptationes de præcedentia inter gentes ortæ sint, notum est. Varia obveniunt negotia belli & pacis, quæ illæ inter se tractant, & quæ occasionem præbent pactis, interventu legatorum & internunciorum celebrandis.

§. 1592. Jus præcedentiæ, alicui imperantium tribuendum, cum præsupponat majus quantum, (Schol. §. 1590.), illud tollit æqualitatem ratione ordinis & dignitatis, (§. 892. E.). Æqualitas hæc pertinet ad SVVM gentis, in statu naturali viventis (§. 906. E.). Jus itaque præcedentiæ, genti cuidam tribuendum, præsupponit jacturam alicujus rei, quæ ad SVVM alterius gentis spectat. Jactura svi, quæ in gratiam aliorum fieri debet, seu ex qua in alios commodum redundat, est translatio sui in alios. Enimvero id, quod alterius est, non potest transferri in alios, nisi ejus consensu pactitio (§. 1350. E.); jactura itaque svi in gratiam aliorum facienda, intelligi non potest, nisi ex consensu pactitio ejus, cujus illud est. Unde patet, quod jus præcedentiæ, genti cuidam tribuendum, subnasci non possit nisi ex pacto, expresso vel tacito, inter duas gentes oriundo. Id quod in §§. 902. 903. E. indicavi.

§. 1593. Dantur jura acquirenda ab aliis, quæ jamjam extitere penes eosdem transferentes, e. gr. si quis jura venandi, braxandi, piscandi, quæ habuit hactenus & exercuit, in alium transferat. Dantur etiam jura acquirenda,

quæ quidem penes alios formaliter non extitere, sed quæ tamen acquiri non possunt sine jactura ejus, quod eorum est, e. gr. Jura imperii civilis, jura præcedentiæ, jura servitutum, penes eos quidem, a quibus illa acquiruntur, non extiterunt formaliter, eorum tamen acquisitio sine jactura libertatis naturalis, æqualitatis ratione dignitatis, libertatis prædiorum, h. e. sine amissione rerum, ad id, quod nostrum est, spectantium, intelligi non potest. Jura prioris generis ad id, quod nostrum est, pertinent (§. 786. E.), & ab altero sine consensu nostro pactitio acquiri non possunt (§. 1429. E.). Idem est asserendum de juribus posterioris generis, quippe quorum acquisitio ejus, quod nostrum est, requirit jacturam, quæ sine consensu nostro pactitio fieri non potest. (§. 1419. E.).

§. 1594. Factum unilaterale vel promittentis vel acceptantis ad producendum pactum non sufficit (§. 1179. E.). Unde patet, possessionem solam, unilaterali facto acquisitam, alteri genti nihil juris præcedentiæ dare (§. 1592.).

§. 1595. Nec diffiiciliter est ad judicandum ex §§ 1592. 1593., jus præcedentiæ uni genti tribuendum, requirere declarationem alterius gentis, nolle se uti jure æqualitatis ratione ordinis & dignitatis (§. 1253. E.), qualis declaratio renunciatio juris æqualitatis ratione ordinis est (§. 1419. E.), eaque vel expressa, vel tacita (§. 1347. E.).

§. 1596. Cognovimus §. 1592. causam præcedentiæ justificam inter gentes obvenientem, & distinguendam a causis suasoriis, quibus gens commoveri possit ad concedendam aliis gentibus προεδρίαν, & quas indigitavi in Schol. I. §. 1591.

§. 1597. Populi, in statu naturali viventes, easdem obligationes & jura æqualia habent (§ 904. E.). Id quod præcipue ad jura acquirendi applicandum.

§. 1598. Quo jure populus in eodem statu uti velit contra alium populum, eodem & hic uti potest contra illum (§ 1597.). Conf §. 905. E.

§. 1599. Si populus in statu naturali nolit esse obliga-

tus

tus agnoſcere poteſtatem civilem ſummam ſeu majeſtatem (§. 528.) in alio populo, ejusve principe exiſtentem, & hicce populus obligatus non eſt agnoſcere τὸ κύϱιον illius populi (§. 1598.).

§. 1600. Si itaque velit populus, ut alii populi agnoſcant τὸ κύϱιον, in ſe, ſuove principe ſummo, conſpicuum, & agnoſcere tenetur ſummum imperium, in aliis gentibus, in eodem ſtatu naturali ſecum viventibus, deprehenſum. (§. 1599.).

§. 1601. Populus, qui violat aliorum populorum æqualitatem & paritatem externam, eos lædit perfecte in ſtatu naturali (§. 907. E.).

§. 1602. Inter populos, in ſtatu naturali viventes, nullus populus ſuperior, qua imperans, nec ullus alteri ſubjectus deprehenditur (§. 908. E.).

§. 1603. Quælibet gens I. S. N. independentia ſumma actionum ſuarum ab imperio humano quocunque gaudet. (§. 524.).

§. 1604. Imperium civile, quod in ſinu gentis alicujus, in ſtatu naturali viventis, ejusve principe, deprehenditur, eſt ſummum, h. e., quatenus ille in terris nullum imperium ſuperius agnoſcit (§. 527.). Hinc & ejusmodi genti majeſtas tribuenda (§. 528.).

§. 1605. Heic loci ſermo non eſt de titulo majeſtatis, quem Reges & Imperatores ex uſu & obſervantia ſibi vindicant (§. 1592.), ſed de majeſtate, quæ quà ſummitas imperii civilis, & a titulis non dependens, cuicunque civitati liberæ & independenti ineſt (§. 527. Spec. & 912. E.), & quæ eidem citra injuriam denegari non poteſt (§. 944. 767.). Sumas Ducatum, qua remp. liberam & independentem, ei tribuenda eſt majeſtas ſeu poteſtas civilis ſumma a quocunque alio populo, licet Dux titulo majeſtatis non exſplendeſcat. Si Ducatus ejusmodi adſpiret ad faſtigium regni, ejusque Dux titulo majeſtatis ab aliis rebusp. ſalutari contendat; a voluntate & humanitate aliarum gentium dependet,

det, utrum eæ Ducem pro Rege habere, eumque titulo majestatis insignire velint. Denegatio tituli nostro casu non nisi est denegatio officii imperfecti, quod per pactum in obligationem perfectam demum degenerat (§. 1326. E.).

§. 1606. Ejusmodi genti etiam tribuenda sunt omnia jura, quæ ex imperio civili summo in specimine V. fusius derivata sunt tanquam causata, & quæ majestatica dicuntur. (§. 555.). Si cui tribuatur jus, eidem & jura, ei annexa tanquam causata, veniunt tribuenda.

§. 1607. Gens, quæ alterius gentis imperium civile summum & jura illius majestatica infringit, hanc perfecte lædit (§. 526. Spec. & 787. E.). Idem valebit de gente, quæ alteram gentem in libero imperii summi & jurium majestaticorum exercitio turbat (§. 787. E.).

§. 1608. Inde oritur in gente obligatio perfecta non infringendi & non turbandi, nec constringendi imperium alterius gentis summum, ejusque jura majestatica, eorumque liberum exercitium (§ 768. E. 1607.).

§. 1609. Gentium status mere naturalis est status libertatis summæ (§. 526.). Hinc ejusmodi GENTES dicuntur LIBERAE.

§. 1610 Gentium, in statu naturali viventium, libertas naturalis violanda non est, nec consequenter vel constringenda, vel prorsus tollenda, si ab earum factis abstraxeris (§. 944. E.).

§. 1611. Quilibet populus I. S. N. est arbiter actionum suarum, in aliorum populorum præjudicium non tendentium (§. 946.), nec ulli alii tenetur earum rationes reddere, nisi Deo & conscientiæ (§. 917. E.). Quod ad omnia *gentis negotia domestica* applicandum, quæ sine alius reip. præjudicio intra sinum illius terminantur. Idem etiam est asserendum de *negotiis populi transeuntibus*, quæ respectum habent ad alias resp., earumque Rectores.

§. 1612. Thesis præcedens est applicanda ad casus, ubi populus, ejusve imperans conscribit milites, eosve ad fines terri-

territorii mittit, ubi officinas rerum manuum opera parandarum condit, & quæ sunt ejusmodi alia.

§. 1613. Deficiente obligatione perfecta in uno, deficit actio, ad quam alter eum cogere possit (§. 762. E.), & consequenter hoc casu facultas cogendi in altero non deprehenditur. Enimvero ubi nulla cogendi facultas concipitur, ibi etiam nullum jus perfectum admittendum est (§. 775. E.); si itaque *in uno deficiat obligatio perfecta, in alio nullum datur jus perfectum.* Idem etiam intelligimus ex perpetua juris & obligationis correlatione, §. 780. E. 226. Spec. demonstrata & a dubiis §. 1186. seqq. sat vindicata.

Deficiente jure perfecto in uno, deficit in eodem facultas cogendi alterum ad suscipiendam vel omittendam actionem (§. 775. E.). Sed actio, ad quam suscipiendam vel omittendam alterum cogere possumus, dicitur obligatio perfecta (§. 762. E.), hinc *si in uno deficiat jus perfectum, in alio nulla datur obligatio perfecta.* Idem etiam ex correlatione juris perfecti & obligationis homogeneæ concipimus (§. 226.), cum deficiente correlatorum uno deficiat & alterum.

§. 1614. Populi nullo jure gaudent poscendi ab alio populo libero rationes, cur hic actiones domesticas susceperit, vel suscipere adhuc velit (§. 1613. 1611.).

§. 1615. Si populi cogere velint alium populum, ut rationes actionum domesticarum suarum reddat, sine jure hoc postulant (§. 1614.), atque adeo eum perfecte lædere conantur (§. 215.).

§. 1616. Populus in populum nullum habet imperium (§. 1601.). Jura itaque, quæ ex imperio concipiuntur, populus in populum alium, ejusve principem sibi arrogare non potest. Si quis sibi arrogare non potest jus, cui alia jura, tanquam principiata, sunt annexa, is & hæc sibi vindicare non potest.

§. 1617. Unde patet, quod populus in populum exercere non possit jus eum civiliter obligandi, potestatem judiciariam summam & civilem & criminalem, nec minus

jus

jus ei præſcribendi LL. civiles, vel eaſdem abrogandi, & quæ ſunt hiſce ſimilia.

§. 1618. Jus puniendi, quod concipitur ex imperio civili ſummo (§. 780.), nullus populus ſibi vindicare poteſt in alium populum, independentem ab imperio humano quocunque (§. 1616.). Quod aſſertum etiam admittendum, ſi idem jus præſtrueret imperium in genere, vel ſuperioritatem (§. cit.).

§. 1619. Si pœna in genere malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis, cum GROTIO dicatur, & quælibet læſio reputari debeat pro malo actionis, adeoque pœna in genere appelletur malum paſſionis, quod infligitur ob læſionem; jus puniendi nihil aliud eſſet, niſi jus aliis infligendi malum ob læſiones, h. e., jus læſi in lædentem in ſtatu naturali. Sed hac ratione pœna & jus puniendi nimis generaliter & improprie ſumeretur, & idem jus pari in parem (§. 899.) tribueretur. Si jus puniendi latius non pateret, quam ad arripienda mala, reparationi læſionum proportionata (§. 1084. E.).

§. 1620. Unde patet quid ſit habendum de *bello punitivo*, genti in gentem ſceleratam a nonnullis concedi ſolito. Scelera populi alicujus ſunt vel violationes τȣ̃ ſuum cuique, vel minus tales. Priori caſu ex læſionibus annumerantur (§. 767. E.), poſteriori vero læſionum nomen non merentur (§. cit.), & conſequenter non ſunt e numero cauſarum belli juſtificarum (§. 1092. E.). Bellum prioris generis eſſet juſtum, nec tamen aliud, quam quod læſo in lædentem in ſtatu naturali competit; bellum vero poſterioris generis eſſet injuſtum (§. 1093. E.).

§. 1621. In ſtatu naturali nullus datur populus *judex*, in cujus deciſo alii populi diſceptantes vel belligerantes acquieſcere obligarentur (§. 1602.).

§. 1622. Ejusmodi deciſum eſſet coactivum, & in populo judice requirere, jus cogendi alios populos. Si ponatur jus cogendi, quod oritur ex imperio civili ſummo (§. 739.),

vel

vel ex alio imperio quocunque, ejusmodi facultas ferendi judicium decisivum populo nulli tribuenda (§. 1603.). Sed si sumatur jus cogendi, quod oritur ex jure populi læsi vel lædendi in statu naturali, illud jus populo non competit nisi ob læsionem sibi vel imminentem, vel jamjam illatam (§. 261.). Enimvero hoc casu populus læsus vel læsionem metuens est pars disceptans vel litigans, & consequenter judex simul esse non potest; ex hoc itaque jure cogendi non concipitur jus ferendi judicium decisivum & obligatorium intuitu controversiæ subortæ. Ponas vero, quod populus populum alium lædat, hæc læsio populum tertium vel simul afficit, vel minus. Priori casu populus tertius est iterum pars læsa vel lædenda, & consequenter simul judicem agere non potest; posteriori vero populus tertius pars læsa non est, atque adeo nulla intuitu illius adest læsio, quæ tamen sola est causa coactionis justifica (§. 261.). Unde & patet, quod hoc casu populo tertio vindicari non possit jus ferendi judicium de re controversa decisivum & obligatorium, in quo populi disceptantes acquiescere tenerentur.

§. 1623. Nec duæ nec plures gentes possunt formare judicium, unde aliæ gentes independentes rerum controversarum, quæ ad solas læsiones redeunt (§. 1067.), sententiam decisoriam expectare adstringerentur.

§. 1624. Ex §§. 1618. 1619. 1620. 1621. 1622. 1623. 1321. 1322. patet, populum liberum, ejusve principem summum esse inviolabilem intuitu aliarum gentium.

§ 1625. Cum sola læsio sit causa coactionis justifica (§. 261.), gentes gentibus, inter se disceptantibus, arbitria sua, Gallis *arbitrages* dicta, decisiones quippe ex æquo & justo amicabiles, obtrudere non possunt.

§. 1626. Hinc a sola voluntate gentium disceptantium dependet, utrum rem controversam deciso populi, qua judicis compromissarii, relinquere velint.

§. 1627. Judicium ejusmodi unius vel plurium populorum

lorum, aliis populis belligerantibus obtrusum, est læsio perfecta (§. 215.), & causa belli justifica (§. 262.).

§. 1628. In republica requiritur imperium civile summum (§. 497.). Hinc non datur respublica omnium gentium liberarum (§. 1603.). Patet etiam assertum ex §. 898. E. §. 497. Spec.

§. 1629. Quid habendum sit de societate aliqua universali, gentibus omnibus tribui a quibusdam solita, facile est ad judicandum. Annumeranda est illa dubio procul piis desideratis, quæ quippe securitatem & tranquillitatem omnium populorum pro scopo haberet (§. 509.). A catholica ejusmodi societate felicitas totius generis humani penderet. Ad talem societatem generalem, eamque obligatoriam, requiri pactum generale, ex §. 43. patebit.

§. 1630. Jus Gentium, strictius sumtum, eo tendit, ut gens suum cuique genti tribuat (§. 1575.), nullique adeo læsionem inferat (§. 767. E.). Si itaque gentes custodiant jus gentium, strictius sumtum, securitas & pax earum communis & publica promovetur (§. 478. 489.). Et quousque gentes custodiunt jus gentium, stricte dictum, eousque earum securitas & pax communis obtinetur.

§. 1631. Custodia juris gentium, strictius sumti, est remedium securitatis & pacis earundem publicæ, tanquam finis (§. 510. 511. E. & 1630.).

§. 1632. Custodia juris gentium, strictius sumti, est causa securitatis & pacis publicæ, tanquam effectus seu causati (§. 510. 511. 202. E. 1631.).

§. 1633. Causatum non potest esse causa causæ (§. 202. E.) Finis est causatum, & remedium est illius causa (§. 510. 511. 202. E.). Unde patet, quod finis non possit haberi pro causa remedii. Hinc securitas & pax publica gentium assumi non potest pro causa seu principio Juris Gentium (§ 1632.). Quæ etiam est ratio, cur §. 1628. seqq. E. justitiam præscriptionis Gentium non derivaverim ex securitate & pace earundem publica, quæ præscriptionis consequens est. Conf. §. 1637. E.

§. 1634.

§. 1634. Qui populus violat Jus Gentium (externum), in ſuum cuique genti non tribuit (§. 1575.), & conſequenter alias lædit (§. 767. E.), adeoque ſecuritatem & pacem publicam turbare connititur (§. 513.).

§. 1635. Qui populus non violat Jus Gentium, ſtrictius ſumtum, is τὸ ſuum, cuique genti tribuendum, non violat (§. 1575.), & conſequenter nullam gentem lædere connititur (§. 767. E.), neque adeo pacem publicam interturbat (§. 513.).

§. 1636. Qui populus ſuum cuique genti tribuit, is jus Gentium non violat (§. 1575.), neque adeo pacem & ſecuritatem publicam interturbat (§. 1635.).

§. 1637. Qui populus alios populos non lædit, is pacem gentium publicam non turbat (§. 513.) Inhærendum hic eſt notioni læſionis.

§. 1638. *Securitas publica* ex ſola abſtinentia a lædendis aliis gentibus (§. 513.), conſequenter ex ſola cuſtodia τοῦ ſuum cuique (§. 767. E.), adeoque *ex ſolo cultu Juris Gentium ſtrictiſſime ſumti, ſubnaſcitur.* (§. 1575.).

§. 1639. Qui populus jure ſuo utitur, ſeu jus ſuum perſequitur, nemini facit injuriam (§ 784. E.), & conſequenter pacem gentium publicam non conturbare connititur (§. 1637.). Id quod eſt applicandum ad populum, qui rebus ſuis utitur (§. 970. E.).

§. 1640. Si quis populus jus, ſibi ſolum competens, non perſequatur, is Jus Gentium, ſtrictius ſumtum, non violat (§. 785. E. & 1575.), & conſequenter pacem populorum publicam non turbat (§. 1635.).

§. 1641. Ad cuſtodiam Juris Gentium, ſtrictius ſumti, populus quilibet obligatur perfecte (§. 754. 761. E. & 1575.). Vnde patet, quod & in populo quocunque deprehendatur obligatio perfecta ad ſecuritatem & pacem publicam colendam, quæ ex cultu ejusdem juris oritur (§. 1632.).

§. 1642. Gens jure gaudet cogendi gentem, ut ne ſecuritatem & felicitatem externam turbet, quæ ex cuſtodia

Juris Gentium strictius sumti, seu cogentis subnascitur (§. 780. E. 1641.).

§. 1643. Gens jure gaudet cogendi gentem, ut ne securitatem & felicitatem externam turbet, quæ ex custodia τῶ SVVM CVIQVE subnascitur (§. 1642. 1575.).

§. 1644. Si dirigeret quælibet gens actiones suas in aliarum gentium non minus quam suam perfectionem & felicitatem, etiam securitas & felicitas gentium externa obtineretur & nimium quantum amplificaretur. Si itaque gentes custodiant Jus Gentium, latius sumtum, etiam securitas & felicitas externa Gentium nimium quantum promoveretur, & intacta semper ac inconcussa permaneret (§. 1574.).

§. 1645. Jus Gentium, latius sumtum, actiones, quibus gens suam non solum, sed & aliarum gentium perfectionem & felicitatem auctiorem efficere potest (§. 1574.), & consequenter officia humanitatis seu decori inculcat (§. 736. E.) eamque ob causam haud incongrue JVS GENTIVM HVMANIVS appellari potest, si quippe jus pro lege naturali in genere, h. e. pro quavis agendi norma naturali sumatur Vocatur etiam JVS ÆQVITATIS, DECORI, LE DROIT DE BIENSEANCE. LEIBNITIVS illud vocat gradum juris superiorem *in Codice Juris Gentium diplomatico fol.* 4. Commendanda est Cel. TREVERI *Differt.* de *Decoro Gentium circa belli initia*, in qua etiam generales de officiis decori doctrinæ proponuntur.

§. 1646. Huc referas officia, quæ eo tendunt, ut gens aliis auxilio sit, ut promoveat aliarum utilitatem & commoditatem, præcipue si id sine proprio fieri possit incommodo & sine læsione alterius (§. 740. E.). Quorsum spectant *officia*, quæ vulgo *innoxiæ utilitatis* dicuntur, quibus gens aliis prodest, sibi vero non nocet. Qualia sunt, ut liceat aliis populis ad terras nostras accedere, in illis commorari, commercia cum civibus alterius gentis exercere, inire matrimonia &c. Quæ ita non deberi existimantur, ut libertas

illa,

illa, propria si necessitas aut utilitas id postulet, adimi vel restringi nequeat. Conf. Illust. GRIBNERI Jpr. Nat L. III. c. 4. §. 4. Sed ex hac facultate limitandi vel tollendi illam libertatem patet, quod eadem officia haud mereantur dici perfecta. Nec minus clarum est, eisdem officiis non respondere *jura innoxiæ utilitatis* perfecta (§. 1613.), aliis gentibus tribuenda, & cum facultate cogendi alteram gentem ad illam libertatem nec in tantum, nec in totum tollendam copulata (§. 775. E.). Inhæreo in hoc argumento principiis juris nostri domesticis.

§. 1647. Ad officia innoxiæ utilitatis etiam refertur a nonnullis concessio transitus innoxii. De qua libertate, aliis gentibus danda, idem est sentiendum. Dantur casus, ubi exercitium diversæ religionis, civibus alius gentis concedendum, non solum innoxium, sed & cum emolumento insigni illius civitatis, in qua illud toleratur, conjunctum est. Quibus quidem casibus concipimus officium innoxiæ utilitatis, sed nemo jure affirmaverit, illud esse ex genere officiorum perfectorum & expletoriorum.

§. 1648. Licet officia innoxiæ utilitatis in statu naturali humanitati gentium relinquenda sint, non desunt tamen remedia, quibus ea ad eorum cultum per indirectum commoveri possint. Gentes aliis gentibus non facile carere possunt. Præterea si qua gens in officiis innoxiæ utilitatis aliis exhibendis velit esse difficilis, reliquæ gentes non minus facultate gaudent eadem iisdem denegandi. Ex qua denegatione illorum officiorum reciproca cum infinita progenerentur incommoda, & simul notum sit, quantum commodorum ex eorundem cultu subnascatur, ejusmodi commoda & incommoda sæt fortiter exstimulare solent gentes ad aliis præstanda officia innoxiæ utilitatis Horum itaque necessitas cuique populo in oculos incurrit, licet illa non habeantur pro officiis gentium perfectis, quæ vi Juris Gentium, strictius sumti, extorsionem patiuntur (§. 1575. Sp. & 734. 763. E.).

§. 1649. Si gens non faciat, vel permittat, quod sibi non nocet, & alteri genti prodest, huic non intercipitur SVVM (§. 747. E.), neque adeo hoc casu concipitur violatio τȣ̃ SVVM CVIQVE. Quod cum sit principium Juris Gentium, stricte dicti (§. 1575.), eodem casu idem Jus Gentium non infringitur, neque adeo officia innoxiæ utilitatis officiis gentium perfectis annumeranda veniunt (§. 761 E. & 1646. S.). Sed & inde patet, quod denegatio eorundem officiorum reputari non possit pro turbatione pacis publicæ (§. 1635.).

§. 1650. Nonnulli sumserunt LE DROIT DE BIEN SEANCE *jus commoditatis* seu *utilitatis* pro jure, quod ad potentioris utilitatem seu commoditatem pertinet, vid. TREISPACHII *Bedencken über der freyen Reichs-Ritterschafft Stand und Session n. 366. p.* 182. Quod jus abusive sic dictum, non tantum iuri decori & humaniori aperte contradicit (§. 1645), sed etiam iusti regulis seu iuri naturali cogenti adversatur (§. 1575.). Idem ius cum TREVERO ad corruptam rationem status publici, quo fuco politico tot iniquitates tegi solent & colorari, merito referre possumus (§. 1242. E), cum in illo iniustam a regulis iusti exceptionem deprehendamus.

§. 1651. Cum officia humanitatis extorsionem non patiantur (§. 736. E.), etiam gentes ad custodiam Juris Gentium humanioris perfecte non obligantur (§. 1645.). Vnde patet quod & in populo quocunque nulla concipiatur obligatio perfecta ad felicitatem Gentium promovendam, quæ ex cultu eiusdem iuris seu legis oritur (§. 1644.). Probe notes, quod heic loci sermo sit de obligatione perfecta.

§. 1652. Gentes nullo iure gaudent cogendi gentem ad suscipiendas omittendasve actiones, quibus ille securitatis & felicitatis gentium gradus maior & ex cultu Juris Gentium humanioris oriundus, obtineri possit (§. 1651. 1613.).

§. 1653. Homines & populos plurimos non nisi ob metum iuri naturali cogenti convenienter vivere solere, experientia nos condocet. Cessante metu in eiusmodi gentibus, eæ Jus Gentium, strictissime sumtum, pedibus conculcant

culcant (§. 872. E.). Sumas ejusmodi populum, qui sentiat se longe potentiorem aliis; in illo cessat metus, qui eum ad cultum Juris Gentium cogentis stimulare possit, & consequenter is ex fiducia virium suarum longe superiorum idem Jus Gentium floccipendet, atque adeo data occasione τὸ SUUM CUIQUE enormiter violabit (§. 1575.), & ad lædendos alios populos (§ 767. E.), quibus ille se valentiorem putat, ad conturbandamque & evertendam eorum securitatem publicam proclivis erit (§. 513.). Quæ proclivitas ad actus externos erumpit, nisi impediatur (§. 507. E.). Ponas itaque, quod nostro casu populi reliqui, viribus longe minores, nullo impedimento refrenare possint populum, longe potentiorem aliis, & simul non nisi ob metum ab alieno abstinentem; hic, instar catarractæ, cohiberi nesciæ, vicinas & successu temporis remotiores gentium terras opprimet, easque, sæpius sub specioso prætextu, jugo tristi subjiciet. Veritatem asserti omnes ævi annales non minus, quam indoles & mores hominum impotentis animi abunde comprobant.

§. 1654. POTENTIA, ad tale fastigium INCRESCENS, ut ei resisti nequeat, inque reliquarum gentium perniciem & ruinam, saltem probabiliter certam, contendens, jure TREMENDA dicitur. *Tremor* est effectus terroris, ex repræsentatione malorum multiplicium oriundi. De potentia populi alicujus increscente loquimur, quæ metum & terrorem justum producit (§. 1630. E.), & quæ consequenter jure pro tremenda haberi possit. Ea discernenda est ab illa, quæ non nisi metum injustum & imaginarium (§. cit.), periculumque tantummodo cerebrinum (§. 1116. E.) producit.

§. 1655. Potentia increscens, eaque jure tremenda, est copulata cum futura læsione reliquarum gentium insigni (enormi), eaque saltim probabiliter certa (§. 1654.). Ejusmodi læsiones futuræ vel imminentes sunt metuendæ infractiones jurium imperii summi, circumscriptiones libertatis, qua reliqui populi gaudent ratione commerciorum, subjugatio, reliqua.

§. 1656. Potentia alicuius gentis increſcens, eaque iure tremenda, eſt cauſa & fons læſionum enormium, aliis populis probabiliter metuendarum (§. 202. E. 1654. 1653. Sp.).

§ 1657. Læſiones enormes, populis probabiliter metuendæ ab alio populo producunt iuſtitiam belli, tanquam cauſatum (§. 1092. E.). Enimvero cum populi alicuius potentia increſcens, eaque iure tremenda, ſit cauſa & fons eiusmodi læſionum (§. 1656), & præterea cauſa cauſæ habeatur pro cauſa cauſati; potentia alicuius gentis increſcens, eaque iure tremenda, eſt cauſa iuſtitiæ belli, ſeu, cauſa belli iuſtifica (§. 1092. E.), niſi alia remedia mitiora, periculo avertendo ſat proportionata, ſuperſint (§. 1088. E.).

§. 1658. Qui habet ius ad reprimendum effectum futurum, is etiam iure pollet reprimendi cauſam, ſeu efficiendi, ne cauſa exiſtentiam nanciſcatur, neve agere poſſit. Quod ſi quis negare auſit, is experietur contradictionem manifeſtam.

§. 1659. Dantur læſiones intolerabiles, gentibus probabiliter metuendæ, quæ ſint effectus, vel certo vel probabiliter certi, potentiæ alicuius gentis increſcentis, eiusque iure tremendæ tanquam cauſæ (§. 1656.). Jam cum Jure Gent. refrænari poſſint læſiones eiusmodi intolerabiles (§. 781. E.), gentes etiam iure pollent eo diſpiciendi, ne gentis alicuius potentia increſcens degeneret in tremendam (§. 1658.). Quod ius producendi finem commemoratum eſt copulatum cum iure ad arripienda remedia duriora ſi mitiora non ſint proportionata (§. 1088. E.), ad removenda impedimenta, fini contraria, nec minus ad expectandam & ſuſcitandam occaſionem, fini obtinendo velificantem (§. 601.)

§. 1660. Quæcunque potentia increſcens copulata non eſt cum futura læſione reliquarum gentium inſigni, eaque ſaltim probabiliter certa, illa iure tremenda non eſt. (§. 1655.).

§. 1661. Quo caſu non datur læſio vel certo, vel probabili-

babiliter certa, eo non datur læsio vera, cum aliunde constet, verum esse vel certo certum, vel probabiliter tale.

§. 1662. Quo casu læsio ne probabiliter quidem certa datur, eo nec læsio certo certa occurrit, & consequenter nulla prorsus aderit (§. 1661.).

§. 1663. Quæcunque potentia increscens cum læsione, ne probabiliter quidem certa, est conjuncta; ea cum nulla læsione futura vera (§. 1662.), neque adeo cum metuenda jactura securitatis publicæ (§. 513.) copulata censetur.

§. 1664. Cum eadem potentia nullam producat læsionem futuram veram, quæ sola est causa belli justifica (§. 1092. E.); ejusmodi potentiam non esse causam justitiæ coactionis vel belli, neque adeo causam belli justificam, ex §§. 1092. E. 261. Spec. patebit.

§. 1665. Non omnis potentia increscens alicujus gentis, ejusve imperantis, e numero causarum belli justificarum est (§. 1664.).

§. 1666. *Æquilibrium gentium* est status, ubi imperantium cujuslibet viribus vires reliquorum vel quorundam ex reliquis ita æquales seu pares sunt, ut ex illis nullus potentia sua in oppressionem reliquorum abuti possit, licet quam maxime id velit. Ex hac notione patet, in æquilibrio gentium æqualitatem virium æstimandam esse ex earum relatione ad securitatem publicam.

§. 1667. Modus continendi gentes in æquilibrio est remedium impediendi, ne una vel altera gens potentiam increscentem, eamque aliis tremendam, indipiscatur (§. 1654. 1666.). Enimvero gentes jure gaudent, arripiendi remedia impediendi, ne una vel altera gens potentiam increscentem, eamque reliquis tremendam nanciscatur (§. 1659.; gentes itaque jure gaudent continere alias in æquilibrio.

§. 1668. Vi hujus juris contingere solet, ut impediant gentes, ne Rex, cujus majestas jam jam multiplicata est (per Schol. §. 1591.) alia regna, ad quæ ei jus competit, indipiscatur

& ut ejusmodi Regi videatur fieri summa injuria, idque ob interceptionem ejus, ad quod sibi præ aliis jus competit (§. 981. E.). Et cum injuria sit violatio τȣ̃ suum cuique (§. 767. E.), custodia ejusmodi æquilibrii videtur aperte repugnare τῷ suum cuique, & consequenter Juri Gent. strictissime sumto (§. 1575.), religiosissime gentibus observando, nec minus adeo ipsi publicæ gentium securitati (§. 1634.). Verum enim vero notum est, quod, si quis utatur jure suo, is nemini injuriam faciat (§. 784. E.). Hinc si gentes utantur jure continendi alias in æquilibrio (§. 1667.), hisce nulla infertur injuria. Neque adeo hoc casu deprehenditur violatio τȣ̃ suum cuique (§ 767. E.), nec ex consequenti infractio Juris Gentium stricte dicti (§. 1575.), nec tandem turbatio securitatis & pacis publicæ (§. 1635.).

§. 1669. Nec nostro casu gens, quæ continetur in æquilibrio, conqueri potest, se cogi ad custodiam Juris Gentium humanioris, qualem coactionem sine jure fieri, §. 1652. evicimus. Modus enim continendi gentes in æquilibrio est remedium impediendi, ne una vel altera gens potentiam increscentem, eamque aliis jure tremendam, indipiscatur (§. 1666. 1654.), quæ fons est læsionum & turbationum enormium, aliis populis probabiliter metuendarum §. 1656. & consequenter probabilium infractionum securitatis publicæ (§. 513.), ex solo cultu Juris Gentium, strictissime sumti, oriundæ (§. 1638.). Modus itaque continendi gentes in æquilibrio est remedium impediendi futuras, saltem probabiliter tales, infractiones securitatis publicæ, ex solo cultu Juris Gentium, strictissime sumti, oriundæ, & consequenter avertendi non nisi futuras, probabiliter tales, violationes Juris Gentium, strictissime sumti. Unde patet, quod idem modus continendi gentes in æquilibrio non nisi remedium sit cogendi eas ad cultum Juris Gentium, strictius accepti. Exinde tandem conficitur, ut idem modus non sit remedium cogendi eas ad custodiam Juris Gent. humanioris.

§. 1670. Si gentes utantur remediis, quibus aliæ gentes

in

in æquilibrio continentur, id non faciunt qua judices, quales esse non possunt (§. 1623.), sed qua enormem læsionem & turbationem, saltem probabiliter certam, metuentes (§. 1667. 1659.), & consequenter qua partes legitime disceptantes (§. 1067.), quæ nullum judicem habent nisi gladium.

SCHOLION. In hoc argumento *Illustris Domini Baronis ab* HULDEBERG *dissert. de æquilibrii alioque legali Juris Gent. arbitrio in gentium controversiis pacis tuendæ causa interponendo* nec non Cel. LEHMANNI *Trutina Europæ* in primis legi merentur.

§. 1671. Justitia gentis, ejusve imperantis summi, intuitu aliarum gentium earumve imperantium supremorum in custodia τȣ̃ suum cuique genti, ejusve imperanti, tribuendum consistit (§. 797. E.), & distinguenda est ab justitia imperantium, proprie tali, intuitu vel totius populi sui, vel civium subjectorum & in infligendis pœnis & in decidendis eorundem controversiis (§. 1286.). Quænam sit gentium injustitia externa & proprie talis, intuitu aliarum gentium, ex §. 797. E. itidem perspicias. Nec minus patet, eandem esse discriminandam ab injustitia imperantium, intuitu civium subjectorum & quidem ratione vel pœnæ infligendæ vel decidendarum eorundem controversiarum.

§. 1672. Quæ §. 861. seqq. E. dicta sunt de eo, quod licitum est, ea præcipue ad LICITUM GENTIUM transferenda veniunt.

§. 1673. Quæ LL. gentium, stricte dictis, non repugnant, ea *licita* sunt *Gentibus in foro externo naturali* (§. 861. E.). *Quæ gentibus illicita* sint in eodem foro, facile patet.

§. 1674. Quod licitum, illicitumve sit genti, id ex jure humano, & consequenter ex LL. civilibus alicujus vel quarundam gentium, dijudicandum non est (§. 1673. 1584.).

§. 1675. Jus Gentium, stricte dictum, est limes ejus, quod genti licet in foro externo (§. 1673.).

§. 1676. Actiones gentium, earumve principum summorum, quæ non conjunctæ sunt cum violatione τȣ̃ *Suum* CUIQUE, eis licitæ sunt in eodem foro (§. 945.).

§. 1677. Actiones, genti in foro externo licitæ, non sunt læsiones (§. 830.).

§. 1678. Mala & incommoda, aliis ex ejusmodi actionibus, genti licitis, subnata, nec pro damnis & injuriis reputari, nec adeo causas belli justificas subministrare possunt (§. 831. 832.).

§. 1679. Qui conturbant gentem in usu liciti, is eos lædit perfecte (§. 837. 838.). Idem locum habet eo casu, ubi quis gentem velit vi compellere ad expediendum id, quod sibi licitum (§. 839.), vel multo magis, quod ei illicitum est.

§. 1680. Mala, gentibus subnata ex alterius gentis turbatione ejus, quod eis licitum est, damna sunt, ad quæ reparanda turbatores tenentur (§. 840.).

§. 1681. Status gentium naturalis non est status licentiæ, neque eis omne, quod libet, licet (§. 921. E.). Neque idem status est status belli (§. 941. E.). Conf. Ill. GRIBNERI Jpr. N. L. II. c. 2. §. 3.

§. 1682. Doctrina generalis de læsionibus veris & imaginariis, quam a §. 953. usque ad §. 996. E. tradidimus, in studio Juris Gent., ejusque applicatione ad earum facta, est probe ponderanda.

§. 1683. Intuitu famæ & infamiæ, genti tribuendæ, notandum, quod gentes liberæ æquales sint ratione existimationis, ejusdemque non nisi simplicis (§. 1006. E.). Quæ causæ conquerendi de aliis justificæ inde genti subnasci possint, in Scho', l. §. cit. indicavi.

§. 1684. Ob solam insignem turpitudinem externam in foro externo gentes jure contemni possunt (§. 1018. E.). Id quod applicandum ad solam enormem violationem τȣ SVVM CVIQVE, & ad solum pruritum lædendi alias gentes & proterve conculcandi justitiam expletricem (§. 1018. E.).

§. 1685. Licet gens non nisi infimo honestatis gradui satisfacere sueverit, reliquis officiis sublimioribus posthabitis, ea tamen contemtu externo digna haberi non potest. (§. 1019. E.).

§. 1686. Contemtus, quo gens, non nisi infimum honesta-

honestatis gradum custodiens, externe premitur, est læsio perfecta (§. 1027. E.).

§. 1687. Nulla gens ob solam paupertatem, ob solam stupiditatem, ob solam religionis diversitatem, ob morum ruditatem, ob solum virtutis internæ defectum, ob formam reipubl. imperfectiorem, ob deficientem antiquitatem, externe contemnenda (§. 1029. E.).

§. 1688. Quæ superbia gentis sit læsio, quænam minus patet ex §. 1031. E.

§. 1689. An infamia in statu naturali suboriri possit, §. 1039. indicavi.

§. 1690. Si gentes religiose custodirent Jus Gentium, latius sumtum (§. 1568.), quod inculcat officia amoris (§. 1645.); non solum ad officia innoxiæ utilitatis (§. 1646.), sed & ad auxilia omnia, sibi mutuo ferenda, omni occasione paratæ forent (§. 740. E.), idque juxta doctrinam de auxilio, §. 720. & seqq. E. traditam. Sed cum integri populi, æque ac homines singulares, tanto amore se non complectantur, nec officia humanitatis, in se spectata, extorsionem patiantur (§. 736. E.); commotæ sunt gentes confugere ad modum, quo officia humanitatis in officia, perfecte debita, mutari possint, & quem pactum esse, ex §. 1326. E. patet.

§. 1691. Unde cognoscimus occasionem & originem pactorum & consequenter fœderum (§. 503. 504. 505.), quibus gentes securitatem & felicitatem suam circumvallare & amplificare connisæ sunt (§. cit.), & quæ compluribus officiis populorum hypotheticis, eisdemque perfectis, ansam dederunt (§. 889. E.).

§. 1692. Homines singulares, familiæ, civitates, gentem aliquam constituentes, vel vivunt extra societatem, vel in societatem coaluere (§ 508.). Homines singulares pacisci posse inter se, patet ex Jure Nat. singulorum, & speciatim ex Jure pactitio. Integras societates habiles esse ad paciscendum, easque per pacta obligari, & jura perfecta nancisci posse,

ex

ex §. 104. 108. manifestum est. Gentem itaque, quomodocunque eam consideraveris, habere facultatem paciscendi physicam, perspicimus.

§. 1693. Cum ergo genti cuicunque facultas paciscendi physica tribuenda sit, nihil obstat, quo minus genti sola pacta justa servanda esse adstruamus (§. 1313. E. 107. Sp.).

§. 1694. Poneres, quod non conciperemus, qua ratione toti vel ingenti societati & populo, qua civitati, facultas consentiendi, promittendi & paciscendi physica tribui possit, societates & ejusmodi populi applicationem doctrinarum de jure pactitio non admitterent (§. 1258. E.).

§. 1695. *Pacta* dicuntur *publica*, quæ a civitatibus de negotiis publicis celebrantur. Illa a Gallis *Traitez publics* vocantur, & a *contractibus principum privatis*, circa eorum negotia privata initis, distinguenda veniunt.

§. 1696. Ad pacta requiritur consensus reciprocus (§. 1288. E.). Sed in societate (§. 110.), & consequenter in civitate, in quam gens coaluit (§. 492.), modus consentiendi justus est, de quo inter imperantes & cives subjectos conventum est.

§. 1697. Quæ pacta gentium justa vel injusta sint, idque in foro interno non minus quam externo, ex §. 1289. seq. E. patebit.

§. 1698. Fœdera eo tendunt, ut conservetur & promoveatur bonum gentium paciscentium commune & publicum (§. 1691. 468.). Hinc fœdera de negotiis publicis celebrantur (§ 1372.), & ob id pacta publica audiunt (§. 1695.)

§. 1699. Hanc acceptionem fœderis si sequamur, illud non initur a privatis, nec inter principem & privatos, nec inter principes non nisi privatæ utilitatis causa paciscentes (§. 1698 1695.), vid. Cel. MASCOVII Disp. de *J. fœderum in S. R. I.* § 2.

§. 1700. Fœdera, si justa sint, gentibus servanda sunt. (§. 1693. 503.). Quæ sint justa vel injusta in genere, idque in utroque foro, patet ex §. 1697.

§. 1701.

§. 1701. Cum fœdera sint pacta (§. 503.), ea, quæ de pactis, eorumque firmitudine, vel invaliditate tenenda sunt, etiam de fœderibus valere, manifestum est. Hinc quæ in Jure pactitio de dolo malo, de errore & de metu dicta sunt, præcipue huc transferenda veniunt.

§. 1702. Injustitia fœderum, in foro externo spectata, dimetienda est ex violatione τȢ suum cuique (§. 797. E.), & consequenter ex læsione (§. 767. E.), quæ cum illis copulata deprehenditur.

§. 1703. Oppressio innocentium ad læsiones referuntur, & eatenus fœdera, quæ ad alias gentes innocentes opprimendas tendunt, injustis merito accensentur (§. 1699.). Sed cautione opus est, ne ad ejusmodi oppressionem referas, quæ læsionis nomen non merentur. Si nihil retuleris ad oppressionem, de qua sermo est, nisi id, quo suum cuique violatur (§. 767. E.); si damna vera distinxeris a damnis spuriis, quorsum id in primis pertinet, quod in consequentiam GROTIO venire dicitur (§. 983. E.), idque juxta doctrinam, §. 954. seqq. E. propositam; si & reflexeris ad ea, quæ de potentia tremenda, aliis gentibus ex quorundam principum fœdere subnascenda §. 1654. seqq. dicta sunt; evitabis scopulos, in hac materia momentosa obvios.

§. 1704. Sæpius oritur controversia de fœderibus, quæ pactis prioribus contradicere existimantur, & quibus ob id injustitia tribuitur. Res omnis eo redit, utrum pactum prius validitatem suam amiserit, vel adhuc retineat, id quod ex doctrina de Jure pactitio dijudicandum erit.

§. 1705. Dissensu mutuo dissolvi pacta, patet ex §. 1424. & 1427. E., nisi dissolutione eorundem lædatur tertius (§. 1428. E.). Porro dantur conditiones, sub quibus pars paciscentium altera nanciscitur jus resiliendi a pacto (§. 86. Spec.). Ejusmodi casibus posterius fœdus priori, quod exspiravit, non contradicit per Schol. §. 1321. E.

§. 1706. Sed si pacta priora nec consensu mutuo dissoluta, nec ab altero compaciscente violata fuerint, nec ulla

ratio

ratio justa ex jure conventionali allegari possit, cur illa pro invalidis pronunciari debeant; illis fœdera posteriora Jure Gentium contradicere non possunt (§. 1320. & Schol. §. 1321. E.).

§. 1707. Si consideres §. 86., legem commissoriam pactis, in statu naturali celebratis, tacite inesse affirmabis. Hinc & justam a fœdere resiliendi causam admittere tenemur, si compaciscens alter conventionem vel adimplere nolit, vel illam prorsus infregerit. Priori casu liberum esse alteri putatur, utrum implementum urgere, an recedere velit a pacto (§. 87). Sed cum opus non sit, ut ea, quæ alicui negotio tacite insunt, diserte exprimantur, non deficiunt, qui existimant, necesse non esse, ut pactum commissorium fœderi inseratur. Conf. GRIEBNER. Jpr. Nat. L. III. c. V. n. 5.

§. 1708. In quæstione, utrum quis pluribus se diversis fœderibus conjungere possit, consideres §§. 1320. 1321. & Scholium Exerc. Jus, quod sibi gens ex pacto & consequenter fœdere, cum alia civitate percusso, jamjam acquisivit, ei auferri non potest per aliud pactum posterius, ab eadem civitate cum populo alio diverso, utut arctius celebratum & juramento corroboratum, per Schol. II. §. 1460. E. Dissentit GROTIUS.

§. 1709. Si causas, §§. 1690. 1691. adductas, quibus commoti sunt gentes ad pacta publica inter se celebranda, consideraveris; pacta & fœdera, cum gentibus infidelibus percutienda, non pronunciabis illicita, si Jus Gentium spectaveris. Dantur ejusmodi fœdera, quibus SVVM CVIQVE non violatur, & quæ justa sunt in foro externo (§. 797. E.), insimulque ita comparata ut in detrimentum & præjudicium verioris religionis non tendant, nec adeo conventionibus impiis annumerari merentur. Ea inservire possunt conservandæ & magis circumvallandæ securitati Gentium communi & promovendæ earum commoditati & felicitati publicæ. Qui fines, ad salutem generis humani contendentes, sunt

sunt conformes voluntati divinæ, cui pacta & fœdera, cum populo infideli celebrata, tanquam remedia, repugnare non possunt.

§. 1710. Cum omnia gentium inter se consideratarum negotia vel ad pacem, vel ad bellum redeant (§. 1573.); *fœdera* dicuntur esse vel *pacis*, vel *belli*, quæ posteriora vel *offensiva*, vel *defensiva*, vel *offensiva & defensiva simul* sunt (§. 1124. 1126.). De quibus tamen, ut & de pactis, circa neutralitatem initis, loco convenienti.

§. 1711. Nec minus patet, cur populi inciderint *in fœdera ratione auxilii bellici*, quod fit vel copiis, vel armis, vel impensis, & cur commercia & successiones mutuæ, quorsum *confraternitates* referendæ sunt, fœderibus occasionem dederint.

§. 1712. Videas *fœdera amicitiæ*, quibus de solius humanitatis officiis exhibendis, aut de læsione non inferenda convenitur. Quatenus hæc fœdera eo tendunt, ut ne paciscentium alter alteri noxam inferat, conventum est de iis, quæ jam a Jure Gentium stricte dicto inculcantur (§. 1575. Sp. & 767. E.), & consequenter ante conventionem jure perfecto debentur. Enimvero cum pacta sint inventa, ut officia humanitatis in officia perfecta mutarentur (§. 1326.), neque opus sit pacisci de iis, quæ officii jamjam perfecti sunt; ejusmodi pacta a PUFENDORFFIO supervacanea & pudenda pronunciantur. Quæ pacta nullum aliud jus perfectum producere possunt, quam quod paciscentes jamjam ante conventionem habuerunt. Ponas alteram gentem alteri ante pactum noxam vel inferre velle vel jamjam intulisse, parti alteri jus defensionis vel jus læsi in lædentem competit citra omnem respectum ad conventionem. Utrumque jus est connatum juxta Exercitationem V. Jur. Nat., quod ut jure novo, eoque quæsito, ex pacto oriundo (§. 1328. E.), corroboretur, opus non est, præcipue cum ejusmodi jus acquisitum jure connato fortius non sit. Quatenus vero fœdera amicitiæ eum finem habeant, ut exhibeantur

tur officia, quæ a solo alias humanitate pendent, e gr. ut peregrinis hospitium vel commercium concedatur innoxium; hæc omnino solo jure naturali humaniori seu latius sumto (§. 1574. 1645. seqq.) concedi debuissent sine pactione prævia, nec gens moratior unquam eadem aliis denegabit, licet nullum pactum adsit. Sed cum cultus ejusmodi juris humanioris nullam coactionem patiatur (§. 1651.), fœdera amicitiæ, quibus de sola humanitate convenitur, qua pacta (§. 503.), hunc habent effectum, ut alter paciscens nanciscatur jus extorquendi illa officia (§. 1330. E.).

§. 1713. Ejusmodi itaque fœdera amicitiæ, qua pacta, hanc utilitatem habent, ut obligationi pristinæ, (ex *Jure Gentium Naturali, eoque humaniori oriunda*,) novum quasi auctoramentum addatur, cum perfidiæ opprobrium (§. 1338. E.), & præsentis ultionis metus (§. 1330. 873. E.) multos in officio contineat, apud quos pudor & *NVMINIS* religio eviluit. Conf. Differt. MASCOVII cit. §. 3. & THOMASII *Jpr. div.* L. 3. c. 8. §. 13.

§. 1714. Dantur fœdera limitata seu conditionata, illiminata (§. 503. 1474. Spec. 1377. Ex.), temporaria, perpetua, quæ ultima *fœdera salis* ab Hebræis dicta sunt.

§. 1715. Obveniunt pacta, quorum obligatio imperantis personam non egreditur, & quæ *fœdera personalia* audiunt. Sunt & alia pacta, quæ integram rempublicam obligare dicuntur, *fœdera realia* nuncupari sueta.

§. 1716. Pacta publica sunt, quæ a civitatibus de negotiis publicis celebrantur (§. 1695.). Enimvero cura negotiorum publicorum ab exercitio imperii summi dependet (§. 1374.). Pactorum ergo publicorum celebratio ab iis dependet, in quibus residet exercitium imperii civilis summi.

§. 1717. Fœdera pactis publicis accensentur (§. 1698.). Fœderum ergo celebratio ab iis dependet, in quibus residet exercitium imperii civilis supremi (§. 1716.).

§. 1718. In quibus exercitium imperii civilis supremi non conspicitur, eis nec jus promovendi bonum civitatis publi-

publicum (§. 567.), nec ex consequenti jus gerendi curam negotiorum publicorum (§. 1372.), neque adeo jus celebrandi pacta publica (§. 1695.) nec consequenter percutiendi fœdera (§. 1698.) tribuendum.

§. 1719. Solæ gentes, in quarum sinu imperium summum deprehenditur, seu soli illi, in quibus exercitium imperii civilis summi conspicuum est, gaudent jure celebrandorum pactorum publicorum & fœderum (§. 1718. 1717. 1716.) intuitu totius reip. cui præsunt, percutiendorum. Quod applicari potest ad omnes reip. formas.

§. 1720. Solæ civitates, in quibus residet imperium summum, h. e. solæ civitates liberæ (§. 527. Sp. & §. 912. Ex.), earumve soli imperantes summi gaudent jure fœderum, intuitu totius reip. cui præsunt, percutiendorum. (§. 1719.).

§. 1721. *Civitas independens* dicitur, quatenus ea gaudet omnimoda independentia actionum ab imperio humano. (§. 524.). Id quod applicandum est ad illius imperium, quod eam ob rationem debet esse summum. (§. 527.).

§. 1722. Summitas imperii est attributum proprium civitatis independentis (§. 228. E. 1721.), & a civitate independenti inseparabilis est. (§. 229. E.).

§. 1723. Attributa rerum propria cum rebus sunt reciprocabilia, id quod aliunde patet. Summitas ergo imperii cum civitatis independentia converti potest. (§. 1722.). Hinc a summitate imperii alicujus reip. ad ejus independentiam, & v. v. secure concludimus.

§. 1724. Solæ civitates independentes jure fœderum gaudent. (§. 1720. 1723.). Id quod applicandum ad principes independentes.

§. 1725. Si dentur principes, qui imperium aliquod commune agnoscunt, & qui vi pactorum regni fundamentalium fruuntur jure fœderum, hæc tamen non nisi ad jura sibi competentia conservanda, vel ad commoda propria promovenda, minus vero intuitu totius imperii, cui subsunt, percutere possunt. Ejusmodi fœdera facienda non esse in

præiudicium totius imperii, eiusque principis regnantis, fat manifestum est ex fide, qua illi & huic obstricti esse solent. De præiudicio vero loquor. (§ 954.).

§. 1726. Jus celebrandi pacta publica est ius maiestaticum. (§. 557. 1695. 1372.). Idem applicandum ad ius fœderum. (§. 1698.).

§. 1727. Fœdus est pactum inter diversas civitates non transitorium. (§. 503). Durante ergo fœdere durat pactum inter diversas civitates & consequenter perdurat ipsa diversitas civitatum fœderatarum, *per consequentiam immediatam.* Ponas, quod post fœdus iamiam percussum, illud non rumpatur, sed perduret, etiam post idem tempus diversitas civitatum perdurare debet. Perduratio itaque diversitatis civitatum fœderatarum a perduratione fœderis est inseparabilis. Hinc si posueris, civitates paciscentes isto fœdere desiisse esse a se diversas, fœdus non perdurat, & consequenter evanescit.

§. 1728. Sumas duas civitates independentes (§. 1720.), easque paciscentes, quarum altera vi pacti dependens reddatur ab alterius imperio; imperii, in hac altera hactenus deprehensi, independentia ab imperio humano quocunque tolleretur, & consequenter illius imperium summum (§. 527 & maiestas (§. 528) evanesceret. Hac ratione in hisce duabus civitatibus paciscentibus non nisi unica maiestas remaneret, quæ communis esset utrique civitatum. Vbi non nisi unica datur maiestas, ibi etiam non nisi unica civitas deprehenditur, & consequenter civitatum paciscentium diversitas cessaret. Hoc itaque pacto fœdus non perduraret, quin potius evanesceret (§. 1727.), & fœdus nullum conciperetur. *Si* proinde *ponantur duæ civitates independentes, eaque ita paciscentes, ut altera vi pacti (fœderis) dependens reddatur ab alterius imperio summo, fœdus nullum conciperetur.*

§. 1729. *Gens fœderata post foedus percussum* dependens ab alterius gentis fœderatæ imperio fieri non potest (§. 1728.), & consequenter *independens ab eodem imperio manere debet.*

§. 1730. Notes quod heic loci sermo fit de independentiâ vel dependentia ab imperio humano. An alia dependentia cum fœdere consistere possit, de hoc inferius.

§. 1731. Quousque aliqua gens est & permanet independens ab alterius imperio, eousque etiam apta manet percutiendo fœderi. (§. 1729.).

§. 1732. *Foedera æqualia* dicuntur, quæ utrinque eodem modo se habent.

§. 1733. Character horum fœderum a CHRIST. THOMASIO ita explicatur, quando nimirum non solum æqualia utrinque promittuntur, simpliciter aut observata proportione virium, sed & æquali modo, ita ut neutra pars fit deterioris conditionis.

§. 1734. *Foedera*, quæ utrinque eodem modo se non habent, appellantur *inæqualia*. Hæc sunt ad mentem THOMASII ea, quando vel inæquales præstationes invicem exhibentur, vel altera pars est deterioris conditionis.

§. 1735. Vtriusque generis *foedera* aut *pacis*, aut *societatis* alicujus causa fiunt. Illa sunt, ut quæ de restituendis captivis, rebus captis & ad securitatem conveniri solent; hæc vero sunt triplicis generis: aut enim ad commercia, aut ad belli communitatem, aut alias res pertinent.

§. 1736. Ineuntur fœdera æqualia *circa commercia*, quæ varia esse possunt, puta si conveniatur, ne cives utriusque fœderati alterius terras aut portus accedentes ullum vectigal solvant, aut non plus quam in præsens solvatur &c.

§. 1737. Fœdera belli æqualia itidem variant, puta ut auxilia præstentur paria militum, navium, sive ad omne bellum, quod Græci συμμαχίαν vocant, sive ad tuendos fines tantum, quod ἐπιμαχίαν appellant, sive ad certum bellum, aut in certos hostes, aut in omnes quidem, sed exceptis sociis.

§. 1738. Fœdera æqualia *intuitu aliarum rerum* sunt, quibus stipulatur, ne in confinio alterius alter fortalitia habeat, ne subditos alterius defendat aut recipiat, aut, ut compre-

hensos alteri transmittat, ne transitum alterius hostibus concedat, & quæ sunt alia.

§. 1739. In fœderibus inæqualibus deprehendimus partem paciscentem digniorem & minus dignam (§. 1754. Sp. & §. 892. E.). Talia sunt ex parte digniori, si quis auxilia promittat, nec restipuletur, aut majora promittat; ex parte vero minus digna sunt vel cum imminutione imperii summi copulata, vel secus.

§. 1740. *Fœdera inæqualia cum imminutione imperii summi conjuncta oriuntur*, si conventum sit, ne fœderatus minus dignus partem aliquam summæ potestatis, h. e., jus aliquod majestaticum, sine consensu fœderati dignioris exerceat, e. g. ne bellum aliis indicat, ne fœdus cum aliis percutiat &c. sine alterins consensu. Sunt, qui pro expressione, *sine alterius consensu*, utuntur *injussu alterius*, sed ab hoc termino abstinendum, nisi is quidem commode explicetur.

§. 1741. Ejusmodi imminutio imperii non nisi ejusdem limitatio est. (§. 1516.). Sed limitationes summitati imperii civilis non contradicunt, neque adeo eam tollunt (§. 37. E. 1527. Spec.); qui itaque fœdere ejusmodi inæquali alteri tenetur, non desinit habere summum imperium seu majestatem. (§. 528.).

§. 1742. Plura, quæ de imperio civili limitato §. 1520. sqq. dicta sunt, etiam huc transferenda veniunt. (§. 1741.) Nec minus patet, ea omnia, quæ cum summitate imperii civilis copulata sunt, ejusmodi fœdere inæquali, de quo nobis sermo est, salva & indelibata manere. Hinc ea, quæ §. 1540. in medium prolata sunt, etiam huc applicari possunt.

§. 1743. Sed caveas, ne terminum *imminutio*, jamjam receptum, captes & eum ita explices, ut summitati imperii aliquid decedere debeat, quæ idea *imminutioni* alias adhærescit. Inhæreas potius notioni, quam THOMASIUS, aliique cum imminutione imperii conjungere solent (§. 1740.), & cognosces, eandem imminutionem imperii summi non nisi modificationem illius & limitationem significare.

ficare. (§. 1741.). De quo significatu magis certus fies, si consideres, eandem imminutionem imperii supremi a translatione & sublatione illius distingui.

§. 1744. Si Teates Apuli ita pacti sint cum populo Romano, ut in hujus ditione esse voluerint, quibusdam tamen juribus sibi reservatis; ejusmodi pacto deditionis conditionatæ illi subjecti sunt imperio Romanorum. Sed cum ab ejusmodi pacto subjectionis ad pactum de transferendo imperio civili summo secure concludatur (§. 641.), imperium summum seu majestas penes Teates transferentes remanere non potuit. (§. 630.) Respublica independens sine majestate non datur (§. 539), & consequenter evanescente majestate, quæ in populo aliquo conspicua fuit, populus, respublica & civitas (§. 497.) independens esse desinit. Hac itaque conditione Teates Apuli populus independens esse desierunt, Vnde patet, quod eorum *pactum deditionis conditionata pro fœdere reputari non possit.* (§. 1729.).

§. 1745. Hinc LIVIUS hanc *deditionem conditionatam* appellavit *fœdus nomine.* Si cui rei tribuatnr nomen seu definitum e.g. fœderis, ad quam tamen definitio vel attributa, cum definitione copulata, applicari non possint, eidem rei nomen non nisi improprie tribuitnr. *Deditio* itaque *conditionata non nisi fœdus improprie tale est.*

§. 1746. Cui rei tribui non potest nomen generis, eidem nec nomen speciei tribuendum. Hinc & deditio conditionata e numero fœderum inæqualium esse non potest. (§. 1744. 1745.).

§. 1747. Cum in pacto deditionis conditionatæ deprehendatur translatio & sublatio imperii summi (§. 1744.), quæ distinguenda est a sola imminutione, vel potius, limitatione & modificatione illius (§. 1741.), mirum non est cur scriptores J. G. idem pactum fœderibus inæqualibus, cum imminutione imperii conjunctis, annumerare dubitaverint, vel saltem dubitanter annumeraverint.

§. 1748. Quædam fœdera inæqualia, quæ imperinm sum-

summum non imminuunt, annexum habent *onus transitorium*, seu quo simul & semel licet defungi, e. g. si ex fœdere pacis alter teneatur stipendium solvere alterius militibus, belli sumtus restituere, mœnia diruere, obsides, naves, arma tradere, &c. Quædam vero ejusmodi fœdera continent *onera non transitoria* seu *manentia*, quæ perpetua sunt, qualia sunt: eosdem amicos & hostes cum fœderatorum altero digniori habere, sed non reciproce; arces intra certa loca non extruere; annuam pensionem solvere, ad certa loca non navigare; exercitui, cui cum altero bellum sit, per fines transitus commeatusve non concedere.

§. 1749. Ad præstationes fœderis inæqualis manentes præcipue referas officium de alterius majestate comiter colenda, quod IMPERII REVERENTIAM dixit TACITUS. Per ejusmodi fœdus inæquale GROTIUS L. I. 3. 21. 1. intelligit, quod ex ipsa vi pactionis manentem prælationem quandam alteri donat; h. e ubi quis tenetur alterius imperium & majestatem conservare: id est, tum operam dare, ut ejus imperium in tuto sit, tum ut dignitas, quæ majestatis nomine significatur, ei constet. Huc pertinent *foedera protectionis* sive *clientelæ*, nec minus *advocatiæ*.

§. 1750. Licet hoc fœdere producatur inæqualitas externa & superioritas quædam ratione ordinis & dignitatis; sola tamen ejusmodi prærogativa locum habere potest citra imperium, in partem digniorem translatum. Hoc itaque fœdus ita est comparatum, ut fœderati inferioris independentiam imperii ab imperio humano quocunque, & consequenter summitatem imperii (§. 527.) & majestatem (§. 528.) non tollat.

§. 1751. In pactis publicis (§. 1695.) & fœderibus (§. 1698. 503.) partes paciscentes sunt civitates integræ, quæ interventu eorum obligantur, & certa jura nanciscuntur (§. 1324. 1328. E.).

§. 1752. Nullum datur pactum publicum, nec ullum fœdus, quo non obligarentur vel quo certa jura non nanciscerentur certæ civitates. (§. 1751.). §. 1753.

§. 1753. Fœdera ſunt conventiones inter diverſas civitates non tranſitoriæ. (§. 503.). Officia itaque perfecta & jura, quæ ex iisdem oriuntur (§. 1751.), ſunt non tranſitoria.

§. 1754. Jura majeſtatica vel abſolute vel limitate, idque vi pacti, exerceri poſſe, ex ſpecimine præcedenti patebit. Id quod ad jus celebrandi pacta publica & fœdera applicandum. (§. 1726.).

§. 1755. Imperantes ſummi, qui vel abſolute vel limitate jure fœderum gaudent (§. 1719. 1754.), ſub eadem hypotheſi jure gaudent interventu fœderum obligandi civitates ſuas, eisque acquirendi certa jura non tranſitoria (§. 1751. 1753.). Huic juri principum reſpondere in civitatibus, eis ſubjectis, obligationem perfectam patet ex §. 226.

§. 1756. Si imperantes ſummi fœdera cum aliis civitatibus, earumve imperantibus, percutiant, idque virtute exercitii vel abſolute, vel limitate ſibi competentis, jurium majeſtaticorum (§. 1754.); iisdem fœderibus civitates, eis ſubjectæ, ſemper obligantur, vel certa jura nanciſcuntur. (§. 1752.).

§. 1757. Imperantes ſummi ſuo (§. 628. 1726.), adminiſtratores rerump. alterius (§. 720. 1726.), & uſurpatores regnorum nullo jure (§. 650. 655. 1726.) pacta publica & fœdera percutiunt. Hinc & imperantes ſummi ſuo, adminiſtratores rerump. alterius jure civitatem percuſſo fœdere obligant. (§. 1751.). Vſurpatoris vero regni pacta nullam prorſus obligationem civitatis producunt, cum ea ſint ipſo jure nulla.

§. 1758. INTERREGES ſunt, qui in regnis electivis tempore INTERREGNI, quod eſt ſpatium temporis, a morte Regis usque ad electionem novi imperantis computatum, jura imperii adminiſtrant, idque juxta conſtitutiones regni ſingularis. Penes quos eſt jus fœderum vacante ſolio, niſi lege fundamentali poteſtas cum alia gente paciſcendi ſit reſtricta.

§. 1759. Civitas independens ab imperio civili ſummo

separari non potest. (§. 1722.). Idem imperium est vel translatum in alios ope pacti (§. 617.), vel minus. Duplex itaque casus occurrit, quo datur civitas independens, quæ habilis est ad pacta publica & consequenter fœdera (§. 1724.) percutienda cum aliis civitatibus independentibus. (§. cit.). Posterior casus præcipue deprehenditur in interregnis, ubi τὸ κύριον ob mortem regis recidit in civitatem, antea subjectam, quæ ob id independens (§. 1723.) permanet durante interregno, & consequenter ad celebranda fœdera habilis existimatur (§. 1724.). Sed opus erit, ut priorem casum peculiariter ponderemus, & ex idea civitatis independentis, ubi summitas imperii in unum vel plures, idque vel absolute, vel limitate translata conspicitur, distincte cognoscamus, imperantes summos & pro se & pro populo suo paciscì, si illi quidem pacta publica cum aliis populis celebrent.

§. 1760. Imperium summum a civitate independenti separari nescit (§. 1722.). Ponas idem imperium in unum vel plures ope pacti (§. 575) translatum esse, imperantes summi a civitate independenti divelli non possunt. Hoc casu *civitas independens indivisim complectitur summos imperantis & populum, eis subjectum.*

§. 1761. Si sustuleris imperantes summos a civitate independenti, tolles eos, in quos imperium summum ita translatum est, ut illud penes civitatem transferentem remanere non potuerit. (§. 630.). Hac ratione tolles etiam a civitate independenti imperium summum, quod conspicuum est in solis imperantibus summis. Sic nanciseeris civitatem independentem sine imperio summo. Quod cum sit absurdum (§. 1722.); imperantes summi a civitate independenti separari non possunt. *Eo* itaque *casu, quo summa potestas translata est in unum vel plures, civitas independens indivisim complectitur summos imperantes & populum, eis subjectum.*

§. 1762. Notemus quod princeps summus non quidem sit pars civitatis, qua subjectæ, is tamen esse debeat pars civitatis seu populi, qua independentis, cujus ille caput & pars

pars eminentissima est; quo quippe sensu is civis eminentissimus recte dicitur (§. 530. seq.).

§. 1763. In fœdere partes paciscentes sunt civitates independentes (§. 1724.). Enimvero si posueris in civitate unum vel plures, in quos τὸ κῦρος translatum est, civitas independens indivisim complectitur summos imperantes & populum, eis subjectum (§. 1760. 1761.); hoc ergo casu in fœdere pars paciscentium altera sunt imperantes summi & populus, ei subjectus, alteram vero partem constituit civitas independens alia. Unde patet, quod eodem fœderis percutiendi casu conventio fiat & pro principe summo, & pro populo, ei subjecto. Sed cum hoc casu soli imperantes summi gaudeant jure celebrandorum pactorum publicorum & fœderum intuitu totius civitatis, cui præsunt, percutiendorum (§. 1719.); *eodem etiam casu in celebrandis pactis publicis & conficiendis fœderibus imperantes summi, iique soli, non minus pro se, quam pro populo, eis subjecto, paciscuntur.*

§. 1764. SCHOLIUM. Tota demonstratio eo redit: Fœdera sunt pactiones inter civitates independentes (§. 1724.), & consequenter si principes summi adsint, inter imperantes summos & populos, eis subjectos (§. 1763.). Sed cum hoc casu principes soli gaudeant jure fœderum (§. 1719.), iidem etiam pro se & simul pro populo suo paciscuntur.

§. 1765. Ex percusso itaque fœdere & imperantes summi & populi, eis subjecti, simul obligantur, & certa jura nanciscuntur (§. 1763. Spec. & 1324. 1328. E.).

§. 1766. Nec minus patet, quod, cum soli principes fruantur jure fœderum (§. 1719.), populus, eis subjectus, nec pro se, nec pro principe ejusmodi pactiones publicas celebrare, neque adeo se, nec principem earum interventu aliis civitatibus obligare possit.

§. 1767. Nec dijudicatu difficile est, administratores regnorum non pro se, sed tantum pro populo pacta publica facere posse (§. 1719. 722.).

§. 1768. Si sumseris existentiam pro vita, *perdurat civi-*

tas, si actualis civium unitas voluntatum & virium ad bonum publicum, sub imperio communi promovendum, contendens, continuatur (§. 25 497.).

§. 1769. *Moritur civitas*, si evanescat in civibus actualis unio voluntatum & virium, ad bonum publicum sub imperio communi promovendum contendens (§. 25. 492.).

§. 1770. Civitas est unio multitudinis sub admisso imperio communi (§ 492.), ejusque causa proxima est pactum de admittendo imperio communi (§. 575.). Civitas itaque est causatum ejusdem pacti. Durante causa, durat causatum. Durante ergo pacto de admittendo imperio communi, durat civitas.

§. 1771. Quicquid est causatum pacti, illud est *ens pactitium*. Hoc applicandum est ad civitatem (§. 1770.).

§. 1772. Intentio mutua paciscentium est causa efficiens pacti (§. 1614. E.). Intentio ergo conspirans multitudinis unitæ & paciscentis de imperio comuni admittendo est causa efficiens pacti de admittendo imperio communi. Causa causæ est causa causati. Enimvero pactum de admittendo imperio communi est causa civitatis, tanquam causati (§. 1770.); *intentio* itaque *mutua multitudinis unitæ & paciscentis de imperio communi admittendo est causa efficiens civitatis.*

§. 1773. Civitas est ens intentionale æque ac pactum (§. 1614. E. 1772. Sp.). Entia intentionalia dicuntur etiam *entia moralia*. Hinc & civitates appellantur corpora moralia (§. 19.). nec non personæ morales, cum illæ in nostra disciplina ceu personæ repræsententur (§. 17. 492.).

§. 1774. Durante causa durat effectus. Perdurante ergo intentione paciscentium mutua, durat pactum (§. 1614. E.). Enimvero durante fine paciscentium intentio eorum durat (§. 509. 510. E.); *perdurante* itaque *fine paciscentium, durat pactum.*

§. 1775. De perduratione vel usus remediorum vel remotionis impedimentorum, vel expectationis, vel suscitationis occasionis idem affirmandum esse, ex §. 511. seqq. E. patebit. Addas Schol. §. 1513. E.

§. 1776.

§. 1776. Durante causa, durat causatum. Perdurante itaque intentione conspiranti multitudinis unitæ & paciscentis de imperio communi admittendo, perdurat civitas, (§. 1772.).

§. 1777. Mors civitatis vitæ ejusdem & perdurationi contradicit (§. 37. E. 1768. 1769.). Quo sensu itaque *civitates* dicantur *immortales*, facile patet (§. 1776.).

§. 1778. Cum per complures annorum decursus perdurare possit intentio conspirans multitudinis unitæ & paciscentis de imperio communi admittendo, licet individua principum & civium subjectorum morti obnoxia sint; *perdurare* etiam *potest civitas, regibus licet & civibus subjectis individuis morientibus, & in eorum locum succedentibus aliis* (§. 1776.).

§. 1779. Perdurare potest civium pactum de imperio communi ulterius admittendo, licet pactum subjectionis (§. 640.) exspiret, vel pactum de præsenti forma & modo imperii summi exercendi dissolvatur (§. 639.).

§. 1780. Perdurare potest civitas, licet pactum subjectionis e. g. morte principis, vel extinctione familiæ regnantis, vel depositione imperantis &c. exspiret, vel pactum de præsenti forma reip. dissolvatur (§. 1770. 1779.).

§. 1781. Perdurat pactum de imperio communi ulterius admittendo, licet vel durante adhuc pacto subjectionis in regno successivo novus princeps reip. gubernacula capessat, vel novum subjectionis pactum cum novo Rege sanciatur.

§. 1782. Perdurat civitas, licet vel durante adhuc pacto subjectionis in regno successivo novus princeps reip. gubernacula capessat, vel novum subjectionis pactum cum novo Rege sanciatur (§. 1770. 1781.).

§. 1783. Durante pacto non transitorio inter duas civitates independentes, durat fœdus (§. 503. 1724. 1729.).

§. 1784. Duratio fœderis requirit 1) durationem pacti non transitorii inter duas civitates, 2) durantem earum independentiam ab imperio humano (§. 1783.), & 3) duratio-

nem

nem civitatum ipsarum, sine qua earum independentia consistere nequit.

§. 1785. Civitatis independentis character perpetuus est summitas imperii (§. 1722.). Durante ergo vel evanescente summitate imperii alicujus civitatis, durat vel evanescit independentia illius, vi consequentiæ immediatæ.

§. 1786. In regnis electivis perdurare potest respublica, rege licet demortuo, & durante interregno (§. 1776. 1778. 1780. 1758.), nec minus in iisdem regnis eodem casu perdurare potest summitas imperii, cum post obitum regis τὸ κύριον recidat in populum, utut acephalum; idem etiam obtinet rege novo electo (§. 1782.); hisce igitur casibus regnum electivum perdurat esse independens (§. 1785.).

§. 1787. Idem etiam adstruendum est casu extinctionis familiæ regnantis vel depositionis imperantis legitimæ (§. 1780. 1785.).

§. 1788. Si in rebus publicis successivis successores conscendant solium; si reip. forma commutetur cum alia; perdurat non solum civitas (§. 1778. 1780. 1782.), sed & simul illius summitas imperii, ejusque adeo independentia perdurare potest (§. 1785.).

§. 1789. Idem affirmandum esse præcipue de casu, quo imperium absolutum cum limitato commutatur, patet ex Specimine præcedenti.

§. 1790. Casibus, qui §§. 1786. 1787. 1788. 1789. propositi sunt, perdurare possunt fœdera (§. 1783. 1784.), & consequenter obligationes & jura fœderalia (§. 1751.), quæ sunt irrevocabilia (§. 1331.). Vi præcedentium de *duratione* fœderum & pactorum publicorum *possibili* nullum dubium erit, idque casibus, in medium adductis.

1791. *In regnis successivis* populus in aliquem ita imperium transfert, ut eo defuncto illud in ejus descendentes devolvatur. Ejusmodi successio & modus succedendi a pacto dependet, quod principi primo acquirenti cum populo intercessit (§. 588.).

§. 1792.

§. 1792. In ejusmodi imperiis successivis princeps successor vi pacti transit in locum Regis antecessoris (§. 1791.), & consequenter in jura ejus & obligationes, quorsum etiam obligationes & jura fœderalia referenda sunt. Unde patet, quod in regnis successivis successores obligentur per pacta publica & fœdera prædecessorum.

§. 1793. In regnis successivis Rex pacta publica & fœdera cum aliis rebusp. percutiens non solum pro se & pro suo populo (§. 1755. 1763.), sed & pro suis successoribus paciscitur (§. 1792.).

§. 1794. Perdurat fœdus in ejusmodi rebusp., licet Rex paciscens e vivis excesserit.

§. 1795. In regnis electivis durante interregno durant fœdera aliaque pacta publica (§. 1786.), & consequenter obligationes & jura fœderalia. Contra quæ fœdera cum populus pacisci non possit cum alio (§. 1330. 768. E.), is non aliter vi pacti τὸ κύριον in novum regem transferre potest, nisi salvis fœderibus & pactis publicis, & consequenter illæsis obligationibus, ex illis subnasci solitis. Perdurare itaque debent fœdera in imperiis electivis Rege novo electo. Enimvero fœdera non dantur nisi inter civitates independentes (§. 1724.), quarum partes eminentissimæ & inseparabiles sunt principes (§. 1760. 1761. 1762.); Reges itaque noviter electi ex fœderibus & pactis publicis, a prædecessore legitime cum alia gente percussis, perfecte obligantur.

§. 1796. In regnis electivis princeps, pacta publica cum aliis celebrans , etiam pro suis successoribus paciscitur (§. 1795.), nisi ejus potestas paciscendi ita sit restricta LL. fundamentalibus, ut ejus pacta successorem obligare nequeant (§. 1719.).

§. 1797. Unde & patet, quibus casibus post decessum principis necessaria sit renovatio fœderis, & quandonam ea utilitatis tantum causa fiat.

§. 1798. Si civitas fœderata vel moriatur seu plane dissolvatur, vel amittat independentiam, vel si pactum ipsum,

ab

ab illa cum alia civitate celebratum, juxta doctrinam de jure conventionali consistere amplius nec possit nec debeat; solvuntur & exspirant fœdera, aliaque pacta publica (§. 1784.).

§. 1799. Cessante vel exspirante causa, cessat vel exspirat effectus. Cessante ergo vel exspirante intentione paciscentium reciproca, cessat vel exspirat pactum (§. 1614. E.). Enimvero cessante vel exspirante fine, cessat vel exspirat intentio (§. 509. 516. E.); cessante ergo vel exspirante fine paciscentium, cessat vel exspirat pactum.

§. 1800. Idem est affirmandum de casu obtenti finis.

§. 1801. Cessante vel exspirante fine fœderum, cessant vel exspirant fœdera (§. 1799. 503.), eorumque obligationes & jura. Applices hoc ad obtentionem finium fœderalium & ad non-existentiam casuum fœderis.

§. 1802. Societates bellicæ pace facta exspirant (§. 1711. & 1801.).

§. 1803. Reviviscente causa, reviviscit causatum. Ergo renovata intentione paciscentium, renovatur pactum (§. 1614. E.). Renovato fine eorundem, renovatur illorum intentio (§. 509. 510. E.); renovato itaque fine paciscentium, renovatur pactum. Id quod est applicandum ad renovationem fœderum (§. 503.).

§. 1804. Si quæstiones obveniant de renovatione fœderum tacita, notandum, quod ad illam facta gentium requirantur, a quibus *secure* ad earum intentionem seu voluntatem concludi possit (§. 1347. E.).

§. 1805. Restat discussio casuum, ubi subjectis videtur esse concessum inire fœdera ratione commerciorum pro securitate religionis & libertate conscientiarum, nec minus tempore interregnorum funestorum & contra tyrannum. Sed ne nimis increscat libellus, ad jura Gentium læsarum vel injurias metuentium tandem devolvor.

§. 1806. Quæ de jure connato læsi vel læsionem metuentis in statu naturali §. 1079. seqq. Exerc. dicta sunt, ea Gentibus

tibus attemperanda veniunt, si nonnulla excipias, quæ non nisi in homines singulares cadere possint (§. 1581.).

§. 1807. Populo læso, in statu naturali viventi, competit jus adigendi populum lædentem, ut reparet damnum (§. 1079. E.). Hoc jus sibi competit in infinitum, h. e donec ipsi ratione damni illati satisfactum fuerit (§. cit.). Quem in finem eidem tribuendum est jus utendi remediis, quæ fini proportionata seu æqualia sunt (§. 1084. 1116. E.), nec minus removendi impedimenta, sibi objecta (§. 1085. E.), & expectandi, suscitandive occasionem, qua quidem reparationem damni consequi possit (§. 1087. E.).

§. 1808. Populo, in statu naturali viventi, & læsionem metuenti tribuendum est jus redigendi se in statum plenariæ securitatis (§. 1081. E.). Ad quem finem obtinendum ei competit jus utendi remediis proportionatis (§. 1083. 1084. E.), removendi impedimenta (§. 1085. E.), arripiendique occasionem, quæ eidem scopo legitimo velificatur. (§. 1087. E.).

Scholion. De populis, in statu naturali viventibus, & consequenter independentibus & liberis (§. 915. 916. E.) loquor.

§. 1809. Populi, in statu naturali viventes, vel læsi vel læsionem certo metuentes, habent jus utendi remediis proportionatis, quibus vel resarcitionem damni consequi, vel se ex periculo imminenti eripere possint (§. 1807. 1808.). Gentes in utroque casu obligantur ad remedia mitiora durioribus anteponenda (§. 1116. 1142. E.). Remedia fini proportionata, ad quæ genti jus competit, nec plus nec minus in se continere debent, quam quod ad eum consequendum requiritur (§. 1113.).

§. 1810. Ex hac obligatione naturali patet, cur tentanda sit concordia & amicabilis controversiæ compositio, cur arbitraria (§. 1625.) sint adhibenda, cur utendum sit minis, antequam gentes ad coactionem actualem recurrant, & cur sæpius represaliæ prius arripiendæ sint, quam exardescat

bellum, funestus ille & calamitosus status. Ex ejusmodi agendi modis gentes vi armorum, ad quæ sibi tandem confugiendum sit, justitiam publice simul demonstrare possunt & solent.

§. 1811. Si viam coactionis consideremus, coactio fieri potest vel viribus propriis vel alienis, iisque vel divinis vel humanis. Vires alienæ humanæ vel a pari vel a superiori dependent. Gentes in statu naturali non agnoscunt superiorem hominem (§. 899. E.), nec judicem, in cujus deciso coactivo acquiescere tenerentur (§. 918. E.). Et cum Deo non placeat res controversas gentium coactione sua immediata decidere, nulla alia ipsis relinquitur coactio, quam quæ usu virium, gentibus & disceptantibus & aliis sibi æqualibus a Deo concessarum, fieri possit, hoc est, status certandi per vim, qui bellum dicitur (§. 806. E.). *Si* itaque *nullum aliud remedium mitius supersit, gentibus, in statu naturali viventibus, competit jus ad bellum arripiendum* (§. 1809. 1810.).

Scholion. In usu coactionis mentionem feci virium aliarum gentium, quibus pars disceptans uti possit contra partem alteram. Jure gentium enim licitum est implorare aliorum auxilium, de eoque pacisci cum illis, qui etiam jure gaudent percutiendi pacta & fœdera cum parte altera litigante juxta doctrinam, §. 1690. seqq. propositam.

§. 1812. In eventu bellorum deprehenduntur complures concausæ, ex quibus ille tanquam effectus producitur. Ars, circumstantiarum convenientium dijudicatio, fortitudo & prudentia ducum, robur & solertia militum, apparatus bellicus, detectio impedimentorum, eorumque removendorum cura indefessa, circumspectio singularis multum certe tribuere possunt victoriæ obtinendæ, cujus tamen rationem sufficientem (§. 43. E.) tantum abest ut ex hisce omnibus perspicias, ut potius innumeræ aliæ, eæque secundæ, causæ ad illum eventum concurrant, quas belligerantes vel sagacissimi prævidere non potuerunt. Ratio itaque sufficiens eventuum bellorum in primis etiam in fortuna (§. 375. E.)

& in

& in occasione militantibus expectanda (§. 526. E.), haud dubie quaerenda est. Sed cum fortuna sit a Deo, cujus sapientia gubernat omnia & maxima & minima, id quod ex theologia & naturali & revelata patet; ratio sufficiens eventuum bellorum in primis etiam in directione optimi & sapientissimi NVMINIS latitare debet. In bello conspicuus est gladius, e vagina ductus, & consequenter eventus belli a gladio simul dependet; ratio igitur sufficiens eventum bellorum a directione divina & a gladio repetenda est. Tandem cum partes belligerantes committere soleant decisionem causae controversae eventui belli, quo quippe nullum aliud remedium sibi videtur superesse (§. 1811.); *gentes, earumve principes summi nullum alium judicem agnoscere dicuntur, nisi Deum & gladium.* Conf. locum Gallicum, quem Schol. II. §. 1546. ex Dictionario Trevoltiensi adduxi.

§. 1813. Sola laesio est causa justifica disceptationum & controversiarum, inter gentes subnascendarum (§. 1067. sqq. E.), nec minus coactionis (§. 261.), & belli (§. 1092. E. 262. Sp.), quod est ultimum & durissimum remedium, ad quod gentes recurrere possint.

§. 1814. Species causarum disceptationis, coactionis & belli justificarum, ante pacta & ex violatione officiorum absolutorum subnascendarum, recensui §. 1201. & in ejus Schol. §. 1202. 1204. E. Huc referas etiam laesiones, quae ex turbatione dominiorum oriuntur. Ex jure pactitio & speciatim foederum, unde officia gentium hypothetica derivantur (§. 889. E. 1691.), novae causae disceptationis, coactionis & belli iustificae cooriuntur.

§. 1815. Simul adnotandum est, quod laesiones leviores iisdem causis iustificis annumerari haud mereantur, si rationis dictamen audiamus. (§. 1182. E.). Quae sit laesio levis, §. 1166. E. dictum est. Nam licet sola laetio sit causa belli iustifica (§. 1092. E.), exinde non consequitur, omnem laesionem ita comparatam esse, ut ob illam ad vim alteri inferendam & ad bellum suscipiendum sit statim recurrendum.

Suffecerit, nos scire causas belli justificas ultra læsiones veri nominis non esse extendendas.

§. 1816. Plurimas ex causis disceptationis, coactionis & & belli minus justificis, ante pacta sæpius oriri solitis, & §. 1205. E. enumeratis, ad gentes applicabis. Et qui doctrinas de jure pactorum & dominiorum intelligit, nec minus ea perspicit, ex quibus genti læsio vel injuria subnasci possit vel minus; novas causas ejusmodi spurias facile animadvertet.

§. 1817. Non omnem, nec adeo solam alterius gentis potentiam increscentem esse læsionem, nec adeo justam belli causam, jamjam superius evictum est. (§. 1665.). Idem est judicandum de studio augendi potentiam propriam.

§. 1818. Quæritur, utrum injuria, quæ genti vel imminet, vel jamjam illata est, alii genti det causam belli justificam ad auxilium innocenti, qua tali, ferendum? Sola læsio est causa disceptationis vel belli justifica intuitu gentis læsæ vel læsionem metuentis. (§. 1092. E.). Quo itaque casu nulla datur injuria, eo non datur causa disceptationis & belli justifica. Injuria, quæ SOLI alicui genti vel imminet vel jamjam illata est, non est læsio, aliis gentibus vel metuenda vel jamjam illata. Hoc itaque casu gentes aliæ nullam nanciscuntur causam disceptationis & belli justificam ad auxilium alteri genti, utut innocenti, ferendum.

SCHOLION I. De auxilio genti innocenti, qua tali, ferendo, seu, ubi solius innocentiæ ratio habetur, sermo est. Hinc de casu non loquimur, quo gens genti ad auxilium, vi pacti, fœderis, guarantiæ ferendum, obligatur (§. 1324. E. & 503. 1561. Spec.), & quo ad solam innocentiam gentis impetitæ non reflectitur.

SCHOLION II. Nec de casu sermo est, ubi populus aggressor nullo jure belli gaudet, qualis est latro, de quo paulo inferius. Hic tantum quæritur, an populus auxiliator ad solam innocentiam gentium, oppressioni injustæ proximarum

miarum, provocare possit, seu an sola innocentia gentis impetitæ aliis det causam belli justificam.

§. 1819. Equidem certum est, gentes in foro interno obligari succurrere gentibus innocentibus & oppressioni proximis (§.721.740.738.E.), cogitantes, se esse homines, & nihil humani a se alienum esse. Sed ejusmodi auxilium, qua humanitatis officium (§.740.E.) & juri gentium humaniori conveniens (§. 1645. 1646.), repugnare non debet Juri Gentium, strictius sumto seu cogenti, quippe cujus custodia est remedium securitatis & pacis earundem publicæ (§. 1631.), contra quam, ceu finem (§. 510.E.), tantum abest, ut charitas oculata (§.698.E.) peccare possit, ut eam potius omni annisu conservare & promovere contendat, quatenus ea sapientiæ (§.789.E.) attemperanda sit, & iustitiæ internæ (§.798 E.), quæ virtus est (§.798 371.E.), contradicere nunquam possit. Enimvero Jure Gentium, stricte sumto, nulla gens, qua iudex, sibi sumere potest facultatem decidendi, penes quam partem belligerantem stet iustitia (§. 1621. 1622.), id quod manifesto fieret, si gens in auxilii latione provocare vellt ad solam innocentiam gentis a se defendendæ; itaque *vi juris humanioris in tuenda aliqua gente nunquam provocare possunt ad hujus innocentiam, tanquam ad causam belli justificam.*

§. 1820. Quod iam dictum est de Jure Gentium humaniori, illud etiam affirmandum est de religione puriori, quæ quippe cultum pacis & tranquillitatis gentium publicæ & consequenter religiosam Juris Gentium, stricte dicti, custodiam summopere inculcat (§.1631.), neque adeo gentes stimulare potest ad usum medii termini, qui a principiis eiusdem iuris alienus est. Quæ §. 285. dicta sunt de iure imaginario parentibus, falsæ religioni addictis, eripiendi liberos, ea & heic loci ponderanda veniunt, ubi quæritur de iure ferendi innocentibus, qua talibus, auxilium, quippe quod requirit, ut populus adiutor pro iudice causæ contro-

versæ haberi debeat, id quod est manifeste contra principia Juris nostri. (§. 1621-1622.).

§. 1821. Sed quid si injuria, quæ infertur alicui principi, etiam alios principes afficiat, quæritur, annon hoc casu hisce suppeditetur causa belli justa ad ferendum principi læso vel injuriam metuenti auxilium? Respondeo, quod hoc casu adsit injuria communis, quæ etiam communis est causa belli justifica. (§. 1092. E.) In priori casu, quem proposui §. præcedenti, supponitur læsio, quæ alios, de quorum jure juvandi læsum quæritur, simul non tangit, & quæ adeo illis, qui læsi non sunt, nullam tribuere potest causam belli legitimam; sed hoc casu datur communis aggressio, & dantur duo vel plures simul læsi, quorum quilibet ob communionem causæ belli (§. 1092. E.) in bello, contra hostem communem suscipiendo, non ad auxilium INNOCENTI ferendum, (qui medius terminus Juri Gentium repugnat (§. 1819.), sed ad injuriam, quæ SOLA est causa belli justifica (§. 1092. E.) sibi simul illatam, jure provocat.

§. 1822. Cum sola communio læsionis producat communionem causæ belli justificæ (§. 1092. E.); consequens est, ut nulla causa belli communis detur, ubi deficit communis læsio.

§. 1823. Licet itaque gens genti armis succurrere non possit desumendo medium terminum a sola hujus innocentia, alia tamen datur via ei subveniendi, quæ & Juri Gentium & dictamini conscientiæ convenit. Jure naturali licitum est genti pacisci cum alia de auxilio, ei ferendo, & percutere fœdera, ad quæ casu obvenienti illa provocat suspendendo judicium, de gentis defendendæ innocentia ferendum, & gladio potius decisori relinquendum. Gens impetita in conspectu gentium innocentiam suam & injustitiam aggressionis demonstrare potest.

§. 1824. Jus belli, pro attributo belligerantis sumtum, est effectus Juris Gentium, stricte sumti, (§. 1575. Sp. & 774. E.).

Et

Et cum effectus causæ repugnare non possit, jus belli, pro attributo belligerantis sumtum, Juri Gentium, stricte sumto, nunquam contradicere potest. Ergo quicquid repugnat Juri Gentium, stricte accepto, illud nec potest jus belli appellari, nec ex jure beli susceptum dici meretur.

§. 1825. Jus belli, intuitu civitatis gerendi, ad jura majestatica pertinere, ex §. 1329. patebit. Qui itaque in civitatibus non exercent jura majestatica, iis etiam jus belli tribui non potest, intuitu civitatis integræ gerendi.

§. 1826. Vnde patet, quod populus subjectus, qua talis, jus belli & pacis sibi vindicare non possit. (§. 1825.).

§. 1827. Quæ de jure belli demonstrantur, ea etiam de jure pacis reconciliandæ, firmandæve valere debent.

§. 1828. Jus belli, intuitu civitatis gerendi, est jus majestaticum. (§. 1825.). Sumas civitatem independentem, cujus partem eminentissimam constituunt illi, in quibus exercitium jurium majestaticorum deprehenditur (§. 1762.). iidem etiam soli in civitate jure belli gaudent, idque intuitu ejusdem civitatis.

§. 1829. Notes, quod iis, in quibus exercitium jurium majestaticorum conspicuum est, jus belli vel absolute vel limitate competere possit, quod ex forma reipublicæ dijudicandum est.

§. 1830. Quinam in rebuspublicis democraticis, aristocraticis, monarchicis, vel absolute vel limitate talibus, jure belli gaudeant, facile ex §. 1825. & ex Specimine præcedenti elucebit.

§. 1831. In systemate civitatum quælibet civitas fœderata vivit in statu naturali (§. 542.), & consequenter iure belli gaudet (§. 1811.), quod vel sigillatim, non disconvenienter tamen fœderi (§. 1311. E. 503. Sp.), vel coniunctim, qua fœderati, exercent. Cum quælibet societas fœderata eiusmodi systematis in statu naturali vivat (§. 542.), etiam integrum corpus fœderale non nisi in statu naturali vivere

poteſt. Vnde & patet, quod integro ſyſtemati jus belli tribuendum ſit. (§. 1811.).

§ 1832. Cives ſubjecti, quippe qui juribus majeſtaticis non gaudent, jure belli, intuitu totius civitatis, non gaudent. (§. 1825.).

§. 1833. Jus belli eſt jus arripiendi ſtatum, quo alter alterum cogere connititur. (§. 809. 579. E.). Sed cum præter imperantes ſummos nemo in republica jure cogendi alios polleat independenter ab imperio civili ſupremo (§. 800.); *nemini, in republica viventi, contra alios, qui in eadem ſunt, jus belli tribuendum eſt.* Aſſertum etiam patet ex §. 889.

§. 1834. Tribuas civi ſubjecto jus belli contra alios cives, illud ei competeret ob læſionem, quam ſibi ab altero illatam vel inferendam exiſtimet. (§. 1092. E.). Hac ratione civi ſubjecto tribueretur jus proprio auſu cogendi civem, vel ad læſionem ſibi imminentem a ſe avertendam, vel ad injuriam, ſibi jamjam illatam, reparandam. (§. 809. 579. E.) Hoc pacto civis ſubjectus non obligaretur ſubmittere caſus, ubi ſe ab altero læſum exiſtimat, judicio imperantium ſupremo, in eoque acquieſcere. Hoc modo cives ſubjecti non tenerentur ſubmittere controverſias ſuas judicio imperantium ſummo, in eoque acquieſcendi. Quod cum contradicat §. 1063. *civis adverſus civem jure belli frui non poteſt.*

§. 1835. Ponas civem ſubjectum habere jus belli contra ſummos imperantes legitimos, is haberet jus vi certandi cum iisdem (§. 806.) & conſequenter adhibendi vires contrarias, ſeu renitentes præſcriptis eorundem, adeoque non obligaretur perfecte ad niſum ſeu conatum efficacem attemperandi actiones ſuas eorundem præſcriptis. Qui cum dicatur obſequium civile (§. 725.), civis ſubjectus non obligaretur perfecte ad obſequium civile. Quod eſt abſurdum, (§. cit.). Ergo *cives ſubjecti contra imperantes jure belli non gaudent.*

§. 1836. Rebellis iure belli non gaudet contra civitatem ſuam,

suam, eiusve imperantem. (§. 1815. 647.). Id quod etiam de toto populo rebelli intelligendum, non solum intuitu imperantis sui legitimi, sed & respectu aliarum gentium.

§. 1837. Populus cum tyranno exercitio in statu civili vivere desinit (§. 709.), & consequenter cum eodem recidit in statum naturalem. (§. 889. E.). Enimvero populi, in statu naturali viventes, pollent iure belli (§. 1811.); populus itaque hoc casu nactus est ius belli contra tyrannum exercitio non solum, sed etiam respectu aliorum populorum.

§. 1838. Vidimus in §§. praecedentibus causam, cur civi subiecto ius belli contra alios, in civitate viventes, denegetur. Cessante causa cessat causatum. Ergo casibus, ubi cessant iudicia, civi subiecto ius belli denegari non potest. Hinc defensio violentia, quae est species belli (§. 1111. E.), casu, ubi periculum in mora est, damnumque irreparabile, privato denegari non potest. Eiusmodi *bellum privatum* dicitur.

§. 1839. Si principes, qui commune aliquod imperium agnoscunt, inter se spectentur, e. g. qua con-status, illi in statu ordinario iure belli contra se invicem uti non possunt, cum id fiat in praeiudicium imperii communis summi, cui illi subsunt ratione decisionis controversiarum, inter illos subortarum.

§. 1840. Si plures civitates coaluerint in civitatem magnam & imperium commune agnoscant, civitates singulae, earumve principes possunt quidem vi pacti gaudere iure belli intuitu suimetipsorum contra civitates exteras, citra tamen praeiudicium regni integri, cuius illae illive partes sunt; sed ius belli hoc casu civitatibus partialibus non competit respectu totius imperii, e. gr. Germanici. Quae §. 1725. de iure foederum dicta sunt, ea etiam de iure belli, aliisve iuribus maiestaticis affirmandum est.

§. 1841. Si posueris homines & populos piraticos, qui consuescunt leges naturales, strictissime sumtas, conculcare pedibus, hoc est, qui vivere connituntur in statu licentiae (§. 920. E.); illis non status naturalis (§. 921. E.), sed belluinus tribui debet. (§. 889. E.).

§. 1842. Iidem populi infamia & contemtu externo dignæ judicantur (§. 1034. 1038. 1039. E.), & consequenter æqualia jura connata (§. 1021. Exerc.) atque adeo jura belli perdunt.

§. 1843. Ponamus tantisper ejusmodi populos, non nisi latrociniis vacantes, vivere in statu naturali. Eorum principium Juris Nat. & Gent. inversi est: *valentior devorat imbecilliores*. Vnde se non obligatos esse existimant ad non lædendos alios, ad reparanda damna, & quæ sunt hisce similia. Sed homines, in eodem statu viventes, æquales obligationes & æquales non-obligationes habent(§. 904. 905. E.). Hinc & per hypothesin alii populi etiam non obligati sunt ad non lædendos illos populos latrones. Negata obligatione in uno, negatur ius in altero. (§. 1613.). Hinc latronibus nullum competit jus adigendi alias gentes ad abstinentiam a læsionibus, illasve cogendi ad resarcitionem damnorum. Vnde ex principio populorum, latrocinia exercentium, fluit, illis jura belli tribui non posse (§. 1090. E.).

§. 1844. E diverso ponas aliam gentem, quæ se juxta JusNaturæ, Spinoziano oppositum, putat esse obligatam ad non lædendas alias, tunc & hæ ob æqualitatem obligationum (§ 904. E.) erunt obligatæ ad fugiendas læsiones. Posita obligatione in uno ponitur jus in altero. (§. 780. E.). Hinc juxta Jus Gentium, Spinoziano oppositum, altera gens nanciscitur jura adigendi alias ad abstinentiam a læsionibus & ad damna reparanda. Vnde eadem gens nanciscitur jura belli. (§. 1090. E).

§. 1845. Principium gentium piraticarum principiis aliarum gentium contradictorie opponitur (§. 1843. 1844.) & consequenter hypothesis tertii generis non datur. Posita hypothesi latronum, negantur jura belli (§. 1843.), positis vero principiis aliarum gentium, ponuntur jura belli (§. 1844.); hinc jura belli non concipiuntur nisi ex Jure Gentium, quod defendimus. Vnde manifestum est, populos, qui aperte ostendunt annisum conculcandi leges gentium, si bi jura belli nulla vindicare posse.

§. 1846.

SCHOLION. Ideam latronis PHAEDRUS in fab. 1. sub imagine lupi voracis ingeniose depinxit, ad quam §. 1094. Exerc. in definiendo latrone respexi. Rationes, quas lupus ibidem protulisse fingitur, ne ullam quidem speciem veri prae se ferunt & in se absurdissimae sunt (§. 37. Ex.), & ex consequenti pruritum alios conculcandi pedibus ne tecte quidem sed aperte commonstrant. Inter homines pauca dari ejusmodi naturae monstra, ab omni humanitatis sensu vacua, & in quibus nihil nisi figuram hominis conspicias, si comparate loquamur, ex Schol. §. 1005. Ex. patebit.

§ 1846. Sed cave, ne gentem aliquam, quae inculta forte & indecora & barbara videtur, habeas pro infami & contemtu externo digna, adeoque aequalitate jurium naturalium indigna. Ex doctrina de infamia & contemtu externo sat patebit, quaenam gentes infamiam non mereantur. *Gens* censetur *morata* in foro externo, quae Juris Gentium stricte dicti, custodiens est.

§. 1847. Quatenus populus, bellum gerens, jure belli vel gaudet, vel secus, eatenus ejus bellum *justum* vel *injustum* dicitur. Haec justitia belli, a bellum gerente desumta, probe distinguenda est ab ea, quae ab justitia causae belli repetitur (§. 1092. E). Idem de injustitia belli tenendum.

SCHOLION. In definitione belli (§. 806. & Schol. II.) cum GROTIO abstraximus a justitia ejusdem, quippe quae intuitu causae in Jure laesi in laedentem peculiari ratione indaganda fuit (§. 1092. E.). Sed praeter hanc justitiam disquirendum est, quinam habeat jus bellum proprio ausu arripiendi, & quinam minus. Contingere potest, ut, licet quis laesus fuerit ab altero, & ob id nactus fuerit causam belli justificam (§. 1092. E.), tamen ei non statim integrum sit confugere ad certationem per vim, si is vivat in statu civili, ubi ipsi auxilium violentum ab imperante tamdiu expectandum est, quamdiu illud haberi possit (§. 1063. 1064.). Hoc itaque casu bellum quidem justum esset intuitu causae, sed injustissimum ob defectum juris belli, quo suscepto infrin-

gerentur jura imperantis. Qui se imperio civili subjecerunt, Illi renunciarunt juri belli,quod in statu naturali habuissent. Sic Jus Civ. Rom. omnem omnino vim excludit, eamque injustam pronunciat, licet illa ex justissima & a Jure naturæ approbata causa oriatur. Unde hoc jure si quis rem propriam invito possessore privata autoritate occupavit,dominium rei admittit. L. 13. ff. quod metus. L. 7. C. unde vi.

§. 1848. Hoc discrimen si sequamur, aliquod bellum potest esse justum, si belligerantes respexeris, & injustum, si eorum causam belli consideraveris. Sic bellum duorum principum,qui jus belli habent,est justum respectu belligerantis utriusque, sed injustum ratione unius, cujus causa belli est minus justifica.

§. 1849 Omnium gentium,in statu naturali viventium, bellum justum est intuitu earundem (§. 1811. 1847.).

§. 1850. Eorum,qui jura majestatica exercent, bellum justum est intuitu illud gerentium (§.1828. 1847.).

SCHOLION. Quo respectu bella principum imperii Germanici sint justa, intuitu eorum, ex §. 1840. patet.

§. 1851. Qui in civitate jura majestatica non exercent, eorum bellum, intuitu totius civitatis susceptum, injustum est intuitu ipsorum (§. 1825. 1847.).

§. 1852. In systemate civitatum cujuslibet civitatis fœderatæ bellum justum est,intuitu ejusdem (§. 1831.1847.). Id quod etiam de systemate integro admittendum.

§. 1853. Populi subjecti, qua talis, bellum injustum est intuitu ejusdem (§. 1826. 1847.). Id quod etiam de pace intelligendum (§. 1827.). Idem est affirmandum de civium subjectorum quorumcunque bello intuitu totius civitatis (§. 1832.).

§. 1854. Idem est adstruendum de bello eorum, qui in civitate vivunt,contra alios, qui in eadem degunt. (§.1814. & 1817.). Idem de civium subjectorum bello, contra cives suscepto, speciatim demonstratum (§. 1834.).

§. 1855.

§. 1855. Civium subjectorum bellum, contra imperantem susceptum, est injustum respectu eorum. (§. 1835. 1847.). Id quod præcipue tenendum de rebelli. (§. 1836.).

§. 1856. Populi bellum contra tyrannos exercitio est justum & intuitu populi belligerantis (§. 1837. 1847.), & respectu causæ. (§. 704.). De tyrannis titulo & invasoribus regni (§. 648.) decisio facilis est.

§. 1857. Civitates piraticæ jura belli non habent. (§. 1841. seq.). Earum itaque bella sunt injusta intuitu earundem, & non nisi latrocinia vocari merentur. (§. 1847.).

§. 1858. Belligerantes, qui jure belli gaudent, dicuntur HOSTES. Actus violenti ab ejusmodi belligerantibus suscepti, appellantur ACTUS HOSTILES.

§. 1859. Quorum bellum justum est intuitu eorundem, illi hostes nuncupantur. (1858. 1847.).

§. 1860. *Bellum publicum* dicitur, quod ab integris gentibus liberis, earumve imperantibus summis, hoc est, autoritate publica geritur. Ei opponitur *bellum privatum*, de quo §. 1838. egimus, & quod potius *defensio privata* appellari suevit.

§. 1861. Cum gentes liberæ (§. 1811.), earumve imperantes summi (§. 1828.), jure belli gaudeant, illi dicuntur hostes, quorum bellum publicum est. (§. 1860. 1858.).

§ 1862. Latrones cur hostes dici haud mereantur, patet ex §. 1858. 1845.

§. 1863. A latronibus & a piratis, qui subsunt civitati piraticæ, distinguas hostilium navium prædatores, seu eos, qui ex venia ab eo, qui jure belli gaudet, sibi data, piraticam faciunt, quique vulgo *Capers* & Gallis *Armateurs* dicuntur, quorum piraticam, a latrocinio discriminandam, esse licitam & justam, ex inferius dicendis patebit, quique hostes sunt, cum ab hoste mittantur.

§. 1864. Enumeravi §. 1205. plures causas belli minus justificas, nec minus alias ex doctrina de pactis & de dominiis perspicies. Specimina prævia alias haud paucas commonstra-

monstrabunt, nec deerunt aliæ, si gentium *manifesta belli*, quæ dicunt, inspexeris, & causas moventes, quæ in illis continentur, ad principia læsionum & injuriarum veri nominis revocaveris.

§. 1865. Videas gentes, quæ in susceptis bellis provocarunt ad commoditatem & utilitatem terrarum, eandemque solam, quam suasoriam quidem (per Schol. §. 1092. E.), minus tamen justificam belli causam esse facile patet. Conf. quæ de jure commoditatis §. 1650. diximus.

§. 1866. Nec desunt, qui putant in suscipiendo bello aliquem provocare posse ad illud: Quod tibi non nocet, & mihi prodest, ad id poteris compelli. Sed heic loci deficit læsio, quæ sola est causa belli justifica (§. 261. Sp. & 1092. E.), & ob quam aliquis jus coactionis & belli sibi vindicare potest. Licet itaque hoc casu populus populum JVRE compellere non possit ad aliquid, illud tamen fieri potest EX FAVORE NECESSITATIS, quem non esse jus, ex Scholio §. 1218. E. patebit. Propositio itaque præcedens hac ratione limitari debet: Quod tibi non nocet, & mihi prodest, ad id in statu naturali poteris, non jure, sed ex favore necessitatis, compelli. Conf. §. 1236. E.

§. 1867. *Ratio belli*, *raison de guerre* Gallis dicta, dicitur ratio, cur in gerendo bello a Jure Gentium, stricte sumto, exceptio fiat. Eam esse speciem rationis status, ex §. 1240. E. patet. Nec minus ex §. 1824. clarum est, rationem belli pro jure belli haberi non posse.

§. 1868. Cum ex ratione belli non nisi ob favorem necessitatis agere valeant belligerantes (§. 1243. E.), ratio belli a causa justifica & ab inde descendente jure belli curate discriminanda est. Qui enim ex causa belli justifica agit, is a Jure Gentium, stricte sumto, cui convenienter agit, exceptionem non facit, nec consequenter ad rationem belli provocat (§. 1867.).

§. 1869. Officia innoxiæ utilitatis non sunt officia perfecta (§. 1646. seqq.), neque adeo denegatio eorundem pro viola-

violatione officiorum perfectorum, nec ex consequenti pro læsione perfecta (§. 764. E.), neque ita pro causa belli justifica haberi potest (§. 1092. E.).

§. 1870. Ad auxilium mutuum, ratione finis communis obtinendi sibi præstandum, socii contendunt (§. 13.). Sed denegatio auxilii, alteri ab altero exhibendum, non est læsio perfecta (§. 766. E.); si quis itaque nolit societatem cum altero inire, alter pro læso se existimare non potest. Id quod applicandum ad matrimonium, quod societas est (§. 146.), cum altero celebrandum. Cum itaque denegatio matrimonii, in se spectata, e numero læsionum non sit, ea pro causa belli justifica haberi nequit (§. 1092. E.). Loquor de denegatione conjugii simplici & in se spectata, minus vero de ea, quæ cum contemtu externo copulata est. Qui si junctus fuerit denegationi, huic accedit injuria (§. 1026. E.). ob quam aliter pronunciandum. Sed hoc casu alter non ob denegationem conjugii, sed ob injuriam accedentem nanciscitur causam belli justificam.

§. 1871. Unde facile est ad existimandum, quid sentiendum sit de Romanorum raptu Sabinarum.

§. 1872. Ex doctrina de dominiis patebit, nec cupiditatem melioris sedis, nec inventionem rerum, ab aliis jamjam occupatarum, justis belli causis accenseri posse. Jus non esse agros a possessoribus petere, aut minari arma, monuit LIVIUS Lib. 5. c. 36.

§. 1873. Læsionem obscuram & illiquidam, nomen læsionis non mereri, neque adeo ad bellum alteri inferendum sufficientem esse, per se patet. Id quod etiam de læsionibus levioris momenti intelligendum, si rationis dictamen audiamus. Conf. tamen §. 1166. E. Sed & eum, qui in læsione vel minoris momenti reparanda difficilem se præstiterit, magis peccasse existimem. Quo levior est offensa, eo facilior est satisfactio.

§. 1874. Si prolabantur populi ad bellum, ei, qui prior alteri vim hostilem inferre conatur, *bellum offensivum* seu *aggressi-*

aggressivum (§. 1126. E.), alteri vero *defensivum* tribuitur, qui bellum inferenti connititur vi resistere. Alter ex belligerantibus *aggressor, der angreiffende oder attaquirende Theil*, alter vero *aggressus, der angegriffene oder attaquirte Theil* vocatur. Vocabula *offensio, aggressio*, Gallis *attaque* dicta, &c. heic loci laxius sumuntur pro prima illatione vis seu violentiæ, generatim acceptæ, quæ justa vel injusta esse potest. (§. 1092. E.).

§. 1875. Hoc sensu acceptis vocabulis, bellum offensivum potest esse justum vel injustum, prout pars aggrediens vel causam belli justificam vel minus talem habet. (§. 1092. & 1093. E.). Id quod etiam est affirmandum de bello defensivo. Nam si illud fuerit injustum, hoc justum, & si illud justum, hoc injustum erit. Populi disceptantes versantur in contradictorio, quod exigit, ut alterius utrius tantum causa sit justa, licet contingere possit, ut justitia causæ dubiis haud levioribus involuta deprehendatur.

§. 1876. Sic si populus læsus suppositis supponendis aggrediatur populum nocentem ad reparationem damni obtinendam, nec non si populus, læsionem moraliter certam, metuens, jure præventionis (§. 1115. E.), alterum vi impetat ad avertendam læsionem; utriusque bellum offensivum est (§. 1874.), & simul justum (§. 1092. E.), & alterius populi, qui vel nocuit, vel nocere connititur, bellum defensivum est (§. 1874.), sed & simul injustum. (§. 1093. E.).

§. 1877. Omni cura notemus, quod termini *offensivum* & *defensivum* duplicem significatum nanciscantur, laxiorem quippe, vel strictiorem. Si *offensio, aggressio* arctius sumantur pro læsione & injuria, & ex consequenti tribuantur parti lædenti vel nocituræ, bellum offensivum, quatenus illud hac ratione a lædentibus stricte dictis, vel a læsuris alios geritur, nunquam dici potest justum. (§. 1125. Ex). Idem est sentiendum, si *aggressores* pro lædentibus vel proposito alios lædendi flagrantibus (*für die beleidigende Theile*) accipiantur. Sed & hac ratione bellum, a parte læsa vel læsionem metuente susceptum, appellari non meretur offensivum &

eodem

eodem respectu læsus vel injuriam metuens (*der beleidigte oder zu beleidigendeTheil*) nunquam potest dici aggressor, pro lædente vel pro læsuro alios sumtus, licet is primus sit, qui ad actus hostiles, alteri inferendos, legitime confugiat. (§. 1126. E.). Hoc pacto eidem soli, si certare cum altero connitatur, bellum defensivum & nomen defensoris tribuitur, nisi is defensionis terminos transgrediatur, quo quippe casu ille in aggressorem degenerat. (§. 1147. E.). Et cum omne bellum vel a lædente vel a parte læsa seu læsionem metuente geratur, supposito hoc terminorum significatu omne bellum vel offensivum vel defensivum est. Illud semper injustum est (§. 1093. E.), hoc vero semper justum. (§. 1091. E.). Hac ergo conditione omne bellum justum defensivum sit necesse est.

§. 1878. Sed si divisio belli in offensivum & defensivum desumatur a belligerantibus, qua certantibus per vim, idque citra respectum ad justitiam causæ, res aliter se habet. Bellum est status hominum per vim certantium, qua talium. (§. 806. E.). In hac definitione cum GROTIO abstrahimus a justitia belli, quippe quæ peculiariter evincenda fuit, id quod factum est & §. 1092. Ex. & §. 262. Spec. In hominibus, per vim certantibus, qua talibus, deprehendimus duas vires sibi invicem contrarias seu nisu contrario in se invicem agentes. Quo casu is, qui primum impetum in alterum facit, *aggressor*, alter vero, qui impetum reprimere connititur, *aggressus* dicitur. Illi bellum *offensivum* seu *aggressivum*, huic vero *defensivum* tribuitur. Eo casu, quo is non conspicitur, qui primum impetum in alterum fecerit, judicatu difficile est, quis fuerit aggressor, quis aggressus seu impetitus, cum utrinque exercitus interdum pari velut passu ita incedant, ut non constet, unde bellum cœperit, & cui certantium parti bellum offensivum sit tribuendum.

§. 1879. Ab hac divisione belli (§. 1874. 1878.) dependet discrimen *fœderis offensivi* a *defensivo*. Nec minus patet, quænam sint *fœdera offensiva & defensiva simul*. *Autor meditationum*

tionum ad instrumentum pacis Osnabrugense indolem fœderis, defensivi explicat ad Art. VIII. §. 2. p. 889. „Hujus fœderis, „inquit, ea est natura, primo, ut socio meo, si ipse bellum „incipit auxiliari ex hoc non tenear: id ipsum enim saltim „est belli defensivi; deinde, quod ego ob missa ex fœdere „auxilia nec amicitiam, quam cum altero forte etiam ha- „beo, læsisse, nec belli particeps esse factus videar, nisi ex „hoc socii mei hostis occasionem belli etiam contra me „arripiat, quo ipso fœdus auxiliatorium in illud offensivum „facile potest desinere: & tertio, quod præstitis auxiliis, quæ „ex fœdere debeo, a me nihil amplius postulari possit; „nam obligationi meæ satisfeci. Vnde sæpe fit, ut qui uni „bellantium parti, quacum sibi ejus generis est fœdus, se- „cundum illud auxilia mittit, cum altera nihilominus in- „tegram colat amicitiam, & aliquando; cum res ad pacem „spectat, officio conciliatoris, seu mediatoris, ut nunc ajunt, „fungi possit, utriusque gratia. Sic hodie Danorum Rex „egregium militum numerum fœderis lege Belgis commo- „dat, & contra Gallos pugnaturos mittit, quibuscum de „cætero ipsi integra omnia & amica sunt. Nam & Mini- „strum publicum in Regis aula habet, uti vicissim Gallus „apud Danum. Verum etiam amborum subditis omni se- „curitate & libertate commercia invicem exerceantur, & „reliqua omnia officia inter Reges inviolata manent.

§. 1880. In materia de bello considerandum est, quid ante illius initia observandum, & ad quid eo exardescente & durante sit respiciendum. Vtroque tempore perpendendum, quousque pateat jussum, quid inculcet humanitas & decorum, quid suadeat prudentia. Conf. §. 1161. sqq. Ex. In primis legi meretur TREVERI *Dissertatio de decoro Gentium circa belli initia.*

§. 1881. Cum medio in bello de pace, tanquam illius fine, & media in pace de bello, tanquam de remedio extremo illius conservandæ vel reconciliandæ cogitandum sit (§. 1129. E.); quærenda est pax, quamdiu illa haberi possit, studium-

ſtudiumque illius tam ante articulum belli, quam eodem ingraveſcente & perdurante ex gentium, per vim certantium, actionibus elucere debet.

§. 1882. Ex §. 1810. perſpicimus, gentem vel in læſione a ſe avertenda, vel in poſtulanda ſatisfactione ratione læſionis, jamjam illatæ, perfecte obligatam eſſe ad remedia mitiora, eademque proportionata, durioribus præferenda.

§. 1883. Hanc ob cauſam remedia coactiva, quæ a bello ipſo diverſa ſunt, veniunt tentanda, antequam gladius e vagina ducatur; quorſum referuntur repreſſaliæ, de quarum indole inferius commodior dicendi locus erit.

§. 1884. *Indictio* ſeu *denunciatio belli* eſt alteri facta declaratio voluntatis noſtræ de bello ei inferendo. Eandem itaque eſſe declaratum propoſitum certandi cum altero per vim, per ſe patet. (§. 806. E.). Olim fiebat per feciales, hodie per libellos publicos, *manifeſta* dici ſuetos, in quibus præcipue cauſæ moventes exponuntur, ob quas gens bellum arripuit.

§. 1885. Nec obſcurum eſt, quod juſtitia indictionis ab juſtitia belli dependeat. Quæ cum vel a juſtitia cauſæ vel a jure belli, quod ſibi quis juxta principia, ſuperius tradita, vindicare poſſit, repetenda veniat (§. 1847.); quæ *indictio juſta*, vel *injuſta* dici mereatur, manifeſtum eſt.

§. 1886. Sola læſio eſt cauſa belli juſtifica (§. 1092. E.). Si quis itaque læſus ſit ab altero & ſimul jure belli (§. 1847.) gaudeat, ejus indictio citra omne dubium juſta eſt, ſi nulla alia via mitior conſequendi reparationem injuriæ ſuperſit.

§. 1887. Juſtitia denunciationis dependet tanquam cauſatum ab juſtitia belli, qua cauſa, (§. 1885.). Hinc juſtitia belli non poteſt dependere a juſtitia indictionis. Cauſa a cauſato dependens non eſt.

§. 1888. Belligerantium alter eſt aggreſſor, alter invaſus vel invadendus. (§. 1878.). In hoc præſumitur propoſitum reprimendi vim viribus ſuis. Ut hic itaque voluntatem ſuam certandi per vim declaret, & conſequenter aggreſſori

bellum denunciet (§. 1884.), opus non eſt. Hinc & ſupervacanea eſt quæſtio de ejus obligatione perfecta ad bellum aggreſſori denunciandum.

§. 1889. Idem eſſe applicandum ad defenſorem, ſtrictisſime ſumtum (§. 1110. E.), per ſe patet.

§. 1890. Solus ergo aggreſſor (§. 1878.) reſtat, de cujus perfecta obligatione indicendi alteri bellum quæri meretur. Cum ob apertam contradictionem nemo forte reperiatur, qui quæſiverit, utrum quis perfecte obligetur alteri aggreſſionem ſuam injuſtam denunciare; ſoli illi aggreſſores remanent, qui, vel ex vera, vel ex prætenſa ſaltem juſtitia cauſæ, alterum invadere connituntur. Ejusmodi aggreſſio fieri poteſt vel ab eo, qui ad læſionem ſibi imminentem, a ſe avertendam præveniendo alterum invadere contendit, vel ab eo, cui animus eſt ad reparationem læſionis illatæ alterum vi compellere. Priori caſu cum læſionem metuens præſumatur uſurus præventione (§. 506. 507. 1115. E.), & ex conſequenti exiſtimetur habere voluntatem per vim certandi, opus non eſt, ut propoſitum ſuum alteri inferendi bellum declaret. Hoc itaque caſu nulla deprehenditur obligatio perfecta ad bellum alteri indicendum. Hinc poſterior caſus ſupereſt, ubi aggreſſor reparationem damni quærit, vel eo tendit, ut ſibi ratione juris prætenſi ſatisfiat.

§. 1891. Cum aggreſſor ante aggreſſionem bellicam obligatus ſit perfecte ad arripienda remedia proportionata, bello mitiora (§. 1882.); is etiam ad poſtulandam damni reparationem vel ſatisfactionem ratione juris prætenſi eodem modo obligatur. Hinc conſtare debet alteri, quod, quale, & quantum damnum? Quodnam ſit jus prætenſum? & quam ſatisfactionem alter exigat? Hinc omnino gens ante aggreſſionem, quam in omnem eventum meditatur, obligatur perfecte ad illa omnia genti alteri ante oculos ponenda. Sumas itaque gentem hæc obſervaſſe & ſimul ſerio flagitaſſe ſatisfactionem ab altera; ponas porro hanc vel negare læſionem, ejusve quantitatem & ad nullam ſatisfactio-

factionem proclivem esse, vel fateri quidem damnum, sed refacitionem vel denegare vel protrahere; sumas tandem gentem alteram nolle acquiescere & urgere iterata vice, idque serio, satisfactionem. Cum adsit nullus judex terrenus, cujus deciso coactivo rem controversam gentes committere obligentur, dicas, quid gens, flecti nescia, ex alterius seria & iterata satisfactionis non obtentae postulatione concludere possit & debeat, si naturae humanae & experientiae ratio habeatur? nonne gentis, quae se laesam profitetur, voluntatem recurrendi ad remedia violenta? Dicas, quaeso, ad quaenam? nonne ad repressalias, belli fomites, & si hae non suffecerint, ad bellum ipsum? Ex seria itaque satisfactionis postulatione, quam supponimus, haut obscure colligitur *indictio belli*, eventualiter suscipiendi (§. 1884.), quae *tacita* est. (§. 1347. E.). Hac existente denunciationem belli expressam non necessariam, nec adeo perfecti juris esse ob rationes praevias existimo. Idem de indictione, solennibus stipata, quorsum denunciationes Romanorum per feciales referendae, sentiendum est. Conf. GUNDLINGII *J. N. G. cap.* 36. §. 1. 10. TREVERI *Disp. de Decoro Gentium circa initia belli* §. 23. 24. 25.

§. 1892. Nec minus patet, quod omnis indictio, cum detur tacita, non debeat necessario esse expressa.

§. 1893. Licet gentes & principes independentes non nisi Deo & conscientiae reddere teneantur rationes actionum suarum (§. 1611.), quorsum susceptio belli referenda est; cum tamen exardescente aliquo bello reliquae gentes, humani nihil a se alienum putantes, jure sint attentae ad collisionem, inter duos populos subortam, ad eorumque fines; omnino prudentia requirit, ut in libellis publicis, *manifesta* nuncupari suetis, causae exponantur moventes, ob quas arripiatur bellum, & quibus suspicio malignae intentionis aliis populis eripiatur. Praeterea notum est, quantum justitia causae in animis subjectorum & militum valeat.

§. 1894. In dijudicando eo, quod belligerantibus licitum

tum sit durante bello, probe notanda, quæ generatim §. 1672. seqq. de LICITO GENTIUM dicta sunt. Speciatim heic loci considerari merentur hostes ipsi, eorumque fœderati, remedia nocendi, nec minus illi, qui sunt neutrarum partium.

§. 1895. Quatenus id, quod licet, jus dicatur (§. 861. E.), ea, quæ licita sunt hosti in hostem, sunt jura hostis in hostem.

§. 1856. Jura gentium belligerantium sunt effectus seu principiata legum gentium, strictè dictarum. §. 77. E. & §. 1575. Spec.). Leges ergo gentium eædem sunt principium (§. 42. E.) & norma (§. 344. E.) ejus, quod licet hosti in hostem.

§. 1897. Unde facile est ad judicandum, ex jure Gentium expendendum esse, quibus limitibus *Licitum* IN BELLO sit circumscriptum. Quæ dicta sunt generaliter de eo, quod licitum est genti (§. 1672. seqq.), ea etiam ad licitum in bello transferenda veniunt.

§. 1898. Mores gentium sunt actiones earum consuetudinariæ. (§. 982.). Leges gentium sunt normæ quibus gentes actiones suas conform. re obligantur. (§. 1564.). Actiones itaque gentium, & consequenter earum mores sunt normandum. Normandum non potest esse norma normæ; hinc mores gentium non possunt esse norma legum gentium, nec consequenter ejus, quod licet hosti in hostem. (§. 1897.).

§. 1899. Hostis est belligerans, qui jure belli gaudet. (§. 858.). Ergo jura, quæ hosti in hostem competunt, sunt jura belligerantium, qui gaudet jure belli tribuenda in alterum belligerantem, qui eodem jure pollet. Unde patet, quod jura, quæ hosti in hostem competunt, sint jura, quæ tribuenda in se invicem sunt iis belligerantibus, qui gaudent jure belli. Ratio itaque jurium hostis in hostem in jure belli continetur (§. 42. E.). Hinc jura hostis in hostem sunt principiata juris belli, tanquam principii seu causæ. (§. cit.).

§. 1900. Si posueris belligerantem alterum esse populum

lum piraticum, is jure belli non gaudet (§. 1841.), & consequenter jure hostis in hostem frui non potest. §. 1899.).

§. 1901. Sunt quidem gentes, quæ populis, piraticam exercentibus, jura legationum, aliaque, populis moratioribus alias tribui solita, concedunt; sed notum est, id fieri ex rationibus status, quod tamen probe distinguendum est ab iis, ad quæ respublica aliis rebuspubl. tribuenda jure perfecto obligatur.

§. 1902. Id, quod licet in bello, est principiatum juris belli, quod belligeranti competit. (§. 1895. 1899.).

§. 1903. Cuicunque belligeranti competit jus belli, eidem etiam id, quod licet in bello, tribuendum est. (§. 1902.).

§. 1904. Cuicunque non competit jus belli, eidem etiam licitum in bello denegatur. (§. 1902.). Quo casu deficit principium, eodem & deficit principiatum.

§. 1905. Hostes, qua hostes, eo, quod licet in bello, gaudent. (§. 1903. 1858.). Hinc quod uni hosti licet, id licet & alteri.

§. 1906. Quousque se extendit jus belli, eousque etiam patet LICITUM IN BELLO. (§. 1902.). Et quousque jus belli non porrigitur, eousque etiam idem LICITUM non est extendendum.

§. 1907. Bellum est in statu naturali remedium extremum decidendi controversias gentium. (§. 1811.). Ergo jus belli est jus, gentibus in statu naturali viventibus vindicandum, ope armorum decidendi controversias, inter se subortas.

§. 1908. Quousque patet gentium jus decidendi controversias suas ope armorum, eousque etiam se extendit id, quod eis licitum est in bello. (§. 1906. 1907.).

§. 1909. Sola læsio est causa controversiarum justifica. (§. 1067.). Hinc jus belli est jus vi armorum decidendi controversias de solis læsionibus, inter gentes subortis (§. 1907.), iisdemque vel imminentibus, vel jamjam sibi invicem illatis. Jus itaque belli tantum eo contendit, ut gens vi ar-

mata vel se in statum securitatis restituat, vel ad damni, sibi illati, reparationem pertingat. Ad solos eosdem fines consequendos id, quod durante bello licet, extendendum esse, ex §. 1906. liquet.

§. 1910. Vterque hostium provocat ad læsiones, sibi vel imminentes, vel jamjam illatas, nec judex adest in terris, qui jure polleat dirimendi eorum controversias (§. 1622.), de læsionibus subnatas. Vnde nova vice certum est, quod uterque hostium id, quod licet in bello, sibi vindicet. (§. 1909.).

§. 1911. Vt arduam hanc materiam nobis distincte repræsentemus, ratiocinium hostium nobis ob oculos ponamus.

Major. Quæ gens ab altera læsa est vel læsionem metuit, illi exordiente bello id, quod licet in bello, tribuendum est. (§. 1909.).

Minor. Carolus V. asserebat se esse læsum a Francisco I. qui id negabat, adstruendo se esse læsum a Carolo, Imperatore.

Ergo Carolo V. & Francisco I. id, quod licet durante bello, tribuendum erat.

In majore Carolus V. & Franciscus I. conveniebant. In minore versabantur in contradictorio & controversia, ad quam dirimendam nullum judicem externum in hisce terris agnoscebant, & cujus decisionem armis committebant.

Si major admittatur, nec judex externus in his terris adsit, qui minorem utriuslibet belligerantis autoritate sua evertere possit; conclusio etiam admittenda est. Vtrique itaque hosti tribuendum est LICITVM IN BELLO.

SCHOLIVM: Gentes vel de facto, vel de jure disputant. Neutro casu judex externus adest, in cujus deciso eis disceptantibus acquiescendum est.

§. 1912. Res, bello demum decidenda, ante bellum, ejusque exitum, considerari debet indecisa. Ponas unius belligerantis causam ante bellum ita pronunciari posse inju-

stam,

ſtam, ut is in hac deciſione acquieſcere perfecte obligaretur tunc illius cauſa non bello demum decidenda eſſet.

§. 1913. Ponas vero aliquem in ſuſcipiendo bello ad nullam injuriam provocare, eumque potius fateri, a ſe eſſe læſum alterum, hoc caſu is LICITVM IN BELLO jure gentium ſibi vindicare non poſſet. (§. 1909.).

§. 1914. Scimus finem belli, qui eſt pax, ad quam firmandam vel reconciliandam bellum contendere debet. (§. 1128. E.). Hinc jus belli eſt jus arripiendi bellum, tanquam remedium, ad redintegrandam pacem. Vnde nova vice perſpicimus quousque pateat jus belli, & inde deſcendens LICITVM IN BELLO (§.1906.), quod ea tantum complectitur, quæ efficiunt, ut partes diſceptantes ad pacem redeant.

§. 1915. Ea remedia belligerantium ſunt illicita, quæ non ad pacem redintegrandam, ſed ad bellum, in infinitum protrahendum, contendunt. (§. 1914.).

§. 1916. Pax, tanquam finis belligerantium ultimus, obtinetur vel reparatione damni illati, vel læſionis imminentis averſione (§. 1127. E.), qui ſunt fines belligerantium propiores, ad quos obtinendos jure gaudent belligerantes. (§. 1807. 1808). Hinc genti belligeranti licitum eſt uti remediis violentis, quæ ſunt proportionata illis finibus obtinendis, nec minus removendi impedimenta, & arripiendi occaſiones agendi, quæ eisdem velificantur. (§. 1914.).

§. 1917. Nec minus inde perſpicuum eſt, quod ſi gens belligerans nihil ſuſceperit, niſi quod vel ad reſarcitionem damni, ſibi illati, conſequendam, vel ad defenſionem ſui contendat, ea etiam jure gentium, ſtricte dicto, exiſtimari debeat obſervaſſe omnia, quæ a pace conſervanda vel reconcilianda non abhorrent. Provoco ſimul ad §. 1639.

§. 1918. Licitum eſt genti læſæ uti remediis violentis, quæ ſunt proportionata reparationi damnorum, ſibi illatorum, conſequendæ (§. 1916.). Hæc coactio (violentia) ſupponit gentem lædentem, quæ non vult reparare damnum (§. 579. 167. E.), h. e. quæ reſarcitioni læſionum renititur. (§. 505. E.).

(§. 505 E.). Ejusmodi renisus, qui efficax dicitur, erumpit in actus externos, nisi is quidem impediatur. (§. 508. E). Hoc itaque casu reparatio damnorum obtineri non potest, nisi gens læsa impediat, quo minus renisus gentis lædentis effectus seu actus externos suos sortiatur, h. e. quo minus gens lædens amplius cum effectu reniti valeat. Hinc *licitum est genti læsæ, uti remediis violentis, quæ impediendo & frangendo renisui, qui in gente lædente intuitu reparationis damni conspicitur, proportionata sunt.*

§. 1919. Eiusmodi renisus gentis lædentis non impeditus est coniunctus cum usu virium (§. 545. E.); & actuum externorum (§. 508. E.), eo tendentium, ne gens læsa satisfactionem nanciscatur. Nostro proinde casu reparatio damnorum obtineri non potest, nisi gens læsa gentem lædentem ab usu virium refrenet & cohibeat, atque retundat actus eius externos, obtentionem satisfactionis remorantes. *Licitum* itaque *est genti læsæ uti remediis violentis, quæ proportionata sunt refrenando usui virium gentis lædentis, retundendisque ejus actibus externis, obtentionem satisfactionis remorantibus.* (§ 1918.).

§. 1920. Usus virium in gente lædente conspicuus, eiusque actus externi, obtentionem satisfactionis remorantes, eo tendunt, ut læso expectanda sint mala funesta (§ 145. E.), quibus in periculum (§ 1116. E) conjicitur non solum perdendi damni reparationem, sed & perpetiendi nova detrimenta graviora, quæ damnis, sibi iamiam illatis, accedunt. Nostro itaque casu reparatio damnorum obtineri non potest, nisi gentes læsæ mala, sibi a gentibus lædentibus & satisfactionem declinantibus metuenda, refrenent & retundant, periculumque, in quod conjectas se sentiunt, a se avertant. *Licitum* ergo *est genti læsæ uti remediis violentis, quæ proportionata sunt repellendis malis, sibi a gente lædente & satisfactionem declinante metuendis, & averruncationi periculi, in quod conjectam se sentit.* (§. 1919.).

§. 1921. Populo, qua defensori sui contra iniuriam imminen-

minentem, licitum esse uti remediis violentis, quæ proportionata sunt a se avertendis malis, sibi a populo alio præparatis, & propulsando periculo, in quod conjectum se sentit, ex §. 1116. E. patebit.

§. 1922. Uti nostro casu in populo, qui alios læsit, renisum satisfaciendi parti læsæ, ita in populo, læsuro alios, nisum & conatum violandi eosdem conspicimus. Si substituas in §. 1918. 1919. nisum lædendi alios efficacem pro renisu satisfaciendi genti læsæ, paucis mutatis alia ratione id, quod populo, quatenus est defensor sui, licitum est contra alterum, evincere poteris.

§. 1923. Licitum est genti, læsionem metuenti, uti remediis violentis, quæ impediendo & frangendo nisui, qui in gente, injuriam alteri inferendam meditante, conspicitur, proportionata sunt (§. 1922. 1918.).

§. 1924. Licitum est populo, qua defensori, uti remediis violentis, quæ proportionata sunt refrenando usui virium populi aggressoris (§. 1912. 1919.).

§. 1925. Licitum est populo in defensione sui uti remediis violentis, quæ proportionata sunt refrenandis malis, sibi ab aggressore præparatis, & periculo a se avertendo, in quod conjectum se sentit §. 1911. 1920.).

§. 1926. Ex præcedentibus patebit, quod, si ad jus belli reflexeris, ea tantum liceant in bello, quæ ad sui, suorumque jurium defensionem & conservationem, vel ad juris erepti recuperationem necessaria sint.

§. 1927. Id quod licitum est genti belligeranti seu hosti in hostem, intuitu vel læsionis sibi metuendæ vel jamjam illatæ & reparandæ, eo redit, ut illa uti possit remediis violentis, quæ proportionata sunt impedimento usui virium hostium, retundendisque eorum actibus externis hostilibus, nec non a se avertendis malis, sibi ab hoste metuendis, & averruncando periculo, in quod illa conjectam se videt. (§. 1919. 1920. 1921, 1924. 1925.).

§. 1928. Licitum est genti, qua hosti, infringere remedia,

quibus hostis ei nocere connititur, & præcidere ei omnem nocendi occasionem, quam hostis vel expectat, vel suscitare contendit (§. 1927.). Idem assertum in §. 1132. 1133. Ex. deprehendes.

§. 1929. Ponas remedia violenta, quæ quidem proportionata remediis hostilibus, sed minora sunt & mitiora propulsatione periculi, in quod altera pars conjectam se videt: ponas alia remedia violenta, quæ sunt proportionata periculo propulsando, sed duriora remediis hostium; jure gaudet pars altera arripiendi remedia posterioris generis (§ 1117. E.).

§. 1930. Idem esse affirmandum de malis, ab altera parte alteri inferendis, facile est ad judicandum ex §. 1118. E.

§. 1931. Licitum est genti belligeranti adversus hostem suum uti strategematibus (§. 1558. 1559. E.). Id quod etiam de dolis adversus hostem, de simulationibus & dissimulationibus affirmandum est, dummodo hæc omnia a pactis arceantur (§. 1380. sqq. E). Pietatis & prudentiæ est, consilio potius victoriam, quam vi obtinuisse.

§. 1932. Si remedia & mala, quæ dura sunt, fini consequendo non proportionata deprehendantur; tunc recurrere licet ad remedia duriora, quæ obtinendo scopo æqualia sunt (§. 1929. 1930.). Quæ de remediis defensoris §. 1116. E. demonstravimus, illa etiam ad remedia, quibus contra hostem uti fas est, applicanda veniunt. Hostis est belligerans (§. 1858.), & conatu fertur alteri inferendi mala (§. 806. E.), & ex consequenti eum in periculum conjicit (§. 1116. E.).

§. 1933. *Remedia & mala*, quæ ex destinatione mentis multo acerbiora sunt obtentione finis, *atrocia*, *crudelia* & *inhumana* dicuntur. Qui ex malis, alteri inferendis, voluptatem sentit & gaudium, ejus *animus crudelis* & *inhumanus* est. Ejusmodi voluptas & gaudium, quod deprehenditur in odio (§. 689. E.), exstimulare solet homines ad excogitanda & arripienda remedia & mala, quæ acerbiora sunt obtentione finis, & quæ eam ob causam crudelia nuncupantur.

§. 1934. Qui limites liciti in bello transgreditur consulto, is remediis crudelibus utitur. Patet assertum ex §§. praecedentibus.

§. 1935. Cum odium commovere soleat belligerantem ad arripienda remedia hostibus nocendi crudelia (§. 1148. E. & 1933. Sp.), illius affectus consectaria maligna & funestissima & juri naturali maxime adversa in oculos incurrunt. Alios effectus odii tristes in §. 1106. 1107. 1108. 1146. 1149. Ex. satis indicavimus. Nec minus in §. 1105. E. adnotavimus, hostem ab inimico, qui odium sub pectore gerit, distinguendum esse. Unde simul patet, actus hostiles esse discriminandos ab actibus crudelibus, qui ab odio proficiscuntur, quique pudendi & poenitendi sunt, & quos vi praecedentium custodia justi non minus, quam cultus decori (§. 860. E), in actionibus animi generosi conspicuus, respuit. MAGNANIMITAS virtus est, in rebus & adversis & prosperis sese manifestans. Inter innumera alia habet hoc animus generosus, ut, si contra injuriam graviorem imminentem in statum securitatis se redegerit, vel ob laesionem haud levem sibi illatam factum sibi fuerit satis, is ab omni violentia & acerbitate, ad quam invito ipsi confugiendum fuit, ulterius continuanda, prorsus abstineat, mediosque inter armorum strepitus nil nisi verum & nunquam intermoriturum decus quaerat, & intuitu reparationis damnorum facilem (§. 1169. E.) se praebeat. Virtutem hanc esse ethicam, distinguendamque a custodia officiorum justi (per Schol. I. §. 797. E.) non diffiteor, eam tamen heic loci commemorandam esse existimavi, quae quippe crudelitati, funesto illi monstro, e diametro opposita est, & quae omne id, quod ante initia belli, eodem durante & exeunte pro decoro habendum est, commonstrat. Non est mortale, quod optat & sectatur magnanimus.

§. 1936. Uterque hostis non in belluam degenerat, sed homo permanet, nec adeo, qua hostis, omnem humanitatis sensum exuere debet.

§. 1937. Cum belligerans obligetur præferre remedia minus acerba, quæ proportionata sunt fini obtinendo, remediis acerbioribus (§. 1141. 1142. E.); crudelitas & inhumanitas remediorum repugnant quaquaversum ei, quod licet in hostem (§. 1933.).

§. 1938. Actus belligerantium crudeles pugnant cum eo, quod licet in hostem (§. 1937.), & consequenter contradicunt juri in hostem (§ 1895.), adeoque sine jure suscipiuntur, & hac ratione læsiones sunt. E contrario actus hostiles vi juris belli suscipiuntur (§. 1858.), nec consequenter læsionibus annumerantur (§. 784. E.). Actus itaque belligerantium crudeles non sunt actus hostiles.

§. 1939. Quousque aliquis terminos juris, & consequenter liciti; sibi concessi (per Schol. §. 861. E.) transgreditur, eousque is sine jure, h. e., injuste agit, & consequenter alterum, cum quo sibi res est, lædit (§. 971. E.). Hoc applicandum est ad violationem terminorum ejus, quod licet in bello.

§. 1940. Ex hisce prævis dictatis Juris Naturæ sat patebit, quænam species mediorum cogendi & nocendi hostibus licitæ seu justæ sint.

§. 1941. Si sciamus; quid liceat in hostem, facile etiam erit ad judicandum, quid in eundem, vel generatim durante bello, non liceat,

§. 1942. Bellum est status certantium per vim, qua talium (§. 806. E.). Sed ejusmodi status præponit conatum certandi per vim in utroque (§. 508. E.), bellum ergo conatum eundem mutuum præstruit.

§. 1943. Si posueris duos, in quorum uno quidem conatus certandi per vim conspicitur, qui tamen in altero deficit, inter eos non datur bellum (§. 1942.).

§. 1944. Subnascente, durante, exspirante, reviviscente statu certantium per vim, subnascitur, perdurat, exspirat, reviviscit bellum (§. 806. E.). Sed ejusmodi status certantium per vim præponit conatum certandi per vim in utroque

que (§. 1942.), ergo bellum ſubnaſcens, perdurans, exſpirans, reviviſcens præponit ſubnaſcentem, perdurantem, exſpirantem, reviviſcentem conatum certandi per vim in utroque.

Schol. I. De conatu efficaci loquimur (§. 508. E.), nec opus erit, ut determinationem hanc termino ſemper addamus, præcipue cum non deſint, qui in hac materia conatum ſemper efficacem intelligunt. Conf. §. 347. E.

Schol. II. Abſtineamus a reciprocatione propoſitionis, §. præcedenti admiſſæ.

§. 1945. Niſi ſubnaſcatur, niſi duret, niſi exſpiret, niſi reviviſcat conatus certandi per vim in utroque, bellum nec ſubnaſcitur, nec perdurat, nec exſpirat, nec reviviſcit. (§. 1944.).

§. 1946. Nec collectu difficile eſt, in bello illum conatum mutuum, illam voluntatem mutuam certandi per vim debere eſſe declaratam ſeu manifeſtatam, idque vel verbis vel factis ipſis. Conf. Schol. 1. §. 806.

§. 1947. Cum conatus ejusmodi certandi *explicet* voluntatem & *animum hoſtilem* (§. 505. E. & §. 1858. Spec.), diſtinguendum ab ipſis actibus hoſtilibus (§. cit.); ab exordio, perduratione & ceſſatione illius conatus efficacis decertandi, ad initium, perdurationem & ceſſationem animi hoſtilis tuto argumentamur. Ergo quicquid §. 1945. de conatu certandi per vim demonſtravimus, id etiam valere debet de animo hoſtili.

§. 1948. Qui conatu efficaci non feruntur alteri inferendi mala, illi hoſtes non ſunt (§. 1101. E.). Id quod etiam patet ex §. 1945. Enimvero id, quod licet in hoſtem, præſupponit hoſtem; in eos itaque, qui niſu efficaci non feruntur alteri inferendi mala, id, quod licet in hoſtem, licitum eſſe non poteſt.

§. 1949. Hinc abſtinendum a cæde eorum, qui inermes ſunt, nec animum nocendi, nec vim vi repellendi habent.

§. 1950. Hostis est belligerans (§. 1858.). Qui itaque belligerans non est, hostis non est.

§. 1951. Qui non habet conatum certandi per vim cum altero, is non est belligerans (§. 1942.), nec ex consequenti hostis esse potest (§. 1950.).

§. 1952. Qui ostendit se posuisse animum seu conatum certandi, is hostis esse desinit (§. 1951.). Hinc abstinendum ab interfectione eorum, qui se sponte dedunt.

§. 1953. In *certatione per vim* deprehendimus duas vires sibi contrarias, seu sibi invicem renitentes, eo tamen contendentes, ut altera reagere seu alteri cum effectu reniti amplius non possit, h. e., ut *vis* altera fiat *superior* altera, h. e., ut altera alteram vincat. Qui ex certamine superior discedit, VICTOR salutatur. Prævalentia (superioritas) ejusmodi certantis alterius dicitur VICTORIA. Qui in certamine minor & inferior exiftit, HOSTIS VICTUS appellatur. Per INFERIOREM IN CONFLICTU intelligimus eum, qui viribus unius certandis in eodem resistere amplius non potest.

§. 1954. In certatione per vim vires unius accommodare se debent viribus alterius (§. 1953.). Id quod applicandum ad defensionem & aggressionem. Si quippe in certamine sumseris vires, quibus quis se defendere velit contra vires alterius aggressoris, illæ hisce attemperandæ sunt, & si vires consideraveris, quibus quis aggredi velit vires alterius se defendentis vel defensuri, illæ hisce accommodandæ veniunt. Breviter: In certatione defensio aggressioni & aggressio defensioni conformanda est. Hinc variante aggressione, necesse est, ut variet defensio, & v. v. Vocabula laxius sumo (§. 1874.), & de certatione loquor, ubi alter alterius vires viribus suis frangere & superare connititur (§. 1953.).

§. 1955. Nec minus patet, in respectu virium, secum invicem certantium, habendo, non requiri paritatem & æqualitatem remediorum, quæ victoriæ obtinendæ (§. 1953.) &

& propulsationi periculorum, in quæ pugnantium alter ab altero conjici possit, sæpius par esse non solet.

§. 1956. Vires ejusmodi, sibi renitentes, exerunt se actionibus & reactionibus (§. 236. 508. E.). In certamine itaque per vim conspicimus duarum virium actiones & reactiones eo tendentes, ut altera alteram vincat (§. 1953.).

§. 1957. Quæ ad conatum certandi per vim & ad statum hominum per vim certantium, h. e., ad bellum requirantur, ex §§. 1953. 1954. 1956. perspicuum est. In bello quippe deprehenditur status hominum, quorum vires seu conatus agendi & reagendi eo tendunt, ut pars altera alteram vincat. Id quod etiam de hominum belligerantium actionibus & reactionibus eventualibus intelligendum.

§. 1958. Hostes sunt belligerantes (§. 1858.), & consequenter vivunt in ejusmodi statu, ubi eorum vires seu conatus agendi & reagendi eo tendunt, ut alter alterum vincat. Id quod de eorum actionibus & reactionibus eventualibus intelligendum (§. 1957.).

§. 1959. Qui in ejusmodi statu non vivunt, ubi eorum vires seu conatus agendi & reagendi eo tendunt, ut alter alterum vincat, inter eos non datur bellum (§. 1957.), nec adeo illi hostes sunt (§. 1858.), nec ex consequenti eorum actus pro hostilibus habendi (§. cit.).

§. 1960. Idem est affirmandum de iis, qui in ejusmodi statu non vivunt, ubi eorum actiones & reactiones eventuales eo tendunt, ut alter alterum vincat (§. 1957.).

§. 1961. Ex iis, quæ dicta sunt de bello & de hoste, manifestum est, quod hostis, cum sibi propositam habeat victoriam decidentem, eventualiter contendat ad arripienda rememedia violenta extrema; quorsum prælia, expugnationes urbium & castellorum, quæ sine cæde & sanguine fieri nequeunt, devastationes terrarum hostilium & quæ sunt hisce similia.

§. 1962. Ex eo quod licet hosti in hostem (§. 1927.), seu ex jure hostis in hostem (§. 1895.) manifestum est jus mittendi

tendi contra hostem homines, qui ipsius nomine & autoritate induunt & exercent conatum certandi per vim armatam. Sed hac ratione ejusmodi militantes induunt & repræsentant personam hostis mittentis, & consequenter pro hostibus iure habentur. Hoc sensu admittendum est illud: *Qui ab hoste mittitur, hostis est.* In misso quippe conatus certandi per vim requiritur.

§. 1963. Qua ratione & quibus armis hostes prosternere liceat, ex præcedentibus sat patebit. Si hostes convenerint de armis, eorumque certas species excluserint, pactum custodiendum. Deficiente pacto ratio armorum, eorumque usus ex circumstantiis, ex gravitate periculi, ex indole hostium & ex præviis doctrinis, de licito in bello traditis, diiudicari debet.

§. 1964. Qui ab hoste mittuntur, non qua nocituri, illi hostes non sunt. Qui nullum propositum habet alteri hosti nocendi, is etiam nullo fertur conatu certandi per vim, & consequenter hostis non est. (§. 1951.).

§. 1965. Aquas corrumpere, aut avertere, & siti, vel inedia hostes vincere, licitum esse cum plerisque concedimus, si remedia cogendi mitiora deficiant. Sed inde diiudicandum, quid de usu belluarum, veneni & armorum veneno infectorum, habendum sit, si necessitas extrema & hostium furor & crudelitas id exegerit. Hoc loco compares calamitatem, ex usu remediorum, jamjam commemoratorum, oriundam, cum miseria, quæ ex licito usu pulveris pyrii, tormentorum & machinarum bellicarum subnascitur. Tota res eo redit, utrum usus harum rerum sit remedium proportionatum, nec consequenter durius & atrocius periculo, a se avertendo & fine justo consequendo (§. 1916. 1928. 1929.). Incommoda bellorum quæ per se sunt gravia, augere præter necessitatem, non solum injustum & iniquum sed & inhumanum est & crudele (§§. cit. & §. 1933.). Præterea usus remediorum nocendi hostibus, qui nosmetipsos in periculum pereundi & in calamitatem extremam conjicit,

cit, stolidissimus est & quaqua ratione cum dictamine rationis pugnat.

§. 1966. Vnde & mutua belligerantium utilitas & periculum commune, ex quibusdam nocendi modis in ipsos redundans, commovit gentes moratiores, ut consensu earum quasi tacito, sed & expressis passim pactionibus veneni & percussorum, in ducum aut principum capita sollicitatorum, usus improbetur.

§. 1967. Quousque exploratores pro hostibus haberi nequeant, ex §. 1951. patebit. Hinc quod licitum est in exploratores, id debet diversum ab eo, quod licet in hostem, quà talem. Per *exploratorem* intelligunt eum, qui penes unum hostem eum in finem commoratur, ut alteri hosti revelet, quibus hic consilia sua in illius detrimentum & periculum maius commensurare possit. Ex hac idea liquescit jus interficiendi exploratores, *espions* Gallis dictos. Ex jure belli, hosti tribuendo (§. 1858.), progignitur non solum jus mittendi exploratores (§. 1928.), sed & jus eosdem detegendi & e medio tollendi, quibus quippe alter hostis in majus periculum conjicitur.

§. 1968. Quicunque armati & nocituri ab hoste mittuntur, pro latronibus haberi nequeunt. (§. 1926. 1826.).

§. 1969. Cum illi, qui *Capers* seu *armateurs* dicuntur (§. 1863.), sint hostes (§. 1962., nec ex consequenti latrones vocari mereantur (§. 1862.); in eosdem etiam omnia licent, quæ in hostem licita sunt, minus tamen ea, quæ licent in latrones.

§. 1970. Qui armatus ab eo, qui hostis non est, mittitur, is hostis esse non existimatur. Missus enim induit personam mittentis in eo, ad quod expediendum ab illo mittitur.

§. 1971. Is, qui mittit armatos adversus alium, aut est hostis, aut non est talis. Tertium non datur. Posteriori casu armatus missus hostis non est (§. 1970.), ergo soli illi, qui armati mittuntur ab hoste, sunt, quà missi, hostes. (§. 1962.).

§. 1972. Qui armatus mittitur a latrone, is induit personam latronis mittentis, & consequenter ceu latro tractatur, neque adeo pro hoste habendus est. (§. 1862.).

§. 1973. Qui jure belli non gaudet, hostis is non est. (§. 1858.). Quicunque itaque armati ab illis mittuntur, qui nullo jure belli gaudent, illi hostes esse non existimantur. (§. 1970.).

§. 1974. Qui armati mittuntur a rebelli, illi nomine hostium non insigniuntur. (§. 1973. 1836.). Idem etiam applicandum est ad omnes, quibus jus belli tribuendum non esse superius demonstravimus.

§. 1975. Qui armatus ab hoste mittitur, hostis est. (§. 1962.). Sed hostis est belligerans, qui jure belli gaudet (§. 1858.); Ergo illi, iique soli (§. 1971.), qui mittuntur armati ab iis, qui jure belli gaudent, sunt hostes, quà missi.

§. 1976. Prædatores navium, qui mittuntur a rebelli, vel ab illis, qui nullo jure belli gaudent, referri jure non merentur ad eos, quos Galli *armateurs* dicunt. (§. 1974. 1969.).

§. 1977. Qui virtute fœderis offensivi (§. 1879.) adjuvat hostem alterius, eundem & hujus esse hostem, per se patet. Illi, qui fœdere offensivo sunt juncti, sunt hostes communes, & aggressorem tertium pro hoste communi agnoscunt, idque juxta tenorem fœderis.

§. 1978. Si princeps vi fœderis defensivi copias auxiliares, ad certum numerum restrictas, uni belligerantium mittat, ei hactenus conatus certandi per vim cum altero belligerante non tribui, nec is adeo pro hoste haberi potest. (§. 1951.). Natura fœderis defensiva assertum hoc demonstrat. (§. 1879.).

§. 1979. Quatenus copiæ auxiliares mittuntur ab hoste, eatenus eæ hostibus annumerantur. (§. 1962.).

§. 1980. Controversia inter duos nascitur, si illi incidant in contradictorium. Hac ratione oriuntur duæ *partes, controvertentes, certantes, pugnantes, disceptantes* dici solitæ. Eisdem etiam nomen *adversariorum* tribui solet.

§. 1981.

§. 1981. Disceptationes tendunt ad decisionem causæ controversæ. Quem ob finem si disceptetur ratiociniis, pars altera vel acquiescit in alterius argumentis, vel secus. Altero casu partes vel agnoscunt judicem vel minus. Posteriori casu nulla disceptatio seu certatio alia nisi per vim apertam, h. e. bellica (§. 806. E.) restat, quæ inter gentes independentes locum habet & a qua decisio controversiarum, inter illas subnatarum, expectari possit, de quo tamen inferius paulo explicatius agemus. Suffecerit jam annotasse disceptationem seu certamen fieri vel per ratiocinia, vel per vim apertam. Hinc via decidendi litigia vel amicabilis vel bellica est.

§. 1982. Propositum certandi pro alio certante *favor seu studium partium* (*Partheynehmung*) dicitur.

§. 1983. Quæ cum proposito seu voluntate efficaci copulata sunt (§. 513. 518. 528. E.), ea etiam cum studio partium conjuncta esse debent. (§. 1982.).

§. 1984. Propositum, quod voluntas efficax est (§. 509. E.), requirit usum virium, expediendo fini sufficientium (§. 545. E.). Qui itaque proposito certandi pro certante alio agitatur, is utitur viribus suis pro certante alio, eumque adeo participem efficit virium suarum in consequendo fine adeoque eum adjuvat, (§. 710. E.).

§. 1985. In quo datur favor disceptantis, is eum adjuvare connititur contra alterum certantem. (§. 1982.).

§. 1986. Studium partis alicujus demonstrare possumus vi §§. 1982. 1981. vel ope ratiociniorum, h. e. logice, vel per vim apertam, h. e. bellice (§. 806. E.) seu hostiliter. (§. 1858.). *Studium partium* prioris generis *dianoëticum* seu *discursivum*, posterioris vero *bellicum* (*Kriegs-Theilnehmung*) appellare possumus.

§. 1987. Studium partis dianoëticum requirit propositum ferendi disceptantium uni auxilium (§. 1985.), ab usu virium intellectus dependens. (§. 1986.).

§. 1988. Studium partis bellicum requirit propositum

 feren-

ferendi auxilium uni certantium (§. 1985.), ad vim apertam alteri certantium inferendam (§. 1986.), ad hujusque periculum externum augendum contendens. (§. 1116. E.).

§. 1989. Studium partium bellicum tendit ad societatem (§. 1988. 1.), cum uno belligerantium ineundam, & quam *bellicam* dicimus.

§. 1990. In quo non deprehenditur propositum ferendi auxilium, uni certantium ad vim apertam alteri certantium inferendam, ad hujusque periculum externum augendum contendens, in eo non datur studium partis bellicum, nec ei adeo societas, cum uno belligerante inita, tribui potest. (§. 1988.).

§. 1991. Ponas principem quendam vi pacti mittere, e. g. copias auxiliares determinatas uni principum belligerantium, quibus hic uti possit ad vim apertam alteri certantium inferendam, ejusmodi missio copiarum auxiliarium fieri potest absque principis mittentis proposito inferendi alteri belligerantium vim apertam, & consequenter absque studio partis bellico & absque societate bellica. (§. 1990.).

§. 1992. Probe heic loci notemus, quod ad studium partis bellicum requiratur propositum per vim certandi pro certante contra alterum certantem. (§. 1986. 1982.). Quod propositum cum ex sola missione auxilii stipulati inferri nequeat, ejusmodi missio copiarum auxiliarum a studio partis bellico prorsus aliena esse potest.

§. 1993. Si dentur auxilia, uni certantium ferenda, quæ nec ad vim apertam, alteri certantium inferendam, nec ex consequenti ad hujus periculum externum augendum adhiberi possunt, ex illis ad auxiliatoris studium partis bellicum concludi non potest. (§. 1988.).

§. 1994. In quo datur studium partium bellicum, is hostis est alterius partis certantis. (§. 1986.).

§. 1995. Studium partium præponit partes, sibi contradicentes. (§. 1982. 1980.). Eo itaque casu, quo non

datur

datur contradictio partium, nec studium earundem concipitur.

§. 1996. Fautor partis est defensor unius certantis & adversarius alterius. (§. 1980.).

§. 1997. Hoc *studium partium* est vel *justum* vel *injustum*, prout illud vel bonitate & justitia, vel malignitate & injustitia causæ nititur. Si studio partium semper tribuatur perversitas, illud strictissime sumi manifestum est. Non incongrua tamen erit laxior vocabuli acceptio, cum dentur casus, ubi ex amore veri vel justi oculato unius partis disceptantis causam defendimus citra omnem προσωποληψίαν, vel sine turpi commodorum consectatione.

§. 1998. Studium partium justum vel injustum est in sphæra juris cogentis, prout illud SVVM CVIQVE vel custodiat, vel violet. (§ 797 E.).

§. 1999. Studium partium bellicum etiam justum, injustumve dicitur, prout illud in aliquo, qui jure belli gaudet, vel secus, deprehenditur. (§. 1847.).

§ 2000. Fautor partium est pars certans pro certante contra alterum certantem (§. 1981.), & fit consequenter particeps certaminis, adeoque est is, qui duorum controversiæ se immiscet.

§. 2001. In quo datur studium partis belligerantis bellicum, is est pars vi certans pro certante contra alterum vi certantem, & consequenter fit particeps certaminis per vim, adeoque certamini bellico se immiscet. (§. 1986. 2000.).

§. 2002. Fautor partis certat pro certante contra alterum certantem (§. 1982.), & consequenter cum eodem tendit ad unum eundemque finem (§. 510. E.), adeoque & cum eodem in certamine unam personam repræsentat.

§. 2003. In quo deprehenditur studium partis belligerantis, is in certamine bellico cum eadem unam personam repræsentat (§. 1986. 2002.). Et cum socii unam personam repræsentent (§. 17.), studiumque partium bellicum ad socie-

tatem, cum uno belligerantium ineundam, contendat (§. 1989.), eadem propositio nova vice patescit.

§. 2004. Inter belligerantes & eos, qui studio partis belligerantis alterutrius bellico feruntur, non nisi unicum bellum deprehenditur (§. 2003.). Sic inter Romanorum Imperatorem & Regem Galliarum, quà belligerantes, & Hispaniæ, Sardiniæque Reges, qui studio bellico Regis Galliæ, quà partis belligerantis, agitantur, non nisi unicum bellum deprehenditur.

§. 2005. Qui idem, quod ab alterutra parte disceptante affirmatur vel negatur, vel affirmat vel negat contra alterum disceptantem, in illo datur studium partium dianoëticum. (§. 1986.).

§. 2006. Qui idem judicium, quod fertur de re controversa ab alterutra parte disceptante, amplectitur contra alterum disceptantem, ei tribuitur studium partis dianoëticum seu discursivum. (§. 1986.). Hoc vel præjudicio, vel justa rei disceptandæ inspectione nititur.

§. 2007. Belligerantes sunt certantes. (§. 806.E.). Hinc qui vel affirmat, vel negat idem, quod ab alterutra parte belligerante affirmatur vel negatur, in illo conspicitur studium partis belligerantis discursivum. (§. 2005.).

§. 2008. Belligerantium objectum disceptationis est læsio (§. 1067.), & consequenter actionis injustitia (§. 971. E.) Hinc qui vel affirmat vel negat læsionem & actionis injustitiam, quæ ab altera parte belligerante affirmatur vel negatur, in illo conspicitur favor discursivus partium belligerantium. (§. 2007.).

§. 2009. *Favor partium discursivus simplex* dicitur, qui cum convicio minus copulatus est, *qualificatus* vero, cui convicium, quod injuria est, admixtum.

§. 2010. Qui non nisi ratiociniis favorem alicujus partis disceptantis commonstrat, is eundem per vim apertam non ostendit, nec consequenter belligerans (§. 806.E.), nec

adeo

adeo hostis est. (§. 1858.). In quo itaque non nisi favor partium belligerantium dianoëticus, idemque simplex datur, is pro hoste reputari non potest. (§. 1986.2009.).

§. 2011. Solum studium partium belligerantium dianoëticum, idque simplex, bellicum non est. (§. 2010.).

§. 2012. In solo favore partium belligerantium discursivo solus dissensus, vel solus non-consensus deprehenditur (§. 2007.), qui causa belli justifica non est (Schol. §. 1203. E).

§. 2013. Dantur fautores partium belligerantium, qui hostes alterius partis non sunt. (§. 2011.).

§. 2014. Qui vacuum se ostendit a studio partium, is appellatur communiter *medius*, *neutralis* seu *neutrarum partium*.

§. 2015. Eo casu, quo nulla datur partium contradictio, vana est disputatio de neutralitate. (§. 2014.).

§. 2016. In eo, qui generaliter est neutrarum partium, nullum datur propositum certandi pro certante alio (§. 2014. & 1982.).

§. 2017. Belligerantes sunt certantes. (§. 806. E.). Ergo qui vacuum se ostendit a partium belligerantium studio, *is dicitur neutrarum partium belligerantium*. (§. 2014.).

§. 2018. Qui generaliter est neutrarum partium belligerantium, in eo nullum datur propositum certandi pro certante altero contra certantem alterum. (§. 2016. 2017.).

§. 2019. Studium partis belligerantis alicujus est vel dianoëticum, vel bellicum. (§. 1986.). Hinc datur *neutralitas* erga belligerantes, ubi quis vacuum se ostendit a studio partis belligerantis dianoetico, & quæ *indifferentia judicii* appellari potest. Datur & alia, quæ in vacuitate seu abstinentia a studio partium certantium bellico consistit, & quam NEUTRALITATEM BELLICAM (*Kriegs-Neutralität*) dicimus, idque ob ejus relationem ad belligerantes, quà tales, h. e. non quà argumentis disputantes, sed quà vi hostili certantes. (§. 806. E.).

§. 2020. Indifferentia judicii erga belligerantes (§. 2019.)

colitur abſtinendo a ratiociniis, quibus alterius partis cauſa defendi poſſit (§. 1986.), ſeu, quod perinde eſt, ſuſpendendo judicium, de cauſa bellantium controverſa ferendum (§. 2006.), ſeu de læſione, quæ ab altera parte belligerante affirmatur vel negatur. (§. 2008.).

§. 2021. Ei, qui non niſi ſtudium partium belligerantium diſcurſivum oſtendit, neutralitas bellica adhuc tribuenda non eſt. (§. 2011. 2019.).

§. 2022. Solus diſſenſus vel ſolus non-conſenſus intuitu cauſæ controverſæ non efficit, ut diſſentienti vel non-conſentienti neutralitas bellica denegari debeat (§. 2012. 2021.).

§. 2023. Ei, qui indifferentiam judicii erga belligerantes non obſervat, neutralitas bellica deneganda non eſt. (§. 2021. 2019.).

§. 2024. Qui nec affirmat, nec negat idem, quod ab alterutra parte diſceptante affirmatur vel negatur, is obſervat indifferentiam judicii erga belligerantes. (§. 2019. 2005.).

§. 2025. Neutralis, in genere ſpectatus, eſt, qui controverſiæ, inter duos vel plures ſubnatæ, ſe non immiſcet. (§. 2014. 2000.).

§. 2026. Qui neutralis eſt, is non fit pars certans pro certante (§. 1982.), nec defenſor alterius partis contra alteram, nec eſt conſequenter adverſarius alterius partis diſceptantis. (§. 2014. 1996). Hoc eſt attributum neutralis in genere ſumti.

§. 2027. Cum ad neutralitatem, in genere ſumtam, requiratur, ut quis non ſit adverſarius alterutrius partis diſceptantis (§. 2026.), ad eandem etiam requiritur, ut quis neutrius diſceptantium adverſarium ſe gerat intuitu controverſiæ, inter illos ſubortæ.

§. 2028. Licet quis adverſarium ſe gerat alterius diſceptantium, ſed non intuitu controverſiæ, inter illos ſubortæ, is neutrius diſceptantium adverſarium ſe gerit intuitu controverſiæ, inter illos ſubortæ, & conſequenter pro neutrali habendus eſt reſpectu ejusdem rei controverſæ (§. 2027.).

§. 2029. Si oriatur certamen inter duos, in reliquis vel datur ſtudium partis belligerantium bellicum, vel non deprehenditur. Tertium non datur. In quo non datur ſtudium partium belligerantium bellicum, ille arripit neutralitatem bellicam (§. 2019). Ergo ſi oriatur certamen inter duos, in reliquis vel ſtudium partis belligerantis bellicum, vel neutralitas bellica conſpicitur.

§. 2030. Si populus obligatus ſit vel jure cogi poſſit ad neutralitatem non amplectendam, is etiam obligatur vel jure cogi poteſt ad ſtudium partis bellicum amplectendum (§. 2029.).

§. 2031. Qui neutralitatem bellicam arripit, is vel Suum Cuique obſervat, vel ſecus, & conſequenter eadem neutralitas vel juſta eſt vel injuſta (§. 797. E.).

§. 2032. Neutralitas bellica haud injuſta (§. 2031.) non eſt læſio (per Coroll. I. §. 971. E.), nec conſequenter cauſa coactionis juſtifica (§. 263.). Hinc populus populum ad neutralitatem ejusmodi deſerendam vel non amplectendam jure cogere non poteſt. Unde patet, quod neutralitas ejusmodi bellica nemini negari poſſit.

§. 2033. Sumas neutralitatem bellicam injuſtam (§. 2031.), quæ eſt læſio perfecta (§. 971. E.), & conſequenter cauſa coactionis juſtifica (§. 261.). Hoc caſu alter, qui ejusmodi neutralitate læditur, alterum cogere poteſt, ut ne illam amplectatur, & ut conſequenter judicium partis diſceptantis ſequatur (§. 2006.).

§. 2034. In foro externo naturali omnis neutralitas bellica eſt licita, quæ non eſt copulata cum violatione τȣ̃ ſuum cuique (§. 1676.), ſeu cum læſione alterius (§. 767. E). Hoc caſu nulla oritur cauſa coactionis juſtifica (§. 261.) ad populum aliquem a neutralitate bellica refrenandum.

§. 2035. Si quis itaque conqueri velit de alterius neutralitate bellica, is docere obligatur præjudicium, ſibi ex illa ſubnaſcendum (§. 2034. 954.).

§. 2036. Populi cujusdam neutralitas bellica, pactis, ab

eodem cum altero belligerantium percussis, repugnans, est læso (§. 1311. E.). Id quod est applicandum ad neutralitatem qua violantur fœdera (§. 503.). Aliter est sentiendum, si casus fœderis non existat.

§. 2037. Si populus tertius juste paciscatur de neutralitate, tunc vi pacti justi oritur obligatio perfecta ad illam observandam (§. 1324. E.).

§. 2038. In quo datur favor disceptantis, in eum adjuvare connititur contra alterum certantem (§. 1985.). Hinc ejusmodi favor partis belligerantis est species auxilii. Sed auxilium obligatorium non nisi ex pacto descendit (§. 43.); obligatio proinde perfecta ad studium partis belligerantis bellicum demonstrandum non nisi ex pacto proficiscitur.

§. 2039. Studium partis bellicum ad societatem bellicam, cum belligerantium altero ineundam, contendit (§. 1989.). Et cum ejusmodi societas bellica obligatoria non nisi ex pacto justo descendat (§. 43.), studium partis bellicum, idque perfecte obligatorium, non nisi ex pacto justo intelligitur.

§. 2040. Ergo obligatio perfecta demonstrandi ejusmodi studium partis bellicum, nec non jura perfecta, alteri belligerantium tribuenda, non nisi pactitia sunt. Termini obligationum & jurium ejusmodi unde dijudicandi sint, ex §. 1613. E. clarum erit.

§. 2041. Ante pactum nulla datur obligatio perfecta in populo tertio ad studium partis belligerantis bellicum demonstrandum (§. 2038.), nec ex consequenti in parte belligerante utralibet jus deprehenditur cogendi populum tertium ad testificandum ejusmodi favorem (§. 1613.).

§. 2042. Ante pactum a solo populi tertii arbitrio dependet, utrum is velit demonstrare studium partis unius belligerantis bellicum (§. 2041.), an ab eodem se vacuum ostendere (§. 2029.). Enim vero cum posteriori casu populus arripiat neutralitatem bellicam (§. 2019.); ante pactum a solo populi tertii declaratione voluntatis, h. e., promissione (§. 1244. E.) depen-

dependet custodia neutralitatis ejusmodi. Sed promissio valida, h. e., perfecte obligatoria, non fit, nisi illa in pactum justum abierit (§. 1315. E.); hinc ante pacta custodia neutralitati bellicæ perfecte obligatoria non nisi ex pacto justo, seu ex consensu reciproco concipitur. Loquor de obligatione perfecta colendi neutralitatem bellicam & illius origine. Datur neutralitas, quam quis sponte observat, licet eidem nullum pactum præcesserit. Quo casu illa perfecte obligatoria non est.

§. 2043. Quo casu non datur obligatio in uno, eo non datur jus in altero (§. 780. E.). Ante pacta igitur nullum datur jus in populis belligerantibus, aliisque quibuscunque cogendi populum aliquem ad neutralitatem bellicam observandam. Hinc ejusmodi coactio fieret sine jure, h. e., injuste, & consequenter illa cum læsione perfecta copulata esset (§ 971. E.), quæ est causa belli justifica (§. 1092. E.).

§. 2044. In quo nullum datur propositum per vim certandi pro certante contra alterum certantem, in eo deprehenditur neutralitas bellica (§. 2019. 1986.).

§. 2045. Quæ cum proposito per vim certandi pro certante alias conjuncta sunt, ea omnia neutralitati bellicæ repugnant (§. 2044.). Si quid repugnet alicui rei, omnia etiam, quæ cum illo necessario connexa sunt, huic repugnare debent.

§. 2046. Si quis alterum certantem prorsus non adjuvare connitatur contra alterum certantem, is est neutralis, in genere sumtus (§. 2014. 1985.).

§. 2047. In quo non datur propositum ferendi auxilium uni certantium ad vim apertam, alteri certantium inferendam, ad hujusque periculum externum augendum contendens, ei tribuenda est neutralitas bellica (§. 1990. & 2019.).

§. 2048. Licet princeps quidam vi pacti mittat uni belligerantium copias auxiliares determinatas, eidem tamen neutralitas bellica adhuc tribui potest (§. 2019. 1991.). Huc

spectat

ſpectat caſus, §. 1978. adductus de principe, qui non niſi vi fœderis defenſivi copias auxiliares, ad certum numerum reſtrictas, uni belligerantium mittit.

§. 2049. Si quis uni certantium auxilium ferat non niſi rebus ejusmodi, quæ nec ad vim apertam, alteri certantium inferendam, nec ex conſequenti ad hujus periculum externum augendum adhiberi poſſint, de eodem adhuc cultus neutralitatis bellicæ negari non poteſt (§. 1993. 2019.).

§. 2050. Cultor neutralitatis bellicæ eſt, qui eſt non-hoſtis utriusque partis belligerantis (§. 2019. 1994.), & conſequenter amicus externus utriusque belligerantis (§. 1094. E.).

§. 2051. Neutralis partes belligerantes æquali jure & loco habet (§. 2050.).

§. 2052. Neutralitatis bellicæ cultor non eſt pars vi certans pro certante contra alterum vi certantem, nec conſequenter fit particeps certaminis per vim, adeoque certamini bellico ſeſe non immiſcet (§ 2019. 2001.), nec cum altero belligerante unam perſonam in certatione bellica repræſentat (§ 2003.).

§. 2053. Cum cultor neutralitatis bellicæ ſit NON-HOSTIS partium belligerantium (§. 2050.), ei reſpectu earundem abſtinendum eſt ab omnibus, quæ hoſti alias in hoſtem licent, de quo ſuperius egimus. Unde plures obligationes perfecte cuſtodientium neutralitatem bellicam dijudicandæ veniunt.

§. 2054. Eadem officia perfecta a belligerantibus cultori neutralitatis bellicæ, quà non-hoſti, præſtanda eſſe, facile patet. Præterea belligerantes ſunt NON-HOSTES eorum, qui neutralitatem bellicam cuſtodiunt, & conſequenter ab omnibus actibus hoſtilibus, adverſus illos ſuſcipieudis, abſtinere perfecte obligantur.

§. 2055. Cum cultor neutralitatis bellicæ ſit NON-HOSTIS partium belligerantium (§. 2050.), ille cum hiſce adhuc in pace vivere connititur (§. 1094. E.). Ea iraque officia

officia omnia, quæ tempore pacis a gente aliis exhibenda veniunt, cultori neutralitatis bellicæ erga belligerantes observanda sunt. Id quod etiam de belligerantium officiis erga neutrales tenendum (§. 2054.). Hinc & ea, quæ superius dicta sunt de officiis gentium perfectis, imperfectis, nec non de officiis innoxiæ utilitatis, etiam heic loci consideranda & applicanda sunt.

§. 2056. Unde per se patet, belligerantes perfecte obligari in solo vel hostili, vel pacato non lædere medios, eorumque potestati subjectos, & damna eis data reparare, resque eorum, quæ in hostico deprehenduntur, ipsis restituere, neque commercia eorum turbare. Nec minus manifestum est, belligerantibus integrum non esse formare sedem belli in loco medio, qui pacatus est, aut hyberna invito principe statuere, aut hostilia exercere.

§. 2057. Si quid princeps neutrarum partium uni belligerantium ex humanitate præstet vel concedat, quod & alteri præstare vel concedere paratus est, hoc casu ex voluntate concedentis periculum neutrius belligerantis augetur, & consequenter neutralitas bellica a principe medio non violatur (§. 2046.). Huc spectat casus, ubi respubl. quædam media utrique belligeranti transitum, arma, cet. permittat. Reflecti heic loci potest ad jura portubus liberæ admissionis, Italis *porti franchi* dictis, concedi sueta.

§. 2058. De transitu innoxio, ab humanitate & consensu reipubl., per cujus territorium ille fieri debet, pendente, jamjam superius dictum est.

§. 2059. An urgente necessitate extrema liceat belligeranti absque prævia reipubl. neutralis concessione impetrata transire per illius territorium, id ex doctrina de favore necessitatis §. 1218. seqq. Exerc. tradita, dijudicanda sunt. Ejusmodi casu belligerantes provocant ad rationem belli, de quâ §. 1243. Exerc. & 1866. seqq. Spec. diximus.

§. 2060. Populus, neutralitatem bellicam custodiens, jure non gaudet ferendi judicium de re controversa decisi-

vum

vum & obligatorium, in quo populi disceptantes acquiescere tenerentur (§. 1622.).

§. 2061. Idem judicium, uni vel utrique belligerantium obtrusum, esset conjunctum cum vi aperta, h. e., hostili (§. 1858.). Quod repugnat ideæ neutralitatis bellicæ (§. 2050.) Hinc populi, eandem neutralitatem custodientes, se non obtrudunt judices in causa controversa.

§. 2062. Probe notemus, nos loqui de judicio, uni vel utrique belligerantium obtruso & cum eventuali coactione conjuncto, & quod esse causam belli justificam, ex §. 1627. patet. Et ita explicandam esse puto abstinentiam a judicio, populis mediis tribui solitam.

§. 2063. Idem esse sentiendum de arbitriis, non solum ex jamjam dictis, sed ex §. 1625. manifestum est.

§. 2064. Populorum, neutri parti addictorum, *provinciæ & terræ neutrales* dicuntur, quæ exemptæ sunt ab actionibus hostilibus (§. 2054.). Contingere potest, ut terræ quædam, imperio ipsorum belligerantium subjectæ, ab actibus hostilibus exemptæ declarentur, eamque ob causam etiam neutrales appellentur. Ejusmodi exemtio fieri solet, ne provinciæ principum vicinorum bello implicentur. Cujus generis neutralitatem suppeditavit bellum inter Suecos, Moscos, Danos & Polonos respectu provinciarum, in imperio Romano-Germanico sitarum.

§. 2065. Loquimur de gentibus belligerantibus, qui in statu naturali vivunt, nec consequenter statum licentiæ induunt (§. 921. E.), ubi jura naturæ, vel strictius sumta, violare sibi integrum sit (§. 920. E.). Hinc gentes belligerantes obligantur ad custodienda *pacta*, quæ durante adhuc bello ab illis, quà belligerantibus, juste celebrantur (§. 1322. E) & quæ *bellica* dicuntur.

§. 2066. Quicquid repugnat legibus gentium, stricte dictis, illud ijsdem licitum non est in bello (§. 1673.). Violatio pactorum justorum repugnat legibus gentium, stricte dictis §. 1570. Sp. & §. 1311. E.), gentibus itaque belligerantibus licitum non est violare pacta justa. §. 2067.

§. 2067. Hinc doctrinæ de pactis heic loci applicandæ veniunt. Conferri etiam potest doctrina de fœderibus, quæ species pactorum publicorum sunt (§. 1690. seqq.).

§. 2068. Dolum abesse debere ab ejusmodi pactis, ex §. 1380. 1381. E. manifestum est, licet alias dolis & strategematibus uti liceat belligerantibus.

§. 2069. An metus ejusmodi pactis bellicis contrarietur, nec ne? heic loci disquiritur. Decisio rei a determinatione metus justi dependet. Hic vel à justitia causæ (§. 1092. E.), vel a juri belli, bellum gerentibus competente (§. 1847.) derivatur. Cum belligerantes, qui vivunt in statu naturali, nullum judicem in hisce terris habeant, qui de unius justitia causæ judicium decisivum & perfecte obligatorium ferre possit (§. 1622. E.); in nostra materia justitia metus incussi ex jure belli, utrique belligerantium vindicando (§. 1907.) potiori ratione repetenda venit. Hinc pacta bellica, ejusmodi metu justo extorta, sunt justa & servanda (§. 1311. E.).

§. 2070. Ejusmodi pacta vel circa modum belligerandi, vel alia de re sanciuntur. Eadem *pacta bellica* sunt vel *publica*, vel *privata*. Illa a civitatibus de negotiis publicis, ad bellum spectantibus, celebrantur (§. 1695.), hæc vero ejusmodi nota characteristica destituuntur. Illa iterum in *generalia* & *specialia* dispescuntur.

§. 2071. Pacta privata non nisi privatos paciscentes obligare, facile patet. Et cum pacta injusta, quæ conjuncta sunt cum læsione alterius (§. 1298. E.) servanda non sint (§. 1299. E.), etiam pacta privata, quæ tendunt in præjudicium summæ potestatis (§. 954.) invalida sunt.

§. 2072. Si pacta bellica publica sint, ad illa applicandum est, quod de pactis publicis demonstratum est (§. 1696.).

§. 2073. Solæ gentes liberæ (§. 1720.), seu soli illi, in quibus exercitium imperii civilis summi conspicuum est, gaudent jure sanciendorum pactorum bellicorum publicorum (§. 1719.).

§. 2074. Jus celebrandi pacta bellica publica est jus majestaticum (§. 1726.), quod vel absolute, vel limitate exerceri potest, id quod ex specimine sexto perspicitur.

§. 2075. In pactis bellicis publicis partes paciscentes sunt civitates integræ, quæ interventu eorum obligantur & certa jura nanciscuntur (§. 1751.).

§. 2076. In doctrina de fœderibus, quæ species pactorum publicorum sunt, plura deprehenduntur, quæ huc transferri possunt.

§. 2077. Applices huc. §. 1763. 1764. 1765. 1766. 1767. 1774. Perduratio pactorum bellicorum publicorum ex §. 1790. seq. & eorum exspiratio ex §. 1799. dijudicanda venit.

§. 2078. Si posueris in civitate unum vel plures, in quos τὸ κύριον translatum est, in celebrandis pactis bellicis publicis imperantes summi, iique soli, non minus pro se, quam pro populo, sibi subjecto, paciscuntur (§. 1763.).

§. 2079. Nemo sine consensu prævio eorum, in quibus residet τὸ κύριον, pacta bellica publica cum aliis celebrare potest (§. 2073.).

§. 2080. Si quis promiserit aliquid nomine publico citra vel contra consensum reipublicæ, ejusve principis, hujuscemodi promissum pro pacto publico reputari non potest (§. 2079.), & obligationem reipubl. nullam, nullumque contra eandem jus producit (§. 1324. 1328. 1329. E.).

§. 2081. Ex percusso pacto bellico publico imperantes summi, & populi, eis subiecti, simul obligantur, & certa jura nanciscuntur (§. 1763. Sp. §. 1324. 1328. E.).

§. 2082. Populum subjectum nec pro se, nec pro principe pactiones bellicas publicas celebrare posse, pate. ex §. 1766.

§. 2083. Pacta publica ab ipso principe, aut du e, cui is summam belli commisit, ineuntur, aut si specia ia sint, ab *intermediis* etiam, e. g. qui parti exercitus præsunt, celebrantur (§. 1377. 1379. E.).

§. 2084. Modus paciscendi dependet a voluntate per

Schol,

Schol. §. 1377. E. & consequenter a consensu (§. 1253. E.) paciscentium.

§. 2085. Id, quod alterius est, non potest transferri in alios sine ejus consensu. (§. 1431. E.). *Translationes rerum in alios* sunt mutationes earundem in alienas. Promissiones & pactiones eo tendunt, ut mutetur aliquid in alienum. (§. 1304. E.). Hinc id, quod alterius, aliis promitti a nobis non potest sine ejus consensu promissorio, nec minus de eo, quod alterius est, cum aliis pacisci non possumus sine illius consensu. Actiones & facta alterius ad id, quod ejus est, pertinent. (§ 947. Spec. §. 747. E.). Facta ergo aliena aliis promitti a nobis non possunt, nec de iis cum aliis pacisci possumus sine illius consensu. Loquor de casu, ubi promittens nullum jus habet paciscendi pro altero.

§. 2086. Eodem itaque casu nullum pactum producitur intuitu ejus, cujus nomine aliquid promittitur, nec adeo ulla oritur obligatio in eo, pro quo aliquid promittitur, neve ullum jus pactitium in eo, cui promittitur alterius factum contra alterum, pro quo promissio facta est, subnascitur. (§. 1324. 1328. E.).

§. 2087. Et licet nostro casu negotium ejus, pro quo alter pactus est, ab hoc utiliter gestum videatur, ille tamen obligari non potest ex consensu præsumto, qui in statu naturali viventibus tribui non potest. (§. 1372. 888. E.).

§. 2088. Ejusmodi itaque promissa intuitu eorum, quorum nomine aliquid promissum est, validitatem non nanciscuntur, nisi consensus ejus, cujus in gratiam negotium ab altero susceptum est, h. e. ratihabitio, accesserit. (§. 1373. E.).

§. 2089. Quæ ratio est, cur ejusmodi promissiones alteri dentur *sub spe rati*. Quæ cum incerta esse soleat, ejusmodi pacta dubii eventus sunt. Qui itaque acceptat

hujus generis promissa, is cogitare debet se pacisci de re periculo plenissima.

§. 2090. *Sponsiones* sunt promissiones nomine quidem reipublicæ, sed ab iis factæ, qui publica autoritate contrahendi potestatem non habuerunt. e. g si quis nomine reipublicæ suæ receperit, se illam eo commoturum, ut illa intuitu cujusdam belli neutralitatem custodiat, ut illa in armistitium consentiat, ut illa principem aliquem pro successore Regis declaret, & quæ sunt hisce similia. Rempublicam, cujus in gratiam eæ confectæ sunt, ex iis non obligare perfecte, ex §. 2086. perspicias. Applices ad easdem §§. 2087. 2088. 2089.

§. 2091. De obligatione sponsoris variæ sunt sententiæ. Eam ultra conatum summum non esse extendendam, nonnulli existimant, cum obligatio pactitia ejusmodi res requirat, quæ naturaliter impossibiles non sunt. (§. 1324 E.). Conf. THOMASII Disputat de *Sponsione Romanorum Caudina.*

§. 2092. In securitatem promissionum bellicarum implendarum dari solent pignora (§. 1624. E.) & obsides. Pignoris loco urbes vel castra tradita esse videas. Intentio paciscentium eo redit, ut, si conventioni satisfactum fuerit, pignora restituantur, vel obsides dimittantur. Contra quam intentionem si quid suscipiatur ab altero paciscente, alter paciscentium læditur, per Confectar. I. §. 1614. Hinc si pactum adimpletum fuerit, ob aliam causam retinere pignora vel obsides non dimittere, fas non est. (§. 971. E.). Et cum intentio paciscentium etiam eo tendat, ut, si non impleantur conditiones pacti, pignora retineantur, vel obsides arctius custodiantur; hoc casu retentio pignorum, vel arctior obsidum detentio justa est, per confect. I. §. 1631. E.

§. 2093.

§. 2093. An obsides inviti dari possint, ex doctrina de imperio civili summo dijudicandum est. Conf. BVDDEI *Jurispr. Nat. c. V. sect. VII. §. XI.*

§. 2094. Disceptatur inter autores, utrum ei, qui obsides accepit, jus eos interficiendi competat casu non servatæ fidei? Cum sermo nobis sit de pacto quodam bellico, illud jus esset pactitium Notum est, quod de rebus, moraliter impossibilibus, pactum fieri non possit. Enimvero cum reipublicæ jus vitæ & necis in civem non competat, nisi ob ejus delictum, quod mortem promeretur, id quod ex doctrinis de imperio civili manifestum est; eidem etiam tribui non potest jus interficiendi innocentes. Hinc ejusmodi interfectio est moraliter impossibilis. (§. 483 E.). Id quod est applicandum ad interfectionem obsidum, qui delinquentes non sunt. Sed cum ex doctrina de pactis notum sit, quod non liceat pacisci de rebus moraliter impossibilibus; reipublicæ etiam non licet pacisci de internecione obsidum casu non servatæ fidei Hinc sub eadem conditione ei, qui obsides accipit, jus eos interficiendi, quâ pactitium, tribui non potest, quale tamen illud esse deberet. Nec aliunde is, cui traditi sunt obsides, ejusmodi jus sibi vindicare potest. Vid. GRIBN. *Jurispr. Nat. L. III. c. 13. §. 2. n. 2.*

§. 2095. Contingere solet, ut durante adhuc bello partes belligerantes de mutua abstinentia ab actibus hostilibus ad certum tempus paciscantur. Qualia pacta INDVCIAE (*Stillstand der Waffen*) vocari consueverunt.

§. 2096. Ejusmodi pactis vel suspenduntur tantum actus hostiles, vel præter illos insimul apparatus tollitur ad tempus. Conventiones prioris generis *armistitia*, posterioris vero *induciæ, strictius sic dictæ*, a nonnullis appellantur, vid. PVFENDORF. de *O. H. C. L. II. c. XVI. §. 16.*

§. 2097. *Induciæ* sunt vel *universales*, seu *illimitatæ*, vel *particulares*, seu *limitatæ*, in unum alterumve actum, e. g. ad sepulturam occisorum, ad celebrationem alicujus diei festi initæ.

§. 2098. Ineuntur induciæ vel ad breve vel ad longius tempus. Ad inducias posterioris generis referuntur eæ, quæ a Leopoldo cum Turcis A. 1699. Carolowizii, & quæ ab imperio Romano Germanico A. 1684. cum Rege Gallorum, per 20. annos duraturæ, celebratæ sunt. Ex inspectione horum pactorum manifestum est, quod exspirante temporis determinati spatio paciscentes decisionem causæ controversæ armis denuo committere voluerint.

§. 2099. Durante conatu certandi per vim mutuo declarato, durat bellum (§. 1946.). Ejusmodi conatus erumpit in actus hostiles, nisi adsit impedimentum (§. 507. E.). Ob quod licet conatus se non manifestet per actus externos, is tamen in belligerantibus, & ex consequenti bellum inter ipsos perdurare potest. Vnde & patet, quod durante abstinentia pactitia, eaque temporaria, ab actibus hostilibus perdurare possit bellum. Id quod applicandum ad inducias & armistitia (§. 2095. 2096.).

§. 2100. Durante bello, nulla pax est (§. 806. & Schol. 1. E.). Hinc induciæ a pace discriminantur (§. 2099.).

§. 2101. Si belligerantes de mutua abstinentia ab actibus hostilibus temporaria, & consequenter de induciis paciscantur, ex hoc pacto oriuntur obligatio & jus perfectum (§. 1324. 1328. E.).

§. 2102. Quousque pateant iura hostis in hostem, ex §§. 1927. 1958. manifestum est. Vi huius iuris hostes actus hostiles sine interruptione continuare possunt, donec ad statum pacis redeant, seu donec eorum alter obtineat victoriam decidentem (§. 1961.). Nemo belligerantes impedire

pedire poteſt, quo minus utantur exercitio huius iuris (§. 787. E.), & conſequenter nemo gaudet facultate cogendi eosdem, ut vel ad tempus ab actibus hoſtilibus abſtineant, h. e., ut inducias ineant (§. 2095.), niſi is quidem hoc ius cogendi, aliunde acquiſitum, condocere poſſit. Aut itaque adeſt princeps tertius, qui hoc ius ſibi vindicare valeat, aut minus. Poſteriori caſu a ſola voluntate belligerantium, & conſequenter a ſolo conſenſu eorum reciproco (§. 1260. E.), adeoque ab eorum pacto (§. 1288. E.) dependent induciæ, & determinatio temporis, intra quod illæ durare debent (per Schol. §. 1377.); priori vero adeſt pactum, metu iuſto extortum, quod ſervandum eſt. (§. 1400. E.). Caſus tertius cum non detur, omnes induciæ, perfecte obligatoriæ, conſenſum belligerantium mutuum præponunt. Prior caſus exiſtere ſolet, ſi belligerantium alter bello infringat pactiones ſolennes, quarum guarantiam alii populi in ſe ſuſceperunt.

§. 2103. Ad inducias, quâ pacta privata, quæ autoritate publica non ſanciuntur, applices, quæ §. 2071. dicta ſunt. Jus celebrandi inducias, qua pacta bellica publica, eſt maieſtaticum. (§. 2074.). Eiusmodi inducias non niſi vel ab ipſis poteſtatibus ſummis, vel ab aliis autoritate earum iniri, patet ex §. 2083. Nec minus alia, quæ de pactis bellicis publicis §. 2065. ſeqq. evicta ſunt, ad inducias applicanda veniunt.

§. 2104. Quod obligationum & iurium pactitiorum termini ex fine iuſto paciſcentium diiudicandi, nec ultra illum extendendi ſint (§. 1619. E.), id præcipue de induciis tenendum eſt. (§. 2102.).

§. 2105. Nihil itaque a belligerantibus durante armiſtitio ſuſcipiendum, quod fini illi conventionali repugnat. E contrario iidem ab illis omnibus, ſibi alias licitis, abſtinere non obligantur, quæ illi intentioni non contraria

sunt. Vnde variarum quæstionum, huc spectantium, decisio dependet, e. g. utrum durantibus induciis princeps in loca tutiora se recipere, milites novos conscribere, aliaque, hisce similia, suscipere possit.

§. 2106. Hinc in *induciis, ad certam & determinatam causam factis*, obligationes & jura ultra illam non sunt extendenda, e. g. si induciæ tantum tendant ad interfectos sepeliendos, paciscentes quidem ea omnia, quæ sepulturam impediunt, intermittere obligantur, & nanciscuntur jura expediendi ea, quæ ad hunc finem determinatum obtinendum requiruntur, reliqui tamen actus hostiles, qui cum hoc fine nullum nexum necessarium habent, partium paciscentium arbitrio relinquuntur. Sic cum jure sepeliendi jura dirutam valli partem reficiendi, urbi præsidium novum immittendi, comparandi & subvehendi rem frumentariam, obsidionis periculo urbem liberandi ita copulata non sunt, ut altera pars paciscens ejusmodi actus non impedire vi pacti obligaretur. Omnia jura, quæ cum scopo determinato & convento conjuncta non sunt, utrique parti belligerantium salva & integra manent, dummodo ea sub prætextu finis stipulati, e. g. sepulturæ occisorum, non exerceantur. (§. 2068.).

§. 2107. Porro ex §. 2105. manifestum est, durantibus induciis occupationem rerum hostilium, tributorum & hospitationum exactionem, terrarum hostilium devastationem, cet. hosti non licere, si ejusmodi actus intentioni paciscentium contrarientur.

§. 2108. Qui consentit in finem, ab altero suo nomine in actum mittendum, is consentit etiam in remedia, sine quibus ille obtineri non possit. (§. 512. E.). Idem etiam tenendum est de remotione impedimentorum inevitabili. (§. 517. E.). Hæ positiones applicandæ sunt ad respublicas, quarum auspiciis bellum geritur, & quæ ducibus vel

sum-

ſummam rerum, vel partem exercitus commiſerunt. Quicquid itaque duces ſummi aliique copiarum præfecti ex neceſſitate medii ſuſceperint, in illud omne respublica conſenſiſſe jure exiſtimatur. Hinc & ejusmodi actus autoritate principum belligerantium ſuſcepti cenſentur.

§. 2109. Si quis conſentiat in finem, ſuo nomine ab alio expediendum, ejusmodi conſenſus habetur pro facto, a quo ad illius conſenſum in remedia neceſſaria, in remotionem impedimentorum inevitabilem, ad expectandam, ſuſcitandamve occaſionem ſecure concluditur. (§. 512. 517, 527. E.). Ejusmodi itaque conſenſus tacitus eſt. (§. 1347. E.). In genere hic notandum, quod is, qui in rem aliquam conſentit, etiam conſentire debeat in omnia, quæ cum illa re neceſſario connexa ſunt. Præterea ſuperius §. 680. jam evictum eſt, eum, qui jus nactus eſt ad expediendum aliquem finem, etiam jure gaudeat ad remedia neceſſaria arripienda.

§. 2110. Ex § 2108. perſpicuum eſt, duces belli jus habere ineundi inducias ad ſepeliendos occiſos. Et cum durantibus induciis adhuc duret bellum (§. 2099.), hoc caſu nova indictione opus non eſt.

§. 2111. Induciis, a republica, ejusve imperante pactis, a die publicationis obligari ſubjectos omnes, id dijudicandum eſt ex §. 2081. 2103. Si ſubjecti alterutrius belligerantis contra induciarium tenorem egerint, eorum imperans tenetur ad ſatisfactionem. (§. 891.). Quam ſi princeps denegaverit, vel alio modo inducias violaverit, oritur infractio pacti (§. 2095.), & conſequenter læſio (§. 1337. E.), quæ ſuppeditat novam cauſam belli juſtificam (§. 1092. E.). alterique belligeranti tribuit jus redeundi ad arma, licet induciarium tempus nondum elapſum fuerit. (§. 85. 86.).

§. 2112.

INDEX.

NVMERI DESIGNANT PARAGRAPHOS SPECIMINVM.

B.

Civi-

D.

sunt

Fœde-

Glo-

blico

ta

K.

L.

N.

O.

P. Pa-

P.

Q.

R.

S. San-

S.

ad

T.